Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 D
25
GG
II
16.
Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTIANI WOLFII
JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM,

PARS PRIMA,

IN QUA

OBLIGATIONES ET JURA CONNATA

EX IPSA HOMINIS ESSENTIA ATQUE NATURA

A PRIORI DEMONSTRANTUR

ET TOTIUS PHILOSOPHIÆ MORALIS

Omniſque Juris reliqui fundamenta ſolida jaciuntur,

CUM CLARISSIMI AUCTORIS VITA,

ET NUNC PRIMUM CUM

VIRI CL. DE VATTEL

ANIMADVERSIONIBUS,

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET AUCTIOR.

FRANCOFURTI, ET LIPSIÆ,
MDCCLXIV.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sereniſſimo Celſiſſimoque Principi ac Domino Domino

FRIDERICO REGNI BORUSSICI,

Electoratus Brandenburgenſis Reliquarumque Provinciarum Hæredi, Domino longe Clementiſſimo.

SERENISSIME CELSISSIMEQUE PRINCEPS.

IPſa natura conſtitutum Jus eſſe dudum agnoverunt veteres & antiquiſſimo ævo jam pro certo habuerunt Sinenſes. Nemo tamen hactenus fuit, qui diſtincte expoſuerit, quomodo obligationes omnes ſeu officia & cum iiſdem cohærentia Jura ex ipſa hominis eſſentia atque natura tanquam ex fonte ſuo deriventur. Philoſophus, cujus eſt rationem reddere eorum, quæ ſunt, in rationibus proximis minime acquieſcere, ſed ad ultimam uſque, quæ in demonſtrando prima eſt, analyſin ſuam continuare debet. Poſtquam igitur arduum Philoſophiæ reformandæ opus aggreſſus ſum, Juris quoque Naturæ habenda erat ratio, ut evidenter demonſtrarem, quomodo primæ obligationes primaque Jura, ſine quibus illæ non ſubſiſtunt, ex ipſa eſſentia atque natura humana reſultent, ex iis autem continuo naſcantur obligationes ceteræ omnes ac Jura reliqua omnia, facto quodam humano juxta leges naturæ primarias determinato ſuperaccedente. Dici non poteſt, quam pulcher hinc prodeat Jurium omnium nexus, non ſine voluptate maxima inſpiciendus ab iis, quibus Natura dedit, ut mentis oculo veritatem intimius perſpiciant. Immo dici non poteſt, quanta lux affundatur univerſæ Juris diſciplinæ, modo quis eam ferre poſſit, nec nimia confundatur. Ferre autem poteſt, qui ſtudio Metaphyſicæ verioris acumen quoddam ſibi comparavit, quo ejus ignari deſtituuntur. Cum vaſtus ſit juris omnis am-

Digitized by Google

ambitus, paucis tantum negotium conficere minime licet. Quamobrem in plures Tomos ſecanda fuit univerſa Juris naturæ & Gentium doctrina, quorum nunc prodit primus. Continet is leges naturales primitivas, quibus obligationes & jura, quæ hominibus connaſcuntur, utpote indivulſo nexu cum eſſentia ac natura hominis cohærentia, diſtincte explicantur & demonſtrantur. Leges hæ ſunt lætiſſima veluti ſeges, quæ meſſem uberrimam ſpondent in iis, quæ ſequentur, Tomis. Equidem nullus dubito fore haud paucos, qui frugum ſperandarum ubertatem minime prævident: hi tamen erunt, qui cum veritatum a ſe invicem dependentium nexum non norint, ex præſentibus futura non proſpiciunt. His igitur expectandum, donec fidem, quam dictis habere nolunt, oculis habeant. Poſtquam vero univerſa Juris Naturæ doctrina in Syſtema veri nominis fuerit redacta; tum demum dilucidius conſtabit, quænam ſit illa actionum rectitudo, qua homini admirandam Numinis ſanctitatem imitari datur: quod imitamentum maxime decet Principes, quos Numina vicaria in Terris veneramur. Quæ hactenus dixi, etſi obſcurius dicta videri queant haud paucis, qui ſibi ac aliis Philoſophi videntur; ſi tamen dubitare vellem, ea REGIÆ CELSITUDINI TUÆ non intime perſpecta eſſe, in ſummum acumen injurius forem, quo in omnia penetras rationi humanæ pervia. Quamobrem ſi abſque arrogantia dici poteſt, munera, quæ Philoſophus offerre valet, eſſe Principibus debita; REGIÆ CELSITUDINI TUÆ Protimiſeos quodam jure Jus Naturæ debetur, cujus nunc volumen primum in lucem publicam prodit. Patere igitur, PRINCEPS SERENISSIME ac CELSISSIME, ut ſplendidiſſimo NOMINE TUO operi meo omne conciliem decus, quo effulgere poteſt, & vultu gratioſo reſpice librum, quem devotiſſima & humillima mente offero. Deus autem, Juris omnis Autor, ſervet TE, PRINCEPS OPTIME, ut ex factis aliquando tuis Jus unicuique tribuendum diſcat Orbis univerſus! Ita vovet

REGIÆ CELSITUDINIS TUÆ

Marburgi Cattorum die 20. Aprilis 1740.

Humillimus ac devotiſſimus cultor
CHRISTIANUS WOLFIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ETſi leges naturæ, quibus homines ad certo modo actiones ſuas liberas determinandas obligantur & eo fine ipſi competentia Jura explicantur, rationem ſufficientem in ipſa eſſentia atque natura humana agnoſcant, quemadmodum in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis oſtendimus; haud quaquam tamen exiſtimandum eſt, quaſi earumdem omnium ratio proxima in eadem deprehendatur. Eſſentia atque natura humana fons eſt omnis obligationis, qua tenentur mortales, omniſque Juris, ſine quo illi ſatisfieri nequit; non tamen Leges naturæ omnes eodem intervallo a fonte diſtant, ut adeo lex ab eodem remotior in alia propiore & hæc denuo in adhuc propiore rationem proximam agnoſcat, donec tandem continua rationum analyſi ad fontem accedas, ubi ſubſiſtendum, cum nihil amplius deſideretur ad penitus intelligendum, cur hoc fieri debeat, vel facere liceat, cur iſtud fieri non debeat, ſeu illicitum ſit. Neque alia ratio eſt, cur Leges naturæ methodo demonſtrativa tradi poſſint, immo tradendæ ſint, ſiquidem penitus intelligi, neque ſupereſſe debeant, quæ aſſenſum acutiorum remorantur. Ubi omnem Juris naturalis doctrinam tradiderimus

mus

Digitized by Google

mus, aperta ipſiſque oculis obvia erunt, quæ modo diximus. Siſtimus jam hujus Juris ſeu Legum naturæ partem primam, in qua obligationes & Jura homini connata demonſtrantur, quæ vero ab eodem demum acquiruntur in ſequentibus ex his ipſis tanquam principiis demonſtraturi. Nimirum connaſcuntur homini certæ obligationes certaque Jura, quatenus cum eſſentia atque natura ipſius immutabili indivulſo nexu cohærent, ut, quamdiu is in mortalium numero eſt, tamdiu etiam ad hæc facienda vel non facienda obligetur, & hoc Jure fruatur. Haſce itaque obligationes hæcque Jura in præſenti demonſtramus ex iis principiis, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis ex ipſa eſſentia & natura hominis immediate deduximus. Oſtendimus nimirum, quomodo homo actiones liberas determinare debeat tum reſpectu ſui ipſius, tum reſpectu aliorum, tum denique reſpectu Dei, & quænam ea de cauſa ipſi competant Jura. Actiones juxta legem naturalem determinatæ officiorum nomine veniunt. Quamobrem cum terminos communi uſu dudum comprobatos non immutemus; obligationes naturales homini connatas explicaturi actiones iiſdem reſpondentes officiorum erga ſe ipſum, erga alios & erga Deum nominibus compellare libuit. Quoniam tamen actiones, quæ Juri reſpondent, diverſæ ſunt ab iis, quæ ex obligatione oriuntur, & aliud eſt præſtare debitum, aliud jure ſuo quid facere; eas ſub officiorum nomine comprehendere noluimus. Neminem adeo offendet inſcriptio capitum *de officiis ac cum iiſdem connexis Juribus*. Si cui aliter viſum fuerit, per nos is abundet ſenſu ſuo. Dudum Juris naturæ interpretes ſtatum naturalem a civili diſtinxerunt, nec male, cum non eadem ſit in utroque obligationum, aut, ſi mavis, officiorum & juris ratio. Statui civili non ante locus eſt, quam civitatibus introductis. Quamobrem cum dominia quoque & imperia privata introducta fuerint, nec per ea ſtatus naturalis tollatur, attamen quoad nonnulla varietur, eundem in originarium & adventitium ſubdividere licuit. In ſtatu originario naturali tantummodo obtinent obligationes ſeu officia & jura connata; in adventitio autem ſuperaccedunt acquiſita, quæ ab introdu-

Digitized by Google

ctione dominiorum & imperiorum privatorum in ſocietatibus ſimplicibus, quæ vocantur, pendent. Quamobrem primo loco omnino explicandum erat, quid in ſtatu naturali ſit debitum, quid jure fieri poſſit, quid ſit prohibitum, nec fieri queat abſque injuria alterius. In ſtatu originario vigent Jus Libertatis & Æqualitatis, Jus ad res, quarum uſus homini neceſſarius, ſiquidem obligationi ſuæ naturali ſeu officiis ſatisfacere voluerit, Jus ſecuritatis & jus circa cultum divinum: cetera enim ſub his continentur. Atque hæc jura explicantur. Per hæc ipſa autem Jura patet, quod dominia & imperia non minus privata, quam publica introduci potuerint, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Hinc vero cetera Jura omnia reſultant, qualiacunque tandem fuerint. Dominia & imperia privata ſubſiſtunt in ſtatu naturali; imperium vero publicum, quod & civile dicitur, tollit ſtatum naturalem & in civilem vertit, non tamen tollit obligationes & jura, quæ in ſtatu naturali vigent, ſed illas intactas relinquit, horum vero exercitium nunc aufert ſingulis, nunc reſtringit. Poſtquam ſinguli in ſocietates civiles coiverunt, ortæ ſunt gentes, quæ perſonas in ſtatu naturali viventes repræſentant, adeoque eodem jure reguntur, quo ſinguli in ſtatu naturali. Quodſi ergo ad eos applices, quæ in ſtatu naturali de Jure naturæ demonſtrata fuerunt, Jus Gentium neceſſarium prodit. Quando civitates introducuntur, quælibet civitas, quemadmodum modo diximus, ſpectatur tanquam perſona ſingularis, ad quam adeo totam applicanda ſunt Jura, quæ ſingulis in ſtatu naturali competunt. Hinc autem patet, quoad actiones hominum externas in eadem ſocietate viventium leges naturales addendo & demendo tantiſper immutandas eſſe: unde oritur Jus civile, quemadmodum dudum obſervatum eſſe ab Ulpiano alibi jam monuimus. Datur adeo Theoria quædam naturalis hujus Juris, in qua ex ipſis principiis Juris naturalis demonſtrandum, quid legibus naturæ addendum vel demendum ſit, ne quid committatur, quod æternis iſtis ac immutabilibus Naturæ legibus adverſatur. Et hoc modo patet ortus Juris voluntarii, quod normam ſuam ipſum Jus neceſſarium agnoſcit. Enimvero cum homines in civitates

Digitized by Google

tes coeuntes ſeſe liberare non potuerint ab immutabili obligatione, qua obſtringuntur cuilibet promiſcue homini, nec tollere jura ſingulis in ſtatu naturali competentia; ideo gentes in univerſum omnes conſtituunt civitatem quandam maximam ex ceteris compoſitam eo fere modo, quo ex ſocietatibus ſimplicibus coaleſcit compoſita, quam Domum vulgo ſive Familiam appellamus. Quemadmodum itaque in civitatibus ſingulis quoad actus externos leges naturales ſubeunt aliquam mutationem, ut jus quoddam voluntarium naſcatur, ita in civitate quoque maxima quoad actus externos eædem leges, quibus *Jus Gentium neceſſarium* continetur, eodem prorſus modo mutationem ſubeunt, ut hinc oriatur *Jus Gentium voluntarium*, quod recte pervidit GROTIUS, etſi ex genuino fonte idem non deduxerit, perperam vero ab hebetioribus inter commenta relatum. Et hoc Jus Gentium voluntarium per principia Theoriæ naturalis Juris civilis demonſtratur, quemadmodum inde demonſtranda ſunt Jura civilia, niſi æquitati ac Juſtitiæ contraria eſſe debent. Hinc vero jam liquet, quænam a nobis pertractanda ſint, antequam totum Juris Naturæ totumque Juris Gentium Syſtema fuerit abſolutum, & quam longum ſit iter, quod jam ingreſſi ſumus. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, Syſtema Juris Naturæ & Gentium adeo diffuſum non uſui eſſe niſi ad negotia publica recte gerenda. Neque enim ſolum lucem affundit Juris civilis Antiſtitibus, ne ſubinde cœcutiant & quaſi in tenebris palpitent; verum etiam maximum uſum pollicetur Theologis, in haud paucis præſertim Scripturæ ſacræ locis interpretandis, quemadmodum forſan alio tempore ſpeciminibus quibuſdam luculentius oſtenſuri ſumus. Sed redeamus ad partem primam, quam nunc in lucem publicam proferimus, & a qua tantiſper digreſſi ſumus, ut, quæ in ea traduntur, penitius intelligantur & de iis, quæ in poſterum, ſi Deo ita viſum fuerit, ſequentur, rectius judicare detur. Quæ in parte hac prima tradimus, ea non ſolum fundamentum continent, cui cetera omnia, quæ ſequentur, ſuperſtruemus, verum etiam omnem fere theoriam Philoſophiæ moralis, in qua explicabitur, qualis fieri debeat facultatum noſtrarum uſus, ut officiis ſingulis ſatisfaciamus,

mus,

mus, nec in noſmetipſos, nec in alios, nec in ipſum Deum injurii. Ea quoque de cauſa virtutes ac vitia ſuis nominibus diſtinximus & quod illæ ſint lege naturali præceptæ, hæc vero prohibita demonſtravimus. Ethica enim ſumit temperantiam v. gr. eſſe virtutem moralem, prudentiam vero intellectualem; in Jure autem Naturæ id demonſtratur. Similiter Ethica docet, quomodo virtutes intellectuales, veluti prudentia, & morales, veluti temperantia, acquirantur & habitibus hiſce conformiter agatur: aſt Jus Naturæ inculcat, quod habitus iſti ſint acquirendi iiſdemque oppoſiti vitandi, ac iſtis conformiter ſit agendum. Manifeſtum adeo diſcrimen eſt, quod inter Jus Naturæ & Ethicam intercedit, neque ſic verendum, ne utriuſque limites confundantur. Quodſi quidam oculatiores ceteris animadverterint, virtutes aliquas in hac parte prima Juris Naturæ non commemorari, de quibus tamen agendum in Ethica, cum v. gr. nulla fiat mentio caſtitatis, nulla liberalitatis ac parſimoniæ, quas tamen ex virtutum numero nemo excluſerit; illi ſciant de his agi ſuo loco, cum methodus demonſtrativa minime ferat, ut quædam eo loco tradantur, ubi ex anterioribus nondum demonſtrari poſſunt. Unicum adhuc monendum eſſe duximus, ne ſcilicet quæ hic de officiis ac Jure in ſtatu naturali demonſtrantur, veluti de defenſione ſui, de pœnis exigendis, de bello, de cultu Dei externo, perperam ad ſtatum civilem & ſtatum Gentium applicantes, per præcipitantiam errores fingant, qui non ſunt, ſed unde ea, quæ iiſdem incauti opponunt, ſuo loco demonſtrabuntur. Qui obligationum ac Jurium omnium nexum nondum perſpexerunt, a ſe invicem ſeparanda confundunt & falſas haud raro comminiſcuntur eorum, quæ vera ſunt, rationes, immo arbitrio humano tribuunt, quod in lege æterna ac immutabili rationem apertam habet. Non incongruum forſan videri poterat quædam hic dici de Lege Dei æterna, quæ ex eſſentia & natura divina reſultat & quam ſupremum Numen liberrime ſequitur in agendo, etſi nullum habeat ſuperiorem, ad cujus ſimilitudinem ex eſſentia & natura hominum & rerum creatarum in univerſum reſultat in ipſis ideis divinis Lex Dei æterna, quam vocant ſcholaſtici,

præſcripta creaturis in univerſum tam ratione præditis, quam eadem carentibus, cum ſic Legis naturæ, de qua hic agitur, intimius perſpiciatur ratio, & pulcherrima prodeat harmonia inter actiones Entis ſupremi independentis & entium ceterorum ab eo dependentium. Enimvero cum hæc paucis dici non poſſint & ad ſublimiorem illam Philoſophiam, quæ omnia a priori ex Dei attributis tanquam poſſibilibus primis repetit & quam venturis ſeculis reſervatam diximus (*not.* §. 172. *part.* 2. *Theol. nat.*) pertinere videantur, filum abrumpere malumus alio tempore diſertius nonnulla dicturi. Marburgi Cattorum die 20. Aprilis A. O. R. 1740.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI
TYPOGRAPHUS S.

CHRISTIANI WOLFII Opera majora Latina tum Mathematica tum Metaphyſica Italis typis jamdudum edita ſunt : defecit adhuc Italus Typographus, qui ejus Scripta *ad Jus Naturæ & Gentium* pertinentia excuderet. Poſteriora tamen hæc ea ſunt, quibus maxime Cl. Auctor gloriabatur, & ad quæ jam ab ineunte adoleſcentia labores ſuos omnes tam Mathematicos quam Metaphyſicos ſe contuliſſe ſæpius profeſſus eſt; ut illa non alio fine conſcripſerit quam ut hæc *ſcientifica methodo* traderet & profundius demonſtraret. Atque ille quidem id, quod ſibi propoſuit, ita viſus eſt præſtitiſſe, ut in Jure Naturali & Gentium Wolfiana jam Secta regnare & primas obtinere videatur. In tanta tamen hujuſce Operis celebritate deſideratur adhuc emendata quædam ejus editio. Nam quæ in Germania prodiit, quam unicam adhuc eſſe novi, de ea nihil opus eſt me dicere, cum inſpicienti & legenti ſatis ipſa ſe prodat. Ego vero cum viderem de ceteris Wolfii operibus Italos Typographos melius fuiſſe meritos quam Germanos, nolui Italum Typographum deeſſe, qui de *Jure* etiam *Naturæ & Gentium* melius mereretur. Itaque conſtitui illud prælis meis ſubjicere, multoque, quam antea, non ſolum emendatius, ſed etiam auctius & cumulatius edere. Quid præſtiterim, habe. Sphalmata multa in Germanicam Editionem irrepſerunt, neque ea omnia Typothetarum, qui non ſemper merito vapulant, negligentia & incuria, ſed multa etiam ipſius Auctoris feſtinatione quadam & fiducia ſui, qui ſemel a ſe ſcripta non relegens effecit, ut non ſolum alicubi hiaret oratio, ſed ſenſum etiam aliquando contrarium funderet. Nævi hujuſmodi ut tollerentur, & apte omnia componerentur a viro Naturalis Juris ſtudioſo & Wolfianorum dogmatum perito, ſedulo curavi. Neque ille defuit muneri ſuo, præſertim ſponte ſuſcepto. Hæc ubi

Digitized by Google

præſtiti, illud dedi operam, ut de caſtigatæ jam Editionis augmentis ornamentiſque cogitarem.

Itaque Vitam Auctoris addidi a Germano homine conſcriptam, & ſingulis tomis adnexui judicia *Eruditorum ex Actis Lipſienſibus* excerpta: ſed hæc minora quædam ſunt, illud majus & hujuſce Editionis proprium, quod nunc primum Commentariis ornetur. Commentarios enim appello *Quæſtiones & Animadverſiones in Wolfium Viri Clar. de* VATTEL, quæ Gallica lingua conſcriptæ cum eſſent, in Latinam ut verterentur operam dedi; &, quæ ad ſingulos Wolfii tomos erant adnotata, ſingulis antepoſui. Vides B. L. me neque laboribus neque ſumtibus peperciſſe, ut Wolfianum de Jure Naturæ & Gentium Opus quam maxime fieri potuit & emendatum & auctum & ornatum haberes. Sperare itaque juvat fore ut neque Te Editionis, neque me diligentiæ meæ mearumque impenſarum pæniteat. Vale.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANI
S. R. I.
LIB. BAR. DE WOLFF
VITA
BREVITER DELINEATA
A JOANNE GERBERO, A. M.
SCHOLÆ. PRIMARIÆ GEDANENSIS RECTORE.

QUodſi unquam virorum de republica litteraria præclare meritorum memoriam conſervare nos decet, iis certe qui vel novas diſciplinas invenerunt, vel quas acceperunt poſteris mirifice auctas reddiderunt, tanto magis hoc debemus, quanto majorem ex eorum laboribus feliciter peractis, omne genus humanum percepit utilitatem. Quem quidem honorem ſi cui alii *illuſtri* certe *Chriſtiano S. R. I. Libero Baroni de Wolff, domino hereditario in Klein Dölzig, S. R. M. Boruſſorum a conſiliis ſanctioribus, Accademiæ Halenſis cancellario, juris naturæ & gentium pariter ac matheſeos profeſſori publico ordinario, academiæ Petropolitanæ profeſſori honorario, ſocietatum regiarum Londinenſis, Pariſienſis, Berolinenſis, ac Bononienſis collegæ honoris cauſſa adſcripto* habendum eſſe; neminem umquam credô negaturum. Inſignis enim hicce vir, atque ſui ipſius animi virtute excellens, non modo incredibili ſtudio ac contentione in litteris poliendis limandiſque ætatem conſumſit, verum etiam nova diſciplinarum invenit genera, quorum ne nomen quidem antea cognitum erat ac perſpectum. Quare nos operæ pretium facturos eſſe exiſtimamus, ſi res geſtas illius paullo exponamus liberius, eorum potiſſimum cauſſa quorum hæc noſſe vel maxime intereſt. Quidni vero omnium litterarum ſtudioſorum intereſſe arbitremur, vitam tanti viri penitius perſpicere, qui veritatibus, diſtinctionum diviſionumque Scholaſticarum furfuri immiſtis, ac cimmeriis quaſi tenebris involutis, ſingularem plane adfudit lucem, a quo negotio nec fortuna interdum maxime adverſa, nec corporis valetudine minus commoda potuit deterreri.

Perenne hoc atque immortale cum Germaniæ tum totius orbis litterarii decus ac palla-

palladium a cęlo quaſi demiſſum, natum eſt *Wratislaviæ*, urbe a primis inde temporibus præclariſſimorum ingeniorum feraciſſima, die nono calendarum Februarii anno poſt reparatam mortalium ſalutem milleſſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono. Patre uſus eſt *Chriſtophoro Wolfio*, nobili quidem genere haud prognato, nec divite, litterarum tamen monimentis vel aliquantiſper imbuto; matre *Anna Gilleria*, pia & ſexus ſui virtutibus præ multis ornatiſſima. Quum optimi parentes filium hunc a teneris ſanctioribus litteris dicaſſent, nihil ſane intermiſerunt, quod ad præſtitutum ſibi ſcopum aliquo ſaltim modo pertinere videbatur. Ex quo igitur filium id ætatis conſequutum eſſe arbitrati ſunt, qua ſalutari cognitione imbui poſſet, ſacras tabulas ſępius ſępiuſque relegere domi eum oportuit, & ſevera lege caverunt, ne quacumque alia re, & ne ſummo quidem frigore ſe impediri patiatur, quo minus ſtatis diebus ſacris intereſſet concionibus, quæ ſæpe ante lucem, quarta nempe diei hora haberi conſueverant. Neque minus optimus pater eum prima linguæ Latinæ fundamenta, non certis horis huic negotio dicatis, ſed inter confabulandum ſermoneſque quotidianos tanta arte docuit, ut quum in puero mira ingenii eſſet docilitas, inſignes plane fecerit progreſſus. Octavo enim circiter ætatis anno ad ludum litterarium miſſus, ſextæ ejuſdem claſſi per trium modo menſium ſpatium interfuit, quum publica profectuum habita diſquiſitione dignus jam eſt habitus qui ordini quinto adſcriberetur. Pari diligentia atque animi contentione reliquas percucurrit claſſes, donec primariæ premeret ſubſellia. In his vero omnibus optimos quoſque ſemper nactus eſt præceptores. Eruditus nempe eſt a *Pohlio*, *Kranzio*, *Gryphio*, *Neumanno*, qui eum non ſolum humanitatis ſtudiis, quibus puerilis pariter atque juvenilis ætas impertiri debet, imbuerunt, verum etiam, quoad ejus fieri potuit, ſublimiores jam docuerunt diſciplinas. Inprimis vero ab ineunte ætate inſignem philoſophiæ dedit operam, eique licet paullo ante excitatus *Gryphius* eam Ariſtophanis dictis inter prælegendum ſæpius ſæpiuſque riſui exponeret, tanto incubuit ardore, ut quum, quid ii, quorum paupertas beneficiis publicis ſublevebatur, didiciſſent, perquireretur *Hankenio Athenæi Eliſabethani Rectori*, viro μεταφυσικωτάτω, prompte reſpondendo mirum in modum ſe probaverit. Quum vero doctiſſimus *Caſparus Nermannus* in prælectionibus, quibus ſanctioris doctrinæ præcepta explicare erat ſolitus, quam manca ſit philoſophia Scholaſtica, quæ in illa deſiderari, quæ recidi poſſint ingenue indicaret, ac mala inde in ſacras litteras redundantia non raro indignabundus oſtenderet; *Wolfius* noſter ejuſdem defectus citius perſpexit, & jam tum de quibuſcumque rebus in ea pertractatis notiones paullo meliores ſibi formandi cepit conſilium. In quo quidem negotio eo felicius eſt progreſſus, quo magis *Pohlii* adhortationibus permotus Carteſianæ Philoſophiæ penetralia ſcrutatus eſt. Interea inſigni proficiendi ſtudio flagrans mirifice optavit, ut quæ paullo ante in publicam lucem erat emiſſa Illuſtris *Tſchirnhauſii medicinam mentis* legendi ſibi daretur occaſio. Attamen quum præclarum hunc librum Wratislaviæ nullo modo poſſet conſequi, & ibi ne locus quidem ſupereſſet, unde illum mutuum ſumeret, cupiditate quidem non imminuta, neceſſitate certe coacta iis quos forte habuit libris contentum eum eſſe oportuit. E quorum numero hoc ſaltim tempore ſæpius ſæpiuſque perlegit *Agricolæ* libellum, qui *de arte dialectica* inſcribitur, eam potiſſimum ob rationem, quoniam philoſophiam, quam ajunt ſcholaſticam, in eo falſe atque acriter Autor perſtrinxit.

Laboribus hiſce ſapienti conſilio ſuſceptis ſanctiorum litterarum junxit culturam. Non enim modo *Nermannum Königii Theologiam poſitivam* apertius explanantem ſtudioſe diligenterque audivit, ſed etiam domi aliorum Syſtemata exquiſita induſtria evolvit, & diurna nocturnaque verſavit manu. Neque illorum, qui in rebus ad fidem pertinentibus nobiſcum diſſentiunt, libros, quibus quid credant negentque copioſius exponunt, intactos reliquit. In primis reformatorum & romano-catholicorum ſententias perſpiciendi valde erat cupidus, & ſcripta eorum theologica ſumma cum cura perlegit.

Omnibus hiſce quantiſcumque rebus minime tamen potuit impediri quo minus amœniſſimæ mathematicæ diſciplinæ ſe traderet. Quamquam enim Wratislaviæ egregii quid in ea præſtandi ipſi deeſſet facultas, cum præter uſum ſphærarum mundi & cognitionem figurarum geometricarum nihil eum docerent præceptores; ſuo tamen marte, in-

credi-

credibili quodam ſtudio in eamdem incubuit. Etenim ſimul ac *Friſii arithmeticam latinam*, *& Horchii arithmeticam germanico idiomate conſcriptam* ei evolvere licuit, nulli pepercit labori, donec præter alia radicem quadratam & cubicam extrahendi calculique, quem ajunt, litteralis didiciſſet artificium. Pari felicitate in geometricis addiſcendis minime eſt uſus. Namque primo non potuit perſpicere quænam tandem his poſſent confici, & quibus rebus aliquando uſui eſſent. Deinde poſtquam in bibliotheca publica *Clavii* opus vidit, atque evolvit, parum obfuit quin totam hanc abjiceret diſciplinam, cum demonſtrationes diffuſas quas ibi adtulit nulli unquam poſſet intelligere negotio. Attamen inſignis ille diſcendi ardor qui animo ejus alte quaſi infixus hærebat, non potuit penitus extingui, qui etiam deinde tam inſigniter inclaruit, ut, quum de academia eligenda ipſi eſſet cogitandum, *Jenam* præ ceteris eligeret, ubi, duce *Hambergero*, matheſin atque phyſicam poſſet edoceri. Quam prudenter hac in re ſit verſatus ejus rei poſtea abunde docuit eventus. Anno enim milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo nono Jenam profectus talem in *Hambergero* nactus eſt doctorem qualem unquam ſibi optare potuit. Hunc *Sturmii* matheſin *enucleatam & compendiariam*, ejuſdemque Scriptoris *phyſicam conciliatricem* pariter ac *Tſchirnhauſii medicinam* mentis explicantem tanto gaudio perfuſus audiebat, ut *Pohlium* per litteras faceret certiorem: *ſe jam Hambergeri eadem lætitia qua antea Nermanni rerum difficiliorum percipere explicationes*. Attamen, quoniam allegati libelli mathematici euclidea ratione minime erant conſcripti, ſæpe ſcopulos offendit, quos ſuperare haud potuit, niſi, ubi calculi litteralis ope his quoquo modo lucem affundere conatus eſt, donec *Taquetti* elementis euclideis uſus etiam ea demonſtrationibus poſſet firmare, quæ *Sturmius* corollatiorum loco tantum poſuerat.

Præter alias, quæ matheſin omnem exhaurire videntur, diſciplinas, philoſophiæ etiam in primis ſtuduit. Ut enim fundamenta quæ jam in urbe patria jecerat quævis ſubſtrueret ſolidiora Treuneris, Hebenſtreitiis, Milleris aliiſque viris clariſſimis qui inſigni tunc ingenii doctrinæque fama floruerunt, haud interrupta diligentia ſe præbuit erudiendum. Neque juriſprudentiam plane reliquit intactam, & tanta animi contentione ſanctioribus litteris præeuntibus præſertim *Treuneris*, *Milleris*, ac *Bechmannis* ſtudium ſuum dicavit, ut quem aliis rebus impenderat laborem, in hanc unicam præclariſſimamque diſciplinam contuliſſe videtur. Tribus annis in ſtudio, quod ipſi erat ementiendum, tam laudabili ratione peractis *Lipſiam* circa dies feſtos quibus memoriam nati Chriſti publica concione recolimus, anno CIↃ IↃ CCII. ſe contulit, ut ibi ſummos in philoſophia peteret honores. Inde profectibus ejus trutina quaſi examinatis Jenam rediit, ubi aſtronomiæ diſcendæ cauſſa per anni adhuc ſpatium eſt commoratus. Hic, uti alias ſemper; ita nunc præſertim in matheſi ac philoſophia domi mirificum poſuit ſtudium. In primis hoc tempore Tſchirnhauſii medicinam mentis ſedulo perlegit. In qua quum multa inveniret quæ intellectu eſſent difficillima, & alia ex aliis eum impedirent quo minus cum fructu quodam pedem ad cetera poſſet promovere; ipſe ſibi quaſdam formavit rerum notiones quas cum terminis ibi repertis optime connecti poſſe arbitrabatur. Quid? quod, quum illuſtris ille ſcriptor nullibi indicaſſet, qua ratione primæ quaſi lineæ definitionis realis eſſent inveniendæ, jam tum rem cogitando eſt adſequutus quam deinde omnium cum plauſu ſuis operibus intertexuit. Interjectis quibuſdam menſibus Lipſiam iterum excurrens ipſis nundinis, quas dicunt paſchalibus, perilluſtrem illum virum convenit, eidemque animi ſenſa patefecit, quid nempe in ejus libro ei impeditum occurriſſet, & quomodo laqueis hiſce ſe ſtuduiſſet expedire. Quæ quidem ille haud ſibi diſplicere adfirmavit, ſed de elementis definitionis realis, & ratione, qua artem calculi differentialis ſibi acquireret ſciſcitanti nihil fere reſpondit, & hujus tantum gratia quaſdam mathematicorum præſcripſit lucubrationes. His Jenam reverſus magna cum induſtria perlectis inſignem ſane matheſeos ſibi acquiſivit cognitionem, quam ut Lipſiæ potiſſimum doceret, illuc circa finem anni CIↃ IↃ CCIII. ſe recepit.

Quo vero jura docentium more majorum rite obtineret, quam Jenæ jam elaboraverat diſſertationem: de *philoſophia practica univerſali methodo mathematica conſcripta* ſum-

Digitized by Google

ma laude in philoſophorum exedra defendit. Hoc, quantum ſcimus, primum erat opus, quod cum orbe erudito Noſter communicavit, ſed tam præclarum tamque excellens, ut quiſque jam tum de eo poſſet judicare, qualis olim futurus eſſet. A prima juventute de emendanda philoſophia practica cogitaverat, & hoc aliquando efficiendi tanto flagrabat deſiderio, ut a ſe minime poſſet impetrare, quin primo quo inter eruditos inclareſceret ſcripto, immenſum hunc laborem adgrederetur.

Antea vero quam hæc conatuum quorumcumque primordia typis exſcriberentur, *Ottoni Menkenio* tunc temporis moral. Prof. ut in academiis ſolet offerre eum oportuit. Cui vero, ut & aliis viris doctiſſimis *Tſchirnhauſio* ac *Nermanno* tam mirifice placuiſſe accepimus, ut ex quo hanc diſſertationem perlegerat *Wolfium* in *actis eruditorum* conficiendis ſibi deligeret ſocium. Neque his contentus erat vir iſte admodum præclarus, ſed inſigne hoc ingenii doctrinæque Wolfianæ monimentum perilluſtri miſit *Leibnitio*, qui brevi tempore poſt non ſolum ei indicavit ſe magni id facere, ſed etiam ad Noſtrum perferendas curavit litteras quas hic dum inopinato illas acciperet non niſi rubore ſuffuſus potuit reſignare benigne tamen excipiens ea, quæ in diſſertatione ingenue notaverat *Leibnitius*.

Simul atque facultate publicas aperiendi Scholas eſſet ornatus ſine mora matheſin docere cępit, in quo ut eo felicius poſſet progredi, libros ad hoc negotium neceſſarios *Pfautzius* & *Pauli* ei ſubinde mutuo dederunt. Neque alias ſepoſuit diſciplinas. Phyſices enim præcepta duce *Sturmio* litterarum ſtudioſis diligenter explicuit, & in logica pariter ac metaphyſica rectius inculcanda inſignem plane adhibuit operam. Hanc quidem ad nullius ſed ſui ipſius tradidit arbitrium, quum hujus rei ſyſtema non conſcripſiſſet *Leibnitius*, & libros metaphyſicos quotquot forte exſtarent nauci floccique jure meritoque faceret; in illa vero explicanda ſæpius jam excitata *Tſchirnhauſii* medicina merito uſus eſt. Quamquam enim illuſtris quidam ſcriptor profitetur Noſtrum jam tum ſummam libri in charta notatam ſuis exornaſſe ſententiis aliiſque propoſuiſſe, tamen, ut hoc credam minime poſſum adduci. Immortalis enim *Wolfius* ipſe adfirmare ſolitus eſt: *Willenbergium celeberrimum quondam Gedanenſium profeſſorem* popularem ſuum primam quaſi ſibi dediſſe occaſionem litteris conſignandi quid in logicis docendum eſſe putaret, quum ille privignos ſuos *Danielem* & *Caſparum Barthios* ſibi erudiendos tradidiſſet. Hi vero eo, quod doctiſſimus iſte vir indicavit, tempore adhuc inter Athenæi Gedanenſis ejuſque claſſis ſecundæ cives locum obtinuerunt, neque tum de academia quidem eligenda fuerunt ſolliciti. Sed hæc obiter adnotaſſe ſufficiat.

Hac in re *Wolfius* noſter legendo, diſputando, atque interdum etiam ſacras ad populum habendo orationes, tam fortiter tamque pulchre ſtetit, ut, gloria ejus in diverſas oras perlata, anno CIↃ IↃ CCIIII. *Gedanum ad matheſin docendam*; anno CIↃ IↃ CCV. *Viſmariam* ut ſcholam regeret, & non multo poſt *Gieſſam*, ut mathematicas diſciplinas traderet, evocaretur. De hoc ultimo triſtiſſima rerum quarumcumque facie certior fiebat quum anno CIↃ IↃ CCVI manſuetiores muſæ bello Svevico adactæ huc illuc deliteſcendi cauſſa confugerent, atque in acroateriis nulla fere vox docentium audiretur. Idoneum igitur tempus ratus has ſubeundi partes Gieſſam contendit, ubi a *Webero academiæ illius poſtea cancellario* humaniter ſane eſt exceptus. Quum vero princeps longe abeſſet a ſuis regionibus, & Noſter inde impediretur, quo minus munus ſibi delatum capeſſeret, animo ſecum conſtituit ad ſuos proficiſci antea quam rerum & fortunarum ſuarum ſedem Gieſſæ collocaret. Sed longe aliud decreverat providentia. *Halam* enim Saxonum in itinere pervenienti viri illuſtres *Stryckius* & *Hoffmannus* valde perſuaſerunt, ut hanc potiſſimum præ illa eligeret academiam, quoniam *Hambergerus* eum in primis dignum judicaſſet, qui matheſi tradendæ præficeretur, & ibi præterea amplior eſſet campus in quo virtus ejus excurrere poſſet ac cognoſci. Celeberrimus *Hoffmannus* litteras dedit ad *Leibnitium*, & *Wolfium* ut idem faceret ſedulo eſt cohortatus quo eum libero Baroni a *Dankelmann*, cui academiarum cura tradita erat, commendaret. *Leibnitius* qui Noſtrum ob inſignem quam ſibi pepererat quarumcumque rerum cognitionem jam inde ab aliquot annis immenſius amaverat, non potuit quin precibus ejus ſtatim adnueret. Simulac *Wolfius* id reſcivit iter ſuum *Berolinum* dire-

Digitized by Google

direxit, & *Dankemannum* conveniendi quæſivit occaſionem, qui unius menſis ſpatio omnem rem confecit. Inde ad ſuos tendens, Halam circa finem anni CIↃ IↃCCVI. reverſus eſt, ubi rerum conditionem longe aliam eſſe reperit quam cogitarat ante, aut ſaltim optaverat. Matheſis tum incognitum quid ibi erat, atque ignotum & philoſophiæ ratio ſic erat comparata ut ei nequaquam poſſet placere. Præterea *Thomaſius*, *Gundlingius*, ac *Rüdigerus* eam cum tanto omnium plauſu docebant, ut ne eſſent quidem qui ipſum vellent audire. Primis igitur temporibus juvenes inſtitnit matheſi, architectura, civili, ac militari, ad ductum aliorum; algebra autem ad regulas, quas ipſe compoſuerat. Poſtquam vero *Hoffmannus* Berolinum diſceſſerat, phyſicam experimentalem pariter ac dogmaticam tradere incepit. Quamvis autem deinde petentibus quibuſdam etiam reliquas philoſophiæ partes prælegeret, diſcipulorum tamen exiguus erat numerus, donec lecti quidam juvenes inter quos & *Kohlerum* Jenenſium poſtea profeſſorem fuiſſe intelleximus, novi quid audiendi cupiditate forte adducti eum accederent. Attamen quum præter ſpem atque opinionem Noſtrum harum rerum peritiſſimum eſſe indicarent, ejuſdem ſcholas frequentarent, ac alios ſi qua de rebus litterariis orta eſſet lis, facile vincerent, mirum in modum eorum numerus eſt auctus.

Interea Lipſienſes mox perſpiciebant qualem amiſiſſent virum, & *Olearium Fritſchiumve* juſſerunt ei perſuadere ut illuc rediret, quod tamen noluit, quum nefas putaret partes vix ante annum ſuſceptas deſerere. Permanſit igitur Halæ Saxonum, & quantum in eo fuit diſputationibus commentationibuſque academiæ gloriam illuſtravit, donec anno CIↃ IↃCCVIII. novo & intacto hucuſque operæ *Ærometriæ* orbem eruditum donaret, quo tantum ſibi acquiſivit nomen, ut ſequenti anno regia Londinenſis ſocietas eum in ſuorum numerum libere cooptaret, & Berolinenſis academia eum quoque ſibi adjungeret ſocium, ne quem peregrini honoribus auxiſſent plane neglexiſſe videretur.

Eodem tempore *elementa matheſeos* quatuor voluminibus in forma octupla & deinde *tabulas ſinuum & tangentium* in lucem eduxit. Anno CIↃ IↃCCXII. *logicam patrio ſermone* conſignatam evulgavit, quæ quantumvis parvus eſt nec adeo magnæ molis libellus, maximo tamen rei litterariæ fuit emolumento. Eo vero qui hunc excepit anno opera *mathematica latina* duobus voluminibus quarta forma conſpicuis prælo ſubjecit, quæ tanti æſtimabantur, ut mortuo *Planero* altioris apud *Vitembergenſes* matheſeos profeſſore auguſtiſſimus Poloniarum rex patres academiæ juberet *Wolfio* noſtro munus hoc offerre. Quo facto hic quidem illud non renuit; inſcio tamen rege noluit diſcedere. Hunc igitur hac de re humillime fecit certiorem, qui quum bene cognitum haberet, quanto uſui academiæ adhuc eſſe poſſet, beneficiis devinctum ſtuduit retinere eidemque non ſolum majorem pecuniæ ſummam, ſed etiam honores, ut ejus nempe eſſet a conſiliis liberaliter decrevit. His grato, ut ingenuum hominem decet, animo acceptis Vitembergenſibus iterum, quid demum ſecum conſtituiſſet ſciſcitantibus, Halæ ſe manſurum reſpondit. Sed vix hoc negotium erat confectum, quum aliæ jam longe meliores amplioreſque ei deferrentur partes. *Petrus* enim *S. Ruſſorum Imperator* æterna memoria digniſſimus, qui omnem movit lapidem ut populum ſuum politiorem redderet felicioremque, ex omnibus fere regionibus doctiſſimos peritiſſimoſque homines conſcripſit quorum opera recte uteretur. Quoniam hi vero ſæpe novas ei offerrent rerum inventiones mirifice optavit Wolfium ſecum habere, qui has poſſet dijudicare. Quod quum Noſtro eſſet nunciatum, parum abſuit quin hoc munus ſubiret, donec tandem exquiſito *Leibnitii* conſilio, atque hoc diſſuadente, ultro illud recuſaret. Sequenti tempore multas commentationes foras dedit, & in primis anno CIↃ IↃCCXVI. notiſſimum illud *Lexicon mathematicum* typis exſcribendum curavit, quod non modo in Etruricum idioma translatum, ſed etiam apud nos multoties prælo eſt ſubjectum. Eodem anno *Leibnitius* doctorum immo litterarum decus Vienna rediens Halæ eum convenit. Illuſtris hic vir cui hominum ſalus curæ cordique erat graviter eum eſt hortatus, ut quam ante plures annos edidiſſet inventionem de *multiplicandis frumenti granis* ulterius ſtabiliret. Non potuit quin tanto viro obtemperaret & rem experiendo tentandoque mirifice confirmatam ſingulari libello, qui tamen poſt mortem Leibnitii demum prodiit, erudi-

eruditorum ſubjecit diſquiſitioni. Interjecto quodam temporis ſpatio *epitomen elementorum matheſeos* compoſuit, & non modo actis eruditorum quaſdam commentationes inſeri paſſus eſt, ſed etiam *Leibnitii vitam* breviter dedit delineatam; & quum ſereniſſimi academiæ Jenenſis nutritores ei ſignificarent ſe eum in Hambergeri ſui quondam præceptoris locum velle ſuffigere, huic tamen provinciæ ſibi delatæ in univerſum excuſari maluit. Quodſi vero alius annus certe CIↃ IↃ CCXX. in primis notatu eſt digniſſimus; quippe quo *metaphyſicam* quæ tot movit lites, & *philoſophiam practicam* cum eruditis communicavit. Illa cum Leibnitii præceptis mire convenit, licet ejus *monodalogiam*, & *controverſias ejus* cum *Clarckio* aliquantum poſt demum viderit, id quod maximam hominis ſagacitatem nobis ante oculos ponit, qui ex pauciſſimis Leibnitianis mentem ejus & veritatem potuit eruere. Quid, quod? hoc anno cum *Prorectoris* munere ac honore auctus, rum a *Petro magno*, ſub quibuſcumque conditionibus vellet, & a *Bononienſibus*, ut ſummo negotio Reno in Padum derivando præeſſet, vocatus eſt. Attamen uti in rebus humanis ſic eſt comparatum ut ſerenum tempeſtas turbulenta ſubinde excipiat; ſic fortunam, de qua Noſter huc uſque lætatus erat, quævis mala ſequuta ſunt. Quoniam enim omni modo ſaluti juvenum ſtuderet; ſæpe eos monuit, ut, quæ in diverſis diſciplinis obviæ eſſent, notiones obſcuras ac confuſas, ope philoſophiæ lucidas redderent atque apertas. Hoc illi qui diſciplinas has docebant nullo modo ferri poſſe arbitrabantur, quorum ſimultas multo magis aucta eſt, quum anno CIↃ IↃ CCXXI. prorectoris provinciam *Langio* tradens in ſollemni panegyri orationem de *Sinarum philoſophia practica* haberet. Qua quidem recitata ſanctiorem doctrinam docentium mirificum in ſe concitavit odium. Ordinis hujus Senior *Breitchauptius abbas* ſequenti die in ſacra populi concione adverſus eum detonabat. Decanus, nomine ſociorum, poſtulabat, ut ad quod Wolfius minime potuit adduci orationis exemplum eis redderet, & *Strahlerus* interea, ſpe fortunæ ſtabiliendæ excitatus, libro Jenæ impreſſo, maximorum, imo periculoſiſſimorum errorum eum incuſabat. Quamquam vero Rex *Fridericus Wilhelmus* ſe hoc nullo modo paſſurum adfirmabat, tantum tamen abfuit, ut inimici ejus quieſcerent, ut potius omnia moliri conarentur. Componebant indicem errorum qui in ſcriptis Wolfii reperirentur, eumdemque tradebant philoſophici ordinis decano, qui eum pleriſque diſſentientibus, tamquam ab omnibus probatum, Berolinum perferendum curabat. Clementiſſimus Rex præter inimicorum opinionem Wolfium de his omnibus fecit certiorem, eidemque ut ſe defenderet, injunxit. Hic ſine mora imperata perfecit, cui diu nil adverſi accidit, donec hoſtes ejus novis calumniis eum perſequentes, regem pietate conſpicuum commoverent, ut die ſexto nonarum Novembris anno poſt reparatam hominum ſalutem CIↃ IC CCXXIII. mandatum publicaret, & Wolfium officio atque honoribus exutum, niſi capitis pœnam vellet ſubire, intra viginti quatuor horas regionibus ejus diſcedere juberet.

Quamquam Noſtro inopinato hoc fulmine tacto triſtior hic dies fuerit tetra illa nocte qua Naſonem olim Roma migrare oportuit; forti tamen animo ac conſtanti quævis ſibi cara, uxorem perdilectam, partuique proximam, ac filium uno vix anno majorem fato coactus reliquit, & intra duodecim horas Hala egreſſus Martisburgum ſe contulit. Hic diligenter ſecum reputavit, quo ipſi potiſſimum eſſet eundum. Namque in ſumma rerum ſuarum perturbatione non ſemel *Marburgum* vocatus, & Viennæ pariter ac Petropoli ſocietatum, ut ajunt, ſcientiarum conſtituendarum præſes erat electus. Rebus animo bene luſtratis *Marburgum* præferendum eſſe duxit, ubi a Sereniſſimo *Haſſorum Principe* ſummo cum gaudio eſt exceptus, qui ſeptem diebus modo interjectis poſtquam Berolini exilio erat multatus, litteras vocatorias ei tradi juſſit. Vix huc ſe contulerat, quum Ruſſorum Imperator ac Poloniarum rex magna ſpe excitatum in ſuas regiones deducere ſtuderent, quæ res ipſo renuente eo deducta eſt, ut per trium annorum ſpatium Marburgi moratus Lipſiam contenderet.

Primus quem hic conſcripſit libellus, *adnotationes erant in metaphyſicam*, quam præterlapſo brevi tempore *Bulſingerus* & *Ribovius* etiam ſibi ſumſerant illuſtrandam, ut quæ excogitatæ erant objectiones uno quaſi ictu concuſſæ jacerent. Interim inimici ejus ingentes motus excitavere, & nullam non in eum malevolentiam conjecere. Præter alios

alios *Buddeum*, qui crebriorum ſollicitationum pertæſus tandem ſuam de philoſophia Wolfiana ſententiam litteris conſignatam Halam miſit, ubi eo inſcio & invito ſtatim eſt evulgata. Attamen Noſter bene gnarus, quanto tam inſignis adverſarius ei poſſet eſſe damno, tacere nec potuit, nec voluit, durioribus interdum loquutionibus ignominiam ſibi illatam retundere coactus eſt. Dum hæc geruntur, non modo excitata jam oratio *de Sinarum Philoſophia practica*, & academiarum Tubingenſis, ac Jenenſis de ejus *Philoſophia*, præterea *Wiedeburgii* & *Stollii* ſententiæ minus honorificæ in lucem prodierunt. Prior illa ita erat comparata, ut quilibet intelligeret Hallenſes injuſta ira incenſos olim clamitaſſe eandem minus eſſe periculoſam. Poſteriores vero tanto minus fortunæ ejus nocuerunt, quanto magis *Petrus Magnus* circa primordia anni CIↃIↃCCXXIV. ſummo ſtudio Noſtrum petropolin allicere adniſus eſt; a quo negotio, quamvis antequam ad finem perductum eſſet immortalis Imperator diem obiret ſupremum, ejus celſiſſima conjux *Catharina* quæ rerum erat potita, non deſtitit, ſed ſub itidem conditionibus eum Petropolin evocavit; ſed quum bene animadverteret, eum Marburgum vix ac ne vix quidem eſſe relicturum profeſſoris ſaltim honorarii partes eum trecentis Imperialibus ei decrevit, quos dum viveret quotannis numeratos accepit. Multos deinde ſibi paravit amicos tum in Gallia, aliiſque regionibus tum etiam in Germania, ubi ſummi ſanctioris doctrinæ cultores, aliique ejus dogmata publice defendebant, docebantque; inter quos *Reinbeckios*, *Wagneros*, *Canzios*, *Winkleros*, *Guttſchedios* honoris cauſſa nominaſſe ſufficiat. Licet ei autem graviores interea hoſtes non deeſſent, indefeſſo tamen animo, & ſcribendo, & legendo, orbi erudito ſuam præſtitit operam, quum non parvus eorum numerus Marburgi confluxiſſent qui ab eo doceri mirifice optabant, inter quos *Danum* quemdam, quod populo huic ſempiterno erit honori, perilluſtrem nempe a *Braem* fuiſſe legimus. Hunc enim qui jam tum in rebus tabellariis regis a conſiliis erat, non puduit per aliquod temporis ſpatium publicis prælectionibus a Wolfio intereſſe, cujus poſtea ut imago ære excuderetur operam dedit ſingularique eamdem ornavit inſcriptione.

Anno CIↃIↃCCXXX. quum Sereniſſimus Princeps Haſſo-Caſſellanus *Carolus* e vita exceſſiſſet, ejus regiones jure hæreditario *Friderico I. Svecorum Regi* devolvebantur. Qua quidem rerum viciſſitudine ac converſione Noſter nullam vagæ, volubiliſque fortunæ expertus eſt mutationem. Talem enim in hoc ſapientiſſimo Rege nactus eſt dominum ſibi propitium, qualem unquam potuit optare. Etenim vix illi Marburgum ingreſſo profeſſores de exoptato adventu gratulati ſunt, quum avide jam percontaretur, quiſnam eorum eſſet Wolfius eique procedenti clementiam ſuam, & quævis commoda ſi qua peteret promiſit. Antea vero quam in Sveciam abiit, Caſſelæ cum illo per duas fere horas collocutus eſt, atque eum adhuc ibi commorari ſeque iterum convenire juſſit. Quam egregiam erga noſtrum benevolentiam & Holmiæ præclare ſane oſtendit. Quoties enim nobili genere prognati in Germaniam profecti ſunt, ſemper eis mandavit ut ſuo nomine Noſtrum ſalutarent, cujus præterea litteris maxime delectatus eſt, & ad eaſdem clementer reſpondit.

Uti vero inde ab anno CIↃIↃCCXXVIII. opera latina edere cæperat, ira ſequenti tempore in hoc negotium mira animi contentione incubuit. Quo quidem tantam ſibi acquiſivit gloriæ amplitudinem, ut non modo Gœttingenſis academiæ conſtituendæ profeſſor, ſed etiam *academiæ Pariſienſis ſocius* a Rege eligeretur, qua de re celſiſſimus comes de *Maurepas* & illuſtris *Reamurius* eum fecerunt certiorem. Tam inſignis, quæ de illo percrebuerat fama auguſtiſſimo Boruſſorum Regi incognita eſſe haud potuit. Vidit gloriam ejus in dies dieſque latius exereſcere, & tandem virorum quorundam ſago togaque clariſſimorum ope, ejus perſpexit innocentiam. Tantum igitur abeſt ut ſententiæ ſuæ, olim promulgatæ pertinaciter inhæreret, ut perilluſtrem *Coccejum* potius juberet Wolfio nunciare: regem clementer de eo cogitare, atque id agi ut Halam academiæ Procancellarius, & conſiliarius intimus cum ſalario bis mille Imperialium revocaretur, quamprimum ut redire vellet reſcripſiſſet. Hoc tam inopinato ei accidit, ut ſatiuſne eſſet abire, an Marburgi ſubſiſtere, ſtatim non potuit perſpicere. Deliberandi igitur ſpatium petiit, quo præterlapſo quum bis interea eſſet admonitus, de Mar-

 bur-

Digitized by Google

burgo diſcedere recuſavit. Id quod Suecorum regi tam gratum fuit, ut eum aureo numiſmate inſignis plane valoris donaret, & ſtatus conſiliarii honoribus ornaret. Interea ii, qui in academiis *Bruſſicis* Wolfianam philoſophiam impenſius amabant, tam præclara regis erga Noſtrum benevolentia excitati, eamdem publice docere audebant. *Langius*, ut facile eſt intellectu, æquo animo id ferre haud potuit, ut quam tanti animi fervore olim ſuppreſſerat, philoſophia jam publice traderetur. Rogavit illuſtres viros, quibus academiæ cura erat concredita, ut rem tam periculoſam impedirent, & quo majora conſequi poſſet, venia impetrata ad regem Potzdamum contendit. Hic omnia verbis ac precibus expertus eſt, ut ejus animum ad ſuam ipſius voluntatem flecteret; qui vero hac in re lento procedendum eſſe gradu ratus poſtulavit, ut præcipuum errorum indicem componeret. Quo facto alterum ejuſdem exemplum *Wolfio* miſſum, ut ſe defenderet, alterum vero traditum eſt *Reinbeckio*, qui ea quæ *Wolfius* procul dubio eſſet reſponſurus litteris conſignavit, cum quibus mirifice convenit Noſtri defenſio; & quidem tum ea, quam plurimis verbis, tum illa, quam in uſum regis ſtrictim & breviter conſcripſerat. At clementiſſimus Princeps de hoc negotio nullam plane ferre voluit ſententiam, ſed litem harum rerum peritiſſimis *Coccejis*, *Jablenſkiis*, *Reinbeckiis*, *Nolteniis*, *Carſtedtiis* tradidit dirimendam, qui, cauſſa cognita, atque ad leges veritatis exacta erroris ſuſpicione *Wolfium* abſolverunt.

Quo facto *Langius* coactus conticuit & cuivis Wolfianam philoſophiam docendi libera fuit poteſtas. Cujus quidem conditor deinde gratam ſuam mentem teſtaturus ſecundum philoſophiæ practicæ tomum clementiſſimo regi ſacrum eſſe voluit, qui hac de re admodum lætatus, ei nunciavit, ſe illum quibuſcumque vellet conditionibus *Francofurtum* eſſe evocaturum. Quod cum Noſter humillime declinaſſet, eum eodem adhuc anno ter ſollicitavit, modo *Francofurtum* modo *Halam* proponens, ea lege, ut ne ibi quidem doceret, quoniam quod eodem tempore a *Suecorum* rege ipſi erat oblatum, ſatis eſſet, ſi cui viro leges præſcriberet quibus diſciplinæ optime eſſent tradendæ. Attamen neque his ſollicitationibus, neque *Ultrajectinorum* promiſſionibus potuit adduci, ut carum ſibi Marburgum relinqueret, quod efficiendi ſapientiſſimo, qui nunc rebus præeſt, *Boruſſorum* regi, ævi noſtri Auguſto, & totius orbis terrarum decori nunquam perituro, data erat poteſtas. Huic immortali regi, quum Princeps adhuc eſſet hæreditarius, ſub initium anni CIↃIↃCCXXXX. *primum juris naturæ* tomum humiliter dicavit, qui litteris ſua manu exaratis inſignem erga eum benevolentiam octo diebus ante patris mortem oſtendit. Quid de tanto Principe, quum ad gubernacula rei publicæ accepiſſet, de rege tam ſapiente atque omni doctrina præclare imbuto quid, inquam res litteraria, quid Wolfius non potuit exſpectare? Et ſpes, quam quiſque de eo conceperat, neminem feſellit. Suſcepto enim imperio *Reinbeckio* mandavit, ut amico ſuo nunciaret, ſe eumdem conſiliarii intimi honoribus inſignitum academiæ *Berolinenſis* ſocium velle conſtituere. Ipſe deinde *Charlottenburgo* bis ad eum litteras miſit, eique duo millia Imperialium cum libertate prælegendi daturum; & quum Noſter vitam academicam magis ſibi placere innueret ſub iiſdem conditionibus academiæ *Halenſis Procancellarium* atque juris naturæ pariter ac matheſeos profeſſorem eum electurum eſſe adfirmavit. Hoc minime recuſanti rex non modo denuo ſcripſit addens, ſe effecturum, ut numquam conſilii hujus eum pœniteat, ſed etiam ſtatim operam dedit, ut Holmiæ diſcedendi ei poteſtas concederetur. Qua impetrata Noſter iter parare inſtituit, & lugentibus urbis academiæque civibus item anno CIↃIↃCCXXXX. pridie calendarum Decembris idem ingreſſus octavo iduum ejuſdem menſis, ſalvus ſoſpes ac felix *Halam* pervenit.

Quanto hic gaudio fuerit exceptus, verbis vix poteſt exprimi. Ultra primum ab urbe lapidem magnus ſtudioſorum eo obviam venit numerus, ſex curſoribus publicis præcurrentibus cornuaque inflantibus. In proximis vicis cives Hallenſes adventum ejus expectarunt. Extra portam in plateis, in foro, incredibilis hominum fuit concurſus, qui clara voce ſalvum eum eſſe juſſerunt. E regione domus, quam habitaturus erat, *Thomaſianæ* vehemens tympanorum tubarumque ſonus perſonabat, & ante ipſam domum inque ejus atrio tantus fuit confluxus, ut ægre eamdem poſſet intrare, & hume-

meris quaſi in conclave ferretur. Sine mora deinde profeſſoribus ſe adveniſſe nunciavit, qui poſtridie ejus diei, & ne *Langio* quidem excepto ei gratulatum convenerunt. Neque minus juſſus regi hoc per litteras ſignificavit, qui in itinere verſus Sileſiam Croſſa clementer ei reſpondit, ſumtuſque quos impenderat reſtituit. Tam inſignem denique innocentia reportavit victoriam, victoriam, inquam, quæ tanto rege, tanto Philoſopho, noſtriſque tam ſerenis temporibus erat digniſſima. Totus litterarum orbis, atque in primis Germania inſigniter de illa lætabatur, ita quidem ut *Kochius* celebris ille artifex, in ſempiternam harum rerum memoriam poſteris pie tradendam, ſingulare quoddam numiſma excuderet.

Initio deinde anni CIↃIↃCCXXXXI *Wolfius* programmate latino fata ſua breviter exhibente prælectiones indixit atque omnem ingenii doctrinæque vim ad docendum ſcribendumque contulit. Priores quidem, quos Halæ compoſuit, libros propitio ſibi regi conſecravit, quos ille clementer ſe excepiſſe litteris ſæpe teſtatus benevolentiam ſuam ipſi quovis modo oſtendere ſtuduit. Quum enim eo, quem paullo ante nominavimus, anno, Noſter regi victoriam ab hoſtibus reportatam pie gratularetur, hic ei non modo quam gratum ſibi hoc acciderit nunciat, ſed etiam brevi curam academiarum concredidit, quibus minime contentus mortuo *Ludevvigio* eum anno CIↃIↃCCXXXXIII. *cancellarii auctoritate* donavit atque honoribus. Ab hoc tempore peregrini in dies dieſque eum majoris æſtimarunt. Celeberrimus *Voltairius* eum cognoſcendi cauſſa Halam profectus eſt, ut ejus philoſophia, præter Germaniam, Galliam, Poloniam, ceteraſque Europæ regiones peragratas in ultimis Indiæ finibus tandem conſedit.

Tam præclara tamque ampla erat ejus gloria, ut ei nihil deeſſe videretur, niſi cui ad externum rerum ſplendorem reſpiciendi forte eſſet animus. Attamen hic etiam ad felicitatis ſuæ cumulum acceſſit, quum Sereniſſimus princeps elector *Maximilianus Joſephus dux Bavariæ*, & ſacri Romani imperii tum temporis adminiſtrator eum S. R. I. *Liberum Baronem & Nobilem Dominum* crearet. Nuncio ſane inopinato hac de re ad eum perlato, rem ad arbitrium regis ſui contulit, acciperetne hos honores an humillime deprecaretur. Sed clementiſſimus hic princeps ei non modo de iiſdem gratulatus eſt, ſed eoſdem etiam in ſuis regionibus ei habendos eſſe ſecum conſtituit. Quo facto ad regis nutum eis utendum eſſe duxit. Sequenti tempore a cujuſcumque ordinis hominibus tanta benevolentia complexus eſt, ut ejus documentis enarrandis tempus haud ſufficeret. Quædam tamen, quin exponam, haud a me poſſum impetrare. Primo quidem *ſereniſſimus Henricus Friſo princeps Arauſionenſis* ei numiſma aureum in electionem principis excuſum obtulit, inſigni honoris documento, nemini Batavorum eruditorum habiti. Deinde *princeps hereditarius Saxonicus cum ſereniſſima conjuge* anno CIↃIↃCCLI. Martisburgi per aliquot menſes moratus Noſtrum ad ſe accerſivit, & cum eo admodum honorifice excepto plurium horarum ſpatio eſt colloquutus. Tacebo Sereniſſimi *Zaluskii* ſummum de eo bene merendi ſtudium, & id tantum innuam, eum ſequenti anno in *ſocietatem Bononienſem* eſſe cooptatum. Celeberrimus *Zanottus* per quem hac de re certior eſt factus, litteris hujus gratia exaratis addidit, ſe illum ideo legiſſe, quoniam virum tam egregium qui etiam inter magnos eluceſceret, plane non potuiſſent præterire.

Jam ætas ejus valde ingraveſcebat, & tamen a laudatis operibus perficiendis nullo modo potuit averti. Quum enim ad *politicam*, & in primis *Œconomicam* quam morte impeditus ad finem non potuit perducere, manum admoveret, multos adhuc libros exarandi animum ſibi eſſe *Reaumurium* litteris docuit. Sed proh dolor! extinctum eſt ſplendidiſſimum temporum noſtrorum lumen, cui ſiqua vota ſuperfuiſſent immortalitatem præ multis eſſemus precati. Deceſſit florentiſſimis ſuis rebus, honorum, famæ gloriæ cumulo ornatus, & quod maximum eſſe videtur, toto orbe erudito mortem ejus complorante. Jam inde ab aliquot annis articulari morbo erat implicitus, quo paullo ante mortem vix liberatus, ex inteſtinorum morbo atque alvi obſtructione decumbere cepit. Somnum ei erat inquietum, & nulla fere cibi cupiditate ferebatur. Sudor per aliquod tempus ei fuit emolumento donec arthritis cum febre conjuncta rediret, & vires ejus ſenſim ſenſimque ita debilitaret, ut imminentem mortem ipſe prævideret. Ad Deum igitur confugiendum eſſe ratus, eidemque ad extremum ſpiritus halitum tanta

adhæſit

adhæſit fiducia, ut ultimis, quæ protulit, verbis auxilium ejus pio adfectu imploraret. Quo facto linguæ uſu privatus die quinto Iduum Aprilis anno CIↃ IↃ CCLIIII.; ætatis ſeptuageſimo quinto vitam cum morte commutavit. Sarcophago deinde ſtanneo conditus, & curru, cui ſex adjuncti erant equi, in templum, ubi eum ſepelierunt, vectus eſt.

Quodſi ad corporis animique dotes reſpicimus, prioris habitus ad proceritatem adpropinquabat, & neque pinguedine laboravit, neque macie fuit confectum. Facies ei erat liberalis, atque ad dignitatem virilem compoſita, naſus aduncus, os inter loquendum fere ſubridens, vox fortis, lenta, ob eamque cauſſam diſtincta. Quod ad animi vires attinet, fatendum quidem eſt, eum memoria non adeo excelluiſſe, cujus loco admirando inclaruit intellectu, quem mathematicis diſciplinis egregie perfecit. Pius præterea erat modeſtuſque, ac ſingularis juſtitiæ cultor, quam nulla umquam ratione lædi debere recte arbitratus eſt. Honores non quæſivit, & ultro oblatis moderate eſt uſus. Numquam elatius ſe geſſit, quum ab arrogantiæ crimine quam maxime eſſet remotus; ita quidem, ut, cum prædium equeſtre in Miſniæ tractu filii cauſſa emeret, illius dominum numquam ſe nominaverit, & mæſtiſſimam viduam, cum qua inde ab anno CIↃ IↃ CCXVI. vixerat, ante obitum rogaret, ne in ejus mortem neque orationes haberentur, neque ulla conderentur encomia, aut honoris monimenta. Hæc eſt vita, hæc ſunt res geſtæ viri, cujus mortem non modo invictiſſimus Boruſſorum rex graviter tulit, ſed quem omnes etiam ſic venerati ſunt, ut, quibus ipſum videndi ſpes erat intercluſa, imaginem ejus ſaltim ſecum habere optarent. De toto genere humano præclaro ſane modo eſt meritus. Namque præter reconditas, neque a quovis percipiendas veritates utiliſſimas facilique negotio adplicandas propoſuit. Multarum quidem rerum haud extitit inventor, ſed ea ex tenebris quibus erant circumfuſę, in lucem protraxit, tantaque diſpoſuit arte, ut maximam hac ex re laudem reportaſſe ſtatuiſque in æternum duraturis dignus eſſe videatur. Si plures poſterorum laudata ejus veſtigia preſſius ſequerentur! Utinam qui pari gradu eadem premere non poſſunt, propius tamen ab iiſdem abeſſent! Ita enim fore auguror, ut Germania, quæ ſplendidiſſimis nunc etiam fulget ſideribus, peregrinorum quorumcumque gloriam facile aliquando obſcuret.

Digitized by Google

EX ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIUM

Anni 1743. *pag.* 311. & *ſeqq.*

P*Rimam* hanc juris *Partem* Illuſtr. Auctor publici juris fecit, cum adhuc in Academia Marburgenſi doceret. Vix eam ediderat, cum & ad Profeſſionem Philoſophiæ in Academia Ultrajectina vocaretur, iis oblatis conditionibus, quæ ibidem inauditæ dicebantur, & ad reditum in Academiam Halenſem invitaretur; de quo nuper diximus. Non nova ſolum methodo Syſtema juris naturæ condit, eadem ſcilicet, qua in anterioribus operibus uſus; verum etiam huic juri omnem tribuit amplitudinem, quam habere poteſt, cum omnes omnino regat hominum actus liberos, qualeſcunque tandem illi fuerint. Non alium cognoſcit ejus fontem, quam ipſam eſſentiam atque naturam humanam, ex qua deducuntur continuo nexu obligationes & jura connata, de qua in hac *Parte prima* potiſſimum agit. Dividitur ea in *quatuor Capita*, quorum *primo* de Obligatione & jure hominum univerſali in genere. *ſecundo* de officiis erga ſe ipſum: *tertio* de officiis erga alios; & *quarto* de officiis erga Deum, & cum ſingulis connexis juribus, agit. Principia generalia dedit in *Parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis*, quibus in præſentibus demonſtrandis utitur. Quoniam vero ex obligatione naſcuntur jura, homini competentia; ideo quoque oſtendit, quænam eidem jura competant tum reſpectu officiorum erga ſe ipſum, tum reſpectu eorum quæ ad Deum & alios homines ſpectant. Quemadmodum itaque obligationem internam, quæ in conſcientia ſpectatur, ab externa quæ ſpectatur inter homines, ac inter eos effectum juris ſortitur, ubivis a ſe invicem diſtinguit, etſi utriuſque rationem habendam eſſe in jure naturæ contendat; ita etiam ubivis jus externum ab interno ſeparat, ne, quæ jure externo ab aliis hominibus promittenda confundantur cum iis, quæ in ſe licita ſunt. Præterea cum dudum juris Naturæ interpretes inter ſtatum naturalem ac civilem diſtinxerint, in utroque autem non eadem ſit officiorum & juris ratio; ideo Cel. Auctor ante omnia demonſtrat, quænam ſint hominis in ſtatu naturali obligationes & jura, ſuo deinde loco oſtenſurus, quomodo per ſtatum civilem immutentur. Subdividit autem Noſter ſtatum naturalem in originalem & adventitium, in quorum illo tantummodo vigent obligationes & jura connata, & in adventitium in quo hiſce ſuperaccedunt obligationes & jura acquiſita, dominio & imperio introducto. In ſtatu originario vigent jus libertatis & æqualitatis, jus ad res, quarum uſus hominis neceſſarius, ſiquidem ſatisfacere voluerit, jus ſecuritatis, & jus circa cultum Divinum; ex his enim certa deducuntur. Hæc igitur jura cum obligationibus, ſeu officiis, ex quibus ortum trahunt, præſentis *Tomi* argumentum præbent. Monet autem in Præfatione, per illa ipſa jura patere, dominium & imperium non minus privatum, quam publicum, introduci potuiſſe, quemadmodum ſuo loco ſit oſtenſurus. Ex dominio & imperio deducenda eſſe cetera jura omnia, qualiacunque tandem fuerint. Dari nimirum theoriam naturalem juris etiam civilis, in qua ex ipſis principiis juris naturalis oſtendendum, quid legibus naturæ addendum, vel demendum ſit, ut ex jure naturali, quemadmodum *Ulpianus* agnovit, efficiatur civile. Hanc partem juris naturæ agnoſcit Auctor, eam ſuo loco traditurus. Hæc ipſa theoria ſimul

docet,

docet, quomodo jus Gentium externum, quod voluntarium dicit *Grotius*, ex jure naturali deducendum ſit. Quando nimirum civitates introducuntur, quælibet civitas ſpectanda tanquam perſona ſingularis, ad quam tota applicanda ſunt jura, quæ ſingulis in ſtatu naturali competunt, & hic oritur jus Gentium internum. Enimvero civitates omnes, ſimul ſumtæ, conſtituunt civitatem quandam maximam, in qua per theoriam naturalem juris civilis determinatur jus Gentium voluntarium ex jure interno ſeu neceſſario, quod nonulli recentiores male rejecerint. Ex iis adeo apparet, quale ſyſtema naturæ Illuſt. Auctor ſibi condendum propoſuerit. Ceterum, ne quis exiſtimet, eum Philoſophiam Moralem cum jure Naturæ in unum confundere, in Præfatione monet, in Ethica demonſtrandum eſſe, qualis fieri debeat facultatum noſtrarum uſus, ut officiis ſingulis ſatisfaciamus, & ne jure externo abutamur. Ethicam ver. gr. ſumere, quod temperantia ſit virtus moralis, prudentia vero intellectualis; in jure autem naturæ id demonſtrari. In hoc inculcari, quod habitus morales & intellectuales ſint acquirendi, iiſdemque conformiter ſit agendum, vitandum iiſdem oppoſitos: in illa autem docendum quomodo habitus iſti acquirantur, oppoſiti vitentur, ac illis conformiter ſit agendum. Unde ſimul patet quid de Philoſophia morali Illuſtr. Auctoris ſit expectandum. Atque ita demum fieri poteſt, confidit Noſter, ut ſyſtema juris Naturæ & Gentium methodo demonſtrativa condatur, in quo obligationes & jura omnia ex ipſa hominis eſſentia atque natura continuo nexu deducantur, & ſequentia ex antecedentibus legitime demonſtrentur. Neque dubitat, fore, ut idem lucem affundat juris civilis Antiſtibus, & conſenſum juris Romani cum jure Naturæ, ac utriuſque differentiam, manifeſtet; ſimulque uſui ſit in Theologis in haud paucis Scripturæ locis interpretandis. Hæc quidem in genere tenenda ſunt de ſyſtemate juris Naturæ ac Gentium. Diximus ante *capite primo* Illuſt. Auctorem agere de obligatione & jure hominum univerſali in genere. In hoc igitur, explicatis differentiis obligationum & jurium in genere, jus æqualitatis & libertatis potiſſimum expendit; natura enim homines omnes æquales liberi ſunt. Sunt æquales, quatenus eadem habent jura, & iiſdem obligationibus tenentur; liberi ſunt, quatenus in agendo non dependent ab ullo alio niſi a ſe ipſo, modo nil faciant contra jus alterius. Æqualitas tollit prærogativam, ita ut nemini competat jus quoddam præ ceteris, ſed quod uni licitum, vel illicitum, id etiam alteri licitum, vel illicitum ſit, & præcedentiam ſeu jus priori in ordine a pluribus ſimul obſervando. Libertas non tollit obligationem naturalem, ſed tantummodo agentem independentem efficit a voluntare alterius, ita ut conſcientiæ ipſius relinquendum ſit, quid agat, nec ulli hominum rationem reddere teneatur actionum ſuarum, quandiu nil facit contra jus ipſius. Abuſus adeo juris eſt, qui officiis contrariatur, quemadmodum uſus iiſdem convenit, immo ab iiſdem exigitur. Ceterum hic etiam Illuſtr. Auctor agit de homine morali, qui eſt ſubjectum jurium & obligationum, eumque diſtinguit in integrum & corruptum, quatenus ejus actiones, tam privativæ, quam poſitivæ, cum obligationibus ac juribus ejuſdem conſentiunt, vel iiſdem contrariantur. Quando vero jus acquiſitum a connato ſeparat, quomodo modus acquirendi & titulus a ſe invicem differant, oſtendit. Nimirum modo acquirendi docet eſſe factum, quo juris reddimur participes, titulum vero eſſe rationem legalem, per quam pateat, factum quoddam tale jus parere poſſe. Unde titulus verus eſt, ſi factum fuerit verum, & lex declarat, hoc facto jus tale acquiri; putativus eſt, ſi putes factum eſſe verum cum non ſit, lex autem declaret, hoc facto jus tale acquiri; falſus denique titulus eſt, ſi factum quidem fuit verum, in eo autem erres, quod lex declaret, hoc facto tale jus acquiri poſſe. Ubi de officiis erga ſe ipſum agit, ante omnia urget, ſatisfaciendum eſſe tam officiis erga animam, quam erga corpus, & quoad ſtatum externum, nec ſatisfaciendum generi uni cum neglectu cæterorum, ac omnem fieri debere facultatum uſum, qui ad ſervandum legem naturæ requiritur, conſequenter ad perficiendum animam, corpus, & ſtatum externum, & ad arcendum ab iis omnem imperfectionem. Quodſi ergo cuidam amplius ſit facultatum, virium, ac rerum, uſus, & auxilium alienum majus, eum ad plura præſtandum obligari, quam alios; nemi-

Digitized by Google

neminem autem obligari ultra id, quod in ſua poteſtate eſt, hoc eſt, quod facultatum, virium ac rerum ſuarum uſu, alioque opere, ac auxilio, conſequi, vel evitare poteſt. Ideo obligationes diſtinguit in communes, quarum ratio ſufficiens continetur in natura & eſſentia hominis, quatenus ea eſt omnium hominum communis & propria, quarum ratio ſufficiens non continetur niſi in eſſentia atque natura hominis, quatenus eidem inſunt determinationes quibuſdam hominum individuis, aut uni eorum propriæ. Ex hiſce principiis generalibus in ſpecie deinde demonſtrat, ad quænam ſibi teneatur homo, tum quoad animam, tum quoad corpus, tum quoad ſtatum externum, & quæ eo fine competant ipſi jura. Inter jura hic eminet jus ad res, quibus indigemus ad ſatisfaciendum obligationi noſtræ. Rei enim nomine hic venit ens omne, quod homini uſui eſſe poteſt, veluti ad vitam conſervandam & commode ac jucunde tranſigendam, vel ad animæ corporiſque perfectionem quomodocunque promovendam. Res autem communi more dividit in corporales & incorporales, item in neceſſarias, utiles, & voluptuarias, quarum illas tam iſtis, quam hiſce, iſtas vero his præferendas eſſe demonſtrat, ac denique in naturales, induſtriales, & artificiales, ut doceri poſſit obligatio, res induſtriales & artificiales multiplicandi, & quænam de labore tenenda ſint, demonſtrari queat. Cap. 3. Quæ unuſquiſque ſibi debet, ea etiam debet alteri, quatenus citra neglectum officii hoc alteri præſtari poteſt, alter vero id in ſua poteſtate non habet. Hinc fluit officium generale de alio quocunque diligendo tanquam ſe ipſum, etiamſi ſit inimicus, cum ſi alter non ſatisfaciat obligationi ſuæ, vel contra eam & jus tuum faciat, ſibi ex eo non naſcatur jus, obligationi ſuæ non ſatisfaciendi, vel contra jus alterius faciendi; deducuntur autem porro in ſpecie, quæ quoad animam, quoad corpus, & quoad ſtatum externum debeamus aliis. Redditur autem ratio, cur ad officia humanitatis ab aliis nobis præſtanda nobis non competat niſi jus imperfectum: nimirum quia nemo nobis tenetur ultra id quod in poteſtate ipſius eſt, & citra neglectum officii erga ſe ipſum fieri poteſt, de hoc autem nobis non competit judicium, ſed idem relinquendum alteri vi libertatis naturalis. Quoniam vero læſio naturaliter admodum late patet, cum ſumatur pro qualibet actione, qua alter, vel ſtatus ejus externus redditur imperfectior; ideo copioſe admodum demonſtratur, quomodo quis lædatur vel quoad animam, vel quoad corpus, vel quoad ſtatum externum. Demonſtrat tamen Illuſt. Auctor, denegationem officii humanitatis non eſſe læſionem, etſi peccatum eſſe poſſit. Ex obligatione neminem lædendi naſcitur jus non patiendi, ut quis te lædat, quod jus ſecuritatis eſt, homini omni natura competens, & cui omnis læſio adverſatur. Ex jure ſecuritatis deſcendit jus ſe defendendi, hoc eſt, lædere intendenti, vel conanti, reſiſtendi, ne lædere poſſit, aut læſionem, quantum in nobis eſt avertendi, quod eſſe in ſe infinitum demonſtratur, ut ei in genere præſcribi nequeant limites, ſed hi demum ex circumſtantiis præſentibus ſint definiendi. De hoc jure defendendi pluribus agit Illuſt. Auctor, & quomodo ſalva charitate id ſit exercendum, quomodo in eo excedatur, & quodnam ex exceſſu aggreſſori jus naſcatur, demonſtrat. Agitur hic etiam de juſtitia quæ unicuique jus ſuum tribui jubet. Ex obligatione ſuum cuique tribuendi, naſcitur jus, vi perſequendi jus ſuum adverſus eum, qui id nobis tribuere non vult, homini natura competens, quod ſub ſe continet jus ſe defendendi adverſus eum, qui læſionem intentat, & puniendi eum, qui actu læſit; unde fluit bellum offenſivum, defenſivum & punitivum, quale obtinet in ſtatu naturali, & ex quo metiendæ ſunt actiones forenſes, & jus puniendi in ſtatu civili; metiendum quoque eſt jus belli, gentibus competens, quemadmodum ſuo loco Illuſtr. Auctor eſt oſtenſurus. Demonſtrat autem bellum geri poſſe, ac debere abſque odio partis adverſæ, nec in ſe amori inimicorum repugnare. Cap. 4. Quando de officiis erga Deum agit, hominem per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam ad ipſum colendum obligari, & Deum ab homine coli velle demonſtrat, & quidem in omnibus actionibus ſuis. Diſtinguit autem cultum internum ab externo, quamvis utrumque lege naturali præceptum demonſtret. Ad cultum internum refert pietatem, agnitionem Dei vivam, obedientiam eidem debitam, amorem ipſius, timorem filialem, magnificationem, fiduciam in eo, acquieſcentiam in providentia Divina,

Digitized by Google

na, gratum erga Deum animum, celebrationem nominis Divini, invocationem & gratiarum actionem mentalem; ad externum vero, reverentiam erga Deum, celebrationem nominis Divini, orationem, hymnos, cæremonias, inſtitutionem de Deo & de voluntate ipſius, lectionem librorum de Deo & de cultu Divino agentium, immo actiones omnes, quatenus per eas gloria Dei promovetur, tandemque conventus cultus Divini gratia celebratos. Hinc deducit jus in res naturales quoad omnem uſum, qui ad earum cognitionem facit, & ad eos actus quibus alterum, qui gloriam Dei obſcurat, vel ipſum blaſphematur, peccati ſui convincere poteſt, jus inſtituendi cæremonias cultus Divini in ſuum uſum, & Deum per figuras hieroglyphicas repræſentandi, etſi ejus nulla imago pingi poſſit. Superſtitionem vero omnem non minus, quam idololatriam, lege naturali prohibitam eſſe, oſtendit.

QUÆ-

QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
CUM ANIMADVERSIONIBUS IN OPUS
CL. WOLFII
DE JURE NATURÆ
AUCTORE
DOM. DE WATTEL
Ex Gallico in Latinum converſæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUCTORIS MONITUM.

COgitanti mihi de Jure Gentium ſcribere, fere ſecundum placita Cl. Wolfii, mihi ſeſe obtulit meditandum Opus ejus de Jure Naturæ: quod dum accurate perlegerem, ſi quid obſcuri offendebam notabam, & animadverſiones meas ſcripto mandabam. Quod ſtatim in uſum privatum faciens, opere paulatim excreſcente, cogitare cæpi eaſdem animadverſiones evadere poſſe hominibus harum rerum ſtudioſis non prorſus inutiles, ſi publici Juris fierent.

Deterrebat ſtatim magna mea ac juſta in Cl. Wolfium exiſtimatio profitentem inprimis, me plurimum ex ſcriptis ipſius profeciſſe: metuebam, ne quid moleſtiæ tanto viro crearem; metuebam, ne anſam præberem eius inimicis vituperandi ipſius opera quæ toti humano generi lumen quoddam oſtenderunt, & diſciplinas univerſas inſtaurare poſſunt, vera philoſophandi ratione, inſinuata ac præcipue definitionum legitimarum recto uſu commonſtrato.

Sed duo mihi ſcrupulum omnem exemerunt. 1. Cum Cl. Wolfius veritatis amore ſerveat, non ægre feret, conari me illam pateſacere & confirmare, præſertim cum agatur de rebus graviſſimis, in quibus non leve eſt quidquid erraveris præſertim ſi ad errorem philoſophi tam præſtantis auctoritas accederet. Brevis autem admonitio huic incommodo poteſt occurrere; hæc autem eo magis eſt opportuna quod operis tantæ molis quantæ eſt Jus Naturæ Cl. Wolfii, editio nova non ita cito ſperari poteſt. Quare ut idem opus utile nec periculoſum lectori præſertim juniori evadat, utile profecto eſt cenſuram quandam omnibus ejus partibus adhibere in quibus error latere poſſet. Quod dum molior, audaciæ notam apud æquos homines non reformido.

Ingenium ſummum præſtantemque doctrinam Cl. Wolfii quantopere agnoſcam, quantique faciam, publice teſtatus ſum, ita ut eum mihi magiſtri loco eſſe, ſciant omnes. Licet autem quædam animadvertere in ſcriptoribus, quos æquare non licet. Excellenti quodam ingenio ad condendum integrum ſolidæ Philoſophiæ ſyſtema

opus

Digitized by Google

opus eſt: animus attentus & recte judicans ſatis eſt ad errorem arguendum.

II. Itaque ita mihi perſuadeo, animadverſiones haſce meas apud ſanos homines auctoris exiſtimationi aut operis minime poſſe nocere. Hic enim locum habet illud: *ergo ubi plura nitent &c.* nam ſyſtema totum mirum opus eſt, eximia ſunt principia ejus generalia, concluſiones pleræque omnes legitimæ ac rectæ. Num ergo, ſi quando accidit, quod raro accidit, ut auctor falleretur in ſingularibus, ſi in catena concluſionum tam longa aliquid vitii logici vel parallogiſmus irrepſit, nonne, inquam, ob haſce paucas maculas injuſtum eſſet totum opus vituperare?

Ceterum, qui Cl. Wolfium decipi potuiſſe auſus ſum cogitare, poſſum ne meipſum ab errore immunem putare? Juris naturæ ſcientia videri quidem poteſt primo adſpectu ita recta ac plana, ut errori vix locus ſit. Tamen progrediendo res evadunt paulatim ita implicatæ, & ramos effundunt ita ſubtiles ac tenues, ut ſingula recte diſtinguere ſit difficillimum. Quare quamlibet attentus decipi ſæpe potui: non repugno; imo devinctum me fatebor iis, qui mihi errata mea commonſtrabunt, præcipue ſi urbane, prout honeſtos homines decet, mecum egerint.

Quicumque de hoc opuſculo ingenue judicabit, & quid mihi in eo propoſitum fuerit, perpendet, interpretationem & explicationem potius quam cenſuram Wolfiani operis eſſe ſtatuet. Ita ſi quis in lectionis decurſu inveniat in ipſo Wolfio quæ reponere poſſit iis quæ ſuperioribus locis ipſe objecerim, Wolfium ſane purgabit, non repugno; nec me tamen damnare jure poterit, qui locis ſingulis rectum ſenſum inducere conatus ſum, quæ ſparſa erant colligendo. Fortaſſe Auctor ipſe in *Ethica* ſua, cujus aliquod volumen jam vidi quin legere vacaret, multa ex meis occupavit, quæ tamen hic, ad capita doctrinæ quæ ſpectant annexa, certe inutilia non ſunt. Contra quædam labes eſt methodi analyticæ notiones, quæ junctæ ſibi invicem lucem præſtant, diſperdere.

Opuſculum hoc ab hinc plures annos perfectum erat: pluribus autem de cauſis jacuit, jamque reſpublica litteraria illuſtrem Wolfium amiſit: quæ jactura maxima memet incitat vehementius ut edere feſtinem ea quæ magnus hic philoſophus jam præſtare nequit.

C L.

Digitized by Google

CL. DE WATTEL
QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
ET ANIMADVERSIONES
IN CL. WOLFIUM
DE JURE NATURÆ
PARS PRIMA.

JUs Naturæ omnes homines afficit ejuſque ſcientiæ ſtudium cum jucundum cum etiam ad captum plurimorum factum. Quare ſperandum quæſtiones graves de hac ſcientia dilucide pertractatas acceptas fore ac gratas ætate hac ubi philoſophia floret.

Fortaſſe placuiſſent magis quibuſdam ſi ſeorſum prodiiſſent ſed certe minus utiles fuiſſent. Opus Cl. Wolfii de Jure Naturæ, nobis ubique offert definitiones claras principia & dogmata ſana ac fœcunda, fontes veros aperit unde notiones hauriendæ in poſterum de legibus naturalibus, dignumque eſt quod legatur ac perlegatur ab omnibus qui ſolida quærunt. Id me impulit ut meditationes meas ad hoc opus referrem quo conatus ſum illud utilius reddere, loca ſingula notando quæ mihi vel obſcuritatis vel erroris aliquid continere viſa ſunt. Gum agitur de re gravi eam diligenter utut breviter diſcutio; ſententiam meam ſi quando ab auctore diſcedit argumentis fulcio itaut lectores cognita cauſa judicare poſſint.

Illud quoque mihi propoſui pro ſtudioſa juventutis utilitate ut eam ſane

dia-

dialecticæ aſſuefacerem ipſi offerendo exempla ratiocinationis, perſpicue ac ſolide, ut recte quæſtionis ſtatum intelligere diſcerent vera ejus principia diſcernere quæque ex his legitime conſequuntur acute perſpicere atque concludere, quod unum ſi conſequi poſſim jam operæ pretium me tuliſſe putabo.

De obligatione acquirendi felicitatem.

Ecce exemplum primum quod a ratione demonſtrandi quo uſus eſt Cl. Wolfius petitum eſt.

Jur. Nat. Part. I. §. 280. inquit auctor *hominem teneri laborare ut acquirat felicitatem, & infelicitatem evitet.* Quod probat affirmando, teneri hominem colere virtutem, quæ ipſum felicem efficit, aut certe a felicitate ſeparari nequit, vitare autem vitium, quod ipſum miſerum reddit. Quæ argumentandi ratio mihi prorſus ſana non videtur; neque enim conſequens eſt eum qui obſtrictus eſt aliquid agere, obſtrictum etiam eſſe ad agendum quod ex primo pendet vel neceſſario. Fortaſſe enim dum primum quæro, ſecundum ne cogito quidem; ut proinde hoc me permovere nequeat, nec proinde eſſe cauſa mihi moralis agendi. Auctoris ratio pervincit quidem, felicitatem per ſe & neceſſario conſequi obedientiam & effectionem præceptorum naturalium, non tamen probat eſſe eorum finem. Verbo, qui pronunciat, nos teneri ad finem quia tenemur ad media, notionum ordinem ſi quid judico invertit. Mallem ſtatuere, eum, qui obligatur ad finem, obligari ad media.

Quare magis conſentaneum videtur curam gerere felicitatis noſtræ quia hæc princeps & potiſſima lex eſt, namque amor noſtrum eſt origo omnium actionum noſtrarum; cumque obligatio nihil ſit aliud quam *connexio motivi cum actione*, manifeſtum eſt, legem laborandi pro felicitate propria eſſe primam maxime generalem, ac ceterarum omnium fundamentum. Vide ſis *Specimen meum de Fundamento Juris Naturalis & primo principio obligationis* (*a*). Ex hac prima obligatione, ſeu lege, conſequitur altera lex quæ præcipit, ut nobiſmet perficiendis ſtudeamus, quia hoc unicum ad felicitatem confert; inde tertia lex virtutem acquirendi atque exercendi, ſine qua nihil perfectum. In adnotatione ad §. 283. Auctor ut objecto occurrat, ait, nos primo & directe non obſtringi ad quærendam felicitatem, ſed hanc oriri a perfectione quam quærere debemus: quod pugnat cum Propoſitione 288. ubi nequaquam affirmatur obligationem felicitatem quærendi eſſe tantum indirectam. In hoc §. 287. quæſtio eſt de voluptatibus levibus & innocentibus quas Auctor *permitti* credit, ideſt tam poſſe ſumi, quam pro lubitu omitti. Ex. gr. ex duobus cibis, qui æque valetudini conveniant ſi cetera ſint æqualia, licet eligere magis vel minus *jucundum neque lex ulla hic intervenit;* ubi ipſe Cl. Wolfius hæc ſibi objicit: quæ lex præcipit felicitatem quærere, præcipit etiam quærere voluptatem innocuam, etſi levem ac brevem; confert enim aliquid ad felicitatem, quæ ejuſmodi ſtatus eſt ut ſine mixtione moleſtiæ grata ſolummodo percipiantur. Cui reſpondet, legem quærendi felicitatem nequaquam pendere ex eo quod voluptas illam efficiens ſit innocua, ſed ex eo, quod naſcatur ex per-

(*a*) *In Otio Philoſophico.*

Digitized by Google

perfectione, quam quærere debemus: ergo juxta Wolfium eo loci felicitas eſt fructus legis obſervatæ, non finis.

Nonne ſatius eſt dicere, veram felicitatem eſſe ſcopum cujuslibet noſtræ cupiditatis; perfectionem eſſe verum & unicum fontem felicitatis; virtutem vero ſolam viam perfectionis acquirendæ? juxta hanc doctrinam voluptates leves & indifferentes erunt, quæ cum felicitate noſtra nullum vinculum habere, & nec perfectioni neque felicitati aut obeſſe, aut prodeſſe videbuntur. Licet enim juxta ſanam philoſophiam omnia nexa ſint in natura, ideoque actio nulla neque per ſe neque ex conſequente ad noſtram perfectionem & felicitatem ſit indifferens, tamen cum alicujus actionis vim ignoramus, hæc nulla lege teneri poteſt, nam etſi per ſe indifferens non eſt, certe quo ad nos eſt; neque ad ea, quæ neceſſario nobis ignota ſunt, lex ulla poteſt obſtringere. Quare inter duos cibos æque ſalubres eligere poſſum palato gratiorem, cum nihil incommodi inde futurum præſentio, aut minus gratum, ſi minus genio indulgere libet. Quod ſi quid alterum præ altero commendat, electio non eſt amplius libera. Si quis urgeat, voluptatem innocentem, etſi levem, conferre aliquid ad felicitatem, ideoque eſſe præferendam; reponam vel ex eo, quod carere malo, voluptatem eam eſſe parvi momenti; & multo gratius eſſe imperium meum in ſenſum & guſtum. Quotieſcumque perfectio, & proinde felicitas immunis eſt; quod lubet ago, & eo ipſo voluptatem capio.

§. 349. *Homo obligatur ad corpus ſuum conſervandum.*

Obligatio conſervandi corpus & vitam.

Cl. Wolfius duobus argumentis probat, hominem obligari ad corpus ſuum conſervandum: 1. alibi ſtatuit inſigne hoc principium, debere hominem determinare actiones ſuas liberas juxta eoſdem fines qui regunt actiones naturales, ideſt eas quæ accidunt in corpore vi ſtructuræ ſuæ quin voluntatis imperium interveniat; jam, inquit, actiones corporis naturales a facultate vitali proficiſcentes tendunt ad ejus conſervationem; ergo actiones liberæ eodem ſpectare debent, nec ſine piaculo in ejus labem ferri. 2. Idem concludit ex lege actiones dirigendi ad majorem perfectionem; nam quæ conſervationem corporis continent, continent etiam perfectionem.

Hæc duo argumenta non ſatis firma videbuntur omnibus; nam quoad primum, tunc tantum valere dicetur, cum corpus eſt ſanum & omnes actiones naturales ad ipſius conſervationem & perfectionem conſpirant; quod ſi corpus aut morbo inſanabili aut ſenectute fatiſcat, jam actiones naturales ad ejus labem & interitum tendere videntur.

Quoad alterum, debemus quidem perfectionem quærere: at ſi corpus opprimat animam dolore & languore, ſi & illi eripiat ipſam facultatem cogitandi, aliquis fortaſſe Wolfium monebit, tunc hominem perfectioni & felicitati propriæ vacaturum, ſi animam ſolvat ab onere & moleſtia corporis.

Mihi quidem videntur argumenta iſthæc majorem vim habitura, ſi dicamus, Naturam, vel ejus Auctorem Deum, velle, ut corpus noſtrum vivat certo ſpatio temporis nobis ignoto; ideoque debere nos naturæ parendo, actiones liberas ad eumdem finem temperare, neque naturæ leges migrare cor-

corpus interimendo, quod natura ſola ad exitum perducet.

Sed malo Ciceronis poſt Pythagoram argumentum urgere, quod fere eodem recidit, ſed elegantius clarum vehementius movet:

Vetat Pythagoras injuſſu Imperatoris ideſt Dei de præſidio, & ſtatione vitæ decedere (*a*).

Parere itaque debemus Providentiæ, neque vitam relinquere ſine iuſſu ejus qui vitam dedit. Dicet forte quis, videri aliquando Providentiam ipſam nos de vita devocare. Profecto eſt aliquando ubi jubet, nos illam periculo exponere, nempe ubi agitur de ſalute patriæ; ſed nunquam licet id facere privata tantum de cauſa, præcipue manu propria. Cum poſtea agetur de ſocietate civili, inquiremus, utrum tempora contingant, quibus videri poſſimus parere Providentiæ, vitam noſtram magni facinoris cauſa profundendo.

§.351. *Homini non competit dominium in vitam ſuam*; & §. 374. *Nemini hominum competit dominium in corpus ſuum, vel ullum ejus organum, ſeu membrum.*

An homo vitæ, & membrorum ſuorum dominus.

Hæc duo ſtatuit Auctor probatque ex eo, quod homo obſtrictus eſt natura vitam ac membra ſua conſervare; ideoque non poteſt pro lubitu ea perdere, neque ipſorum dominus eſt. Quæ demonſtratio cadit etiam in patrimonium, & quæcunque poſſidet homo. Satis eſt mutare verba; nam homo debet pari jure patrimonium cuſtodire, eoque recte uti; non ergo debet abuti; non ergo ejus dominus eſt; ex quo tandem fiet, hominem nullius rei dominum eſſe, & patrimonii quidem dominus cenſeri poterit tantum fictione quadam, quoad reliquos homines, qui ei ſuorum uſum interdicere jure nequeunt. Certe ex demonſtratione ipſa (§.374.) fluit, hominem in membra ſua eodem imperio potiri, quod exercet in patrimonium: cur ergo in Jure Naturæ hæc duo tantopere diſtinguentur? Præterea ablato homini imperio in membra ſua, magna incommoda conſequuntur. Statuit enim deinceps Auctor ipſe, eum qui rei alicujus Dominus non eſt, *non dominum*, non poſſe eamdem abdicare; ex quo conſequitur, hominem membra ſua, ſaltem quoad ſubſtantiam, non poſſe jure abdicare; ideoque non poſſe ex. gr. membrum putreſcens abſcindere, neque oculos ut legendo ſeſe erudiat, fatigare. Ita in æde enim cujus uſus mihi legitime conceſſus eſt, ſi antiqua turris ruinam minetur etiam ſummo cum periculo, eam tamen ſine permiſſu domini ipſius ſternere mihi non licet; nec uſum novum cum ædis ipſius damno moliri; nec quidquam proficit ſi quis dicat legem naturæ nobis tribuere jus in ea, quæ nobis opus ſunt, ut officia impleamus. Ex eo enim, quod officium implere nequeo quia abutar re vetita vel non mea, ceſſat officium.

§. 376.

(*a*) *Cato major de ſenectute c.* 20.

Digitized by Google

§. 376. *Homini competit jus utendi organis ſuis, quoties eorum uſum exigit obligatio quædam naturalis.*

Ejuſdem quæſtionis argumentum.

Conſequitur ex his, Auctorem noſtrum, ex principiis quidem ſuis, nequaquam pervincere, hominem jure uti poſſe organis ſuis ut officiis debitis ſatisfaciat, eum illorum dominus non ſit. Fluit inde potius, eum nihil eorum debere, quæ uſum organorum requirunt. Ex. c. indigenti opitulari jubeor lege naturæ. At ſi hoc præſtare nequeam niſi ex bonis alienis, jam lege hac ſolutus ſum. An mihi liceat aliena auferre legem egentibus opitulandi cauſando? Nonne rectius eſſet præcipere, hominem debere uti vita, facultatibus, organis, bonis omnibus ſuis ad officii normam? iis proinde non poſſe abuti? ideoque ea ſervare & euſtodire debere, quantum ipſum ſinent officium & poteſtas? Vitam præcipue; quæ ceterorum fundamentum eſt, cetera enim omnia cum ipſa deſinunt, ab ipſo temere non eſſe abjiciendam, ſed expectandum juſſum Creatoris ac ſupremi Domini, qui ipſum alio vocet?

§. 384. *Carnibus animalium veſci licitum eſt.*

Utrum liceat beſtiis veſci.

Non ſatis probare videtur Auctor, hominem animalium carnibus jure veſci; contra abſtinendum eſſe, affirmare poſſemus eadem ratione, qua utitur Auctor (§. 388.) ut oſtendat extra neceſſitatem extremam vetitum eſſe veſci carne humana, etiamſi inveniretur corpus hominis aliter interfecti. Nam quod ait, hominem aſſuetum humanæ carni facile ad homicidium poſſe paulatim procurrere, recte dictum; ſed experientia conſtat ex conſuetudine cædendi beſtias homines minus exhorrere ſanguinem humanum: quapropter fortaſſe Moſes uſum ſanguinis vetuit. Præterea ignoramus, quænam ſit animæ belluinæ natura, num cogitationis ideoque felicitatis & miſeriæ particeps: quare metuendum ne illas interficiendo ut carnibus ipſarum veſcamur, piaculo noſmet obſtringamus? Oportet ergo, ut his occurramus: oſtendere præſtat hominem neceſſitate quadam beſtiis veſci; vegetantia & lac animalium ad alendos homines non ſufficere; belluas ipſas niſi interficerentur in immenſum numerum creſcentes alimenta omnia plantarum conſumturas, ideoque hominem fame periturum; ex quo manifeſtum fiet, eas a Deo creatas ut eſſent homini alimento, ut videmus plures animalium ſpecies aliorum pabulo deſtinatas. Hoc modo prout ipſe Wolfius animadvertit in adnotatione, fit circulus quidam, & præparatio materiæ, quæ tandem homini nutriendo apta evadit. Hujuſmodi ratio alimenta præparandi pulchritudinem univerſi, & ſummam Conditoris ſapientiam nobis manifeſtat.

§. 407. *Temperans non appetit cibum, ac potum niſi ſanitati, conſervandæ gratia.*

De Temperantia.

Propoſitio hæc non ſatis congruit cum 411. ubi docet auctor *ex duobus cibis, vel potionibus æque ſalubribus, licere ſeligi a temperante quæ guſtui gratior ſit*; quomodo tolletur hæc repugnantia? Ut mihi videtur ita: Si plane dicamus, ſcopum cibi atque potus eſſe valetudinis conſervationem; voluptates autem innocuas permitti; ideoque nos palato poſſe indulgere dum id officio, & præcipue valetudini non nocet. Quare licebit pro cujuſque conditione jucundioribus alimentis uti, modo ſine ſalutis noxa; neque exceſſus interveniat, aut habitudinis periculum, qua fiat ut potius jucunditati, quam ſalubritati ſtudeamus, quod eſt *intemperantia*.

§. 482. *Homo obligatur ad pulchritudinem naturalem conſervandam.*

Obligatio conſervandi pulchritudinem naturalem.

Auctor hoc ita probat: natura pulchritudinem tribuendo, eo ſpectat, ut aliis placeamus; ergo pulchritudinem conſervando actiones liberas determinamus per eaſdem rationes finales, quæ determinant actiones naturales, ideſt, ſcopo naturæ ſervimus; ad hoc autem obligamur; ergo &c. Quæ demonſtratio minus mihi probatur; neque enim pervincit, omnes homines generatim debere pro viribus efficere, ut ipſorum perſona aliorum oculis grata ſit, ac ſingillatim hominem aliquam pravitatem naturalem, ſi quam habet, corrigere debere ſi poteſt. Imo demonſtratio eadem ad abſurdum redigi poteſt ad deformitatem traducta: nam ſi natura pulchrum hominem efficiendo placere voluit aliis, deformem efficiendo diſplicere juſſit: ergo hic homo deformitatem ſervando actiones liberas ad eundem ſcopum diriget cum actionibus naturalibus, eaque lege obſtringetur jure naturæ. Quare mallem rem ita probare: pulchritudo naturalis gratos nos efficit & acceptos aliis: eſt hæc vera utilitas noſtra; quiſque autem utilitates ſuas quærere debet; ergo pulchritudinem naturalem, quoad poteſt, & conſervare & augere debet. Ceterum, prout innui etiam ad §. 349. non eſt mihi mens dogma hoc improbandi, debere hominem dirigere actiones ſuas ad eoſdem fines quo ſpectant actiones naturales; eſt enim principium ſolidum, illuſtre, ac fœcundum: tantum minus recte applicari videtur in hoc paragrapho, neque difficultate caret ad §. 349.

§. 549. *In primis de perfectione animæ acquiſita.*

Fundamentum exiſtimationis.

Non ſatis intelligo, quare Wolfius hic gratis afferat, exiſtimationem referri ad perfectionem animæ acquiſitam. Sane æſtimatur plurimi ingenium, magnitudo animi, excelſitas cogitationum, & affectionum naturalium bonitas: hæc nequaquam acquiruntur, tantum perficiuntur. Non ignoro, ju-

dicio

dicio vel populari, hominem non tam laudari ex naturæ dotibus, quam acquiſitis: quod hanc vim habet, nullum eſſe talis acquiſitionis meritum, quorum, non homo, ſed natura eſt auctor. Ornamenta hæc hominem commendant non tamen ut eorum auctorem & artificem: ob virtutes laudatur atque exiſtimatur, & quia poſſidet, & præterea quia ſtudio ac labore acquiſivit. Quoniam exiſtimatio juxta Wolfium eſt judicium perfectionis noſtræ, dotes autem naturales ad perfectionem noſtram non minus conferunt quam acquiſitæ, eandem exiſtimationem merentur; nam exiſtimatio minime ſequitur legem imputationis. Non accuſatur homo niſi culpæ cujus eſt auctor; æſtimatur autem quacumque re, exiſtimatione digna, quam poſſideat; quod ſi ad ornamentum addat etiam laudem acquiſitionis, tanto evadit exiſtimatione dignior.

Videtur Cl. Wolfius illud reſpicere, quod alias docuit, virtutes & intellectuales & morales eſſe habitus; habitus autem uſu acquiri. Verum ſemina virtutum ſunt a natura, neque acquiruntur: ſunt ea ſemina diſpoſitiones naturales, quæ uſu & exercitatione evolvuntur, corroborantur, & in habitum tranſeunt. Patet experientia, naturam eo plurimum conferre; deprehendimus enim hujuſmodi virtutes in rudibus hominibus, quæ deficiunt in excultis.

Quare mallem Propoſitionem hanc 549. probare ex hoc, quod virtutes intellectuales & morales exiſtimationis præcipuum fundamentum ſunt, quia nihil præſtantius homines poſſidere poſſunt.

§. 562. *Homo exiſtimationem, & honorem, & laudem non debet intendere tanquam finem.*

Auctor, ut probet hanc Propoſitionem, ait, hominum judicia eſſe libera; idcoque & exiſtimationem, neque ullum jus habere nos ut alii noſtræ voluntati ſerviant. Ideo, quoniam agens agit propter finem, nos non debere exiſtimationem intendere tanquam finem actionum. Quibus in adnotatione addit, eum, qui poſtulat alium agere quod ſibi lubeat, & queratur ſi ſecus agat, ſumere ſibi jus alterum obligandi; quod libertatem naturalem lædit. Hæc demonſtratio infirma eſt, meo quidem judicio. Poſſum enim proponere mihi exiſtimationem honorem ac laudem, ut finem agendi, quin mihi jus arrogem, exigendi, multo minus cogendi ullum hominem, ut ea mihi tribuat; quæ ſi mihi negantur fortaſſe querar, niſi forte prudentius cogitans dubitem de judicio meo, aut taceam; ſed nemini proinde litem intentabo, neque libertatem naturalem ullius offendam. Ecce exemplum manifeſtum: amicum principis colo, ut ei me commendet: ipſe liber eſt; commendare poteſt, & tacere; nec proinde injuriam mihi facit; num idcirco ipſius commendationem quærere non debeo? Ecce exemplum aliud adhuc aptius: Eleemoſyna debetur pauperi digno, non minus quam exiſtimatio & laus merenti. Sed eleemoſyna debetur lege naturali ſive jure interno; unuſquiſque enim bonis ſuis uti poteſt prout ipſe judicat, & quiſque judex eſt, utrum eleemoſynam erogare poſſit, an non: Ut proinde pauperes nullum jus habeant exigendi; ſed a voluntate aliorum pendere debeant. Nam proinde pauperes, dum indigentiam ſuam aperiunt, eleemoſy-

Utrum exiſtimatio ſpectanda, ut finis agendi.

nam

nam ut finem ſpectare non debent? Ipſa vero propoſitio vera non eſt, niſi addito verbo *præcipuum* vel *primarium*: præcipue enim ſpectare debemus quod eſt officii: at aliorum exiſtimationem, tanquam ſecundum quid, quærere cur nefas ſit? Addo etiam: quoniam exiſtimatio efficit ſtatum noſtrum ſine controverſia potiorem, obligamur autem ſtatum noſtrum perficere, nonne jure debemus hominum exiſtimationem honeſto modo quærere, proindeque eam ut finem agendi nobis proponere? Certe hôc tantum ſenſu Propoſitio præſens conciliari poteſt cum 569. ubi docet auctor, non eſſe permiſſum famæ curam negligere.

§. 564. *Magnanimitas dici ſuevit virtus moderandi appetitum circa honores magnos.*

Magnanimitatis definitio. Hæc definitio magnanimitatis videtur mihi ab analogia & abuſu remota. Communi ſenſu magnanimitas intelligitur altitudo quædam animi, quæ hominem ad magna pellit, & quibuſdam temporibus attollit ſupra affectus, quibus animæ communes ſuccumbunt. Definitio Wolfii ſingularis eſt, & ſpeciem pro genere definit. Ex. grat. qui ex officio magnam dignitatem omittit, certe eſt magnanimus; magnanimus erat Cæſar, qui inimicis acerrimis non ſolum ignoſcebat, ſed etiam amicitiam ſuam donabat. Magnitudo ejus animi ſuperabat & ultionis impetum & metum omnem captivorum quos ſolvebat. Paucis: qui mediocri cupiditati reſiſtit, appellatur juſtus, honeſtus, modeſtus; qui vero magnas cupiditates & perturbationes vincit, magnanimus.

§. 576. *Ex perfectione propria agnoſcimus, quod obligationi naturali ſatisfecerimus, & quantum eidem ſatisfecerimus; ex imperfectione autem propria, quantum eidem nondum ſatisfecerimus.*

Uſus cognitionis propriæ perfectionis & imperfectionis. Mihi videtur, ad dignoſcendum, quantum obligationi naturali ſatisfecerimus, ad cognitionem noſtræ perfectionis aut imperfectionis, addendam eſſe artem judicandi, quid in noſtra poteſtate ſit: non enim tenemur majorem perfectionem acquirere, quam pro viribus.

§. 615. *Unicuilibet homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas perfectionem ac felicitatem hominis alterius cujuſcumque promovendi.*

Qua voluntate debeat eſſe homo erga alios. Demonſtratio tantum probat, quemlibet conſtanti & perpetua voluntate promovere debere perfectionem & felicitatem omnium hominum, quantum poteſt, pro viribus & ſine ipſius damno; neque amplius evinci poteſt; nec longius obligatio patet. Wolfius in adnotatione addit, hanc voluntatem debere in ſe, & generatim eſſe infinitam, ac tantum a conditione eventuum cir-

circumſcribi. Non video, cur ultra officium voluntas ferri debeat. Contra, quoniam ſemper agere debemus *cum ſenſu officii* præſtat voluntatem ipſam cum officii norma componere, ne aberret. Videtur Auctor hanc exceptionem conſulto omiſiſſe, ut ſibi pararet principium demonſtrandi, nos debere ceteros homines amare *ſicut nos ipſos*. Sed in Jure naturæ non eſt neceſſe ita loqui.

Plerique doctores Chriſtiani, cum aperte loquuntur coacti ſunt concedere, nos prius debere nobis quæcumque debemus aliis; quare verba hæc Levitici, & J. C. *ut nos ipſos* non gradum amoris ſignificant, neque præcipiunt nos eo contentionis gradu debere proximum amare ſicut nos ipſos quod videtur impoſſibile & contra naturam, ſed indicant amoris naturam, & jubent nos ſincere & candide paratos eſſe debere ad proximi bonum curandum, eoque gaudere, prout erga nos ipſos affecti ſumus: hoc eſt officii; hæc vis omnis obligationis erga alios: fruſtra plura flagites; quis enim non videt hominem plura non poſſe?

Addo verbum. Quia homo probus & honeſtus debet appetitum ſenſitivum rationali ſubjicere, ideſt voluntati; hæc autem in caſu colliſionis proprium bonum præferre debet alieno; ſane oportet amorem appetitus ſenſitivi vividiorem eſſe erga nos, quam erga alios, ut cum voluntate conſentiat, aliter ipſam potius turbaret. In quo provida natura homini conſuluit; acuta autem doctorum argumenta nunquam vincent ſenſum adeo naturalem, vehementem, atque intimum. Quare contenti ſimus homines hortari, ut hunc ſenſum ratione regant.

§. 632. *Unuſquiſque hominum etiam inimicum quemvis diligere & amare debet tanquam ſeipſum, nequaquam vero odiſſe.*

De amore inimicorum

Ecce Auctoris rationem: inimicus legem naturæ non ſervat, dum te odit. At ſi inimicus officio deeſt, non tu proinde tuo deeſſe potes; ergo &c. Quæ demonſtratio non ſatis firma videtur: tantum enim probat ex eo, quod homo peccat, dum nos odit, non conſequi poſſe nos viciſſim illum odiſſe; quare non erit hæc excuſatio odii in inimicum. Potius urgenda generalis obligatio amandi ceteros homines, quæ petitur ab indigentia auxilii mutui, quæ ceſſat erga inimicum; erga quem ſatis erit paratum eſſe officia communia hominum adhibere, ſtatim ac merebitur ut ceteri; optare etiam ut redeat quam primum in hunc ſtatum ab odio ceſſando; curare quoque id quantum poſſumus; denique moderate in omnibus agere, ſenſus manſuetudinis & miſericordiæ præſtando, & humanitatis officia, inimicis ipſis, quoties hæc officia eos paratiores non reddunt ad nocendum. Huc ſpectare puto vim præcepti inimicos diligendi, præſertim in Jure Naturæ, quod præſcribere non poteſt amorem vividum in eum qui nos perdere conatur. Talis enim ſemper repugnat naturæ, quæ nobis inſpirat horrorem etiam in res inanimas ſi quando nobis nocent: quod ſapienti conſilio factum, ut majorem conſervationis noſtræ curam gereremus; odium non excitari, neque iram, neque ullum ſenſum, in eum, qui nocere conatur, optimum eſſet, & cadere poſſet in eum cui ratio ſola dominaretur, ſine ullo ſtimulo affectuum: hæc Dei eſt natura. Homo tantam ſapientiam ferre non po-

Digitized by Google

poteſt: ne ſpoliemus ipſum aculeis & armis, quæ ſummus Conditor ipſis tribuit ad tuendam infirmitatem ſuam tantum hortemur, ut recte utatur.

Paucis relegamus vera principia Legis naturalis in hoc genere. Ante omnia noſmetipſos diligimus, nobiſque unis præ ceteris conſervationis & perfectionis curam debemus. Quia vero homines ſinguli ſibi non ſufficiunt, neque ſine aliorum ope ſe tueri ac perficere poſsunt, ipſa natura ipſos cogit ſe ſibi mutuo auxiliari; quod ſincere & conſtanter praſtare debent: ex quo conſequitur, eos ſeſe mutuo amare debere. Sed cum amor in alios fluat ex amore ſui ipſius, huic cedit; neque obſtare debet. Si quis vincula fœderis hujus frangit, ſeque mihi inimicum non modo non juvando, ſed nocendo manifeſtat, profecto mihi licet in ipſum agere quidquid defenſio & ſecuritas mea requirit: quia vero ſeditio hæc malum eſt in humana ſocietate, malum mihi ipſi; conari debeo pro viribus, ne creſcat, imo ut quam cito extinguatur: cui nihil tantum conferet quam moderatio tutelæ meæ, & magnanimitas, qua officia humanitatis inimico ipſi præſtabo, & omnia ipſi tribuam quæ neque ipſum valentiorem, aut alios audaciores ad nocendum poſſint efficere.

En niſi fallor, quæ ab hominum intima natura concludi poſsunt ſpectatis eorum vinculis ſocialibus, & quæ proinde lex naturalis ita ſumpta præſcribit; vis altius aſsurgere? aſcendendum ad principium ſublimius, ad amorem Dei: quicunque pro felicitate ſua amoris hujus vim omnem in ſeipſo experitur, Deum unice ſpectabit, unice quæret, eum ejuſque opera amabit; præcipue naturas intelligentes ab eo creatas diliget; eas optabit quam citiſſime ad perfectionem & beatitatem a Deo deſtinatam pervenire; gaudebit ad hoc operam ſuam ſe conferre poſse, pro viribus, & conditione quam fortius eſt! Senſus hic ceteros in ipſo extinguet, odium tam naturale cuilibet in id quod nocet, amplius non ſentiet, ac memor eorum quæ ſibi debet, tantum ſe defendet, ſeque contra inimici inſidias tuebitur; at ipſi tantum bona optabit, eum vincere amore, & felicem reddere cupiens. Ecce fontem verum amoris inimicorum. Tunc tantum fortaſse hic amor, ſui ipſius amorem æquare poſset; ſi quis enim tantam virtutem ſuſcipere poſset, omnia referret ad Deum, ſeque ac ſua cum ipſo confunderet. Verum, hoc ſenſu tam ſublimi, amor inimicorum ſpectat officia erga Deum potius, quam erga homines.

Liceat idem urgere: cauſa Dei tantum, & ratione Dei, amorem inimicorum eo uſque poſsumus augere & propagare; At ratione hominum, & mutuorum officiorum inter ipſos, non ita. Hoc modo interpretari licet, quod jamdiu pronunciatum eſt, præcepta Chriſti ſupra legem naturalem ſurgere; tantum enim divinam naturam naturam aperiendo, & quæ ipſi debemus explicando, moralis ad perfectionem perduci poteſt. Hominibus tantum ſpectatis, & eorum mutuis officiis, amor inimicorum longius patere nequit, quam explicavimus. Id unice poſtulat bonum ſocietatis, rem autem meditando patebit, hunc ſenſum altius elatum ad normam amoris divini non cadere poſse, neque convenire, niſi in hominem, cujus perfectio puritatem, & excelſitatem ejuſdem amoris æquaret; in hominem ſcilicet, cui ſapientia eſset loco appetituum, & affectuum. Jam Philoſophia docet, hujus appetitus impulſiones deſtinatas eſse a Deo, ut in homi-

homine tam infirmo & puſillo cognitionis & rationis vices ſuppleret. Idque intellectum volui, cum modo dicerem, hominem aculeis, quos Deus ipſe indidit, non eſse ſpoliandum. Hujuſmodi aculei ſponte decident, cum anima elatior facta iis non indigebit, quod ſecundum ordinem naturæ in hoc vitæ curriculo non continget.

§. 648. *Unuſquiſque alteri honorem exhibere debet, quem meretur, & tantum tribuere laudis quantum meretur.*

Deeſt aliquid demonſtrationi, ut concludat. „ Unumquemque æſtimare „ debemus prout meretur. Hæc exi- „ ſtimatio autem cognoſci nequit ab „ aliis, niſi exprimatur per verba & „ actus; ergo per verba & actus ſi- „ gnificare debemus exiſtimationem „ quam erga aliquem habemus “. Quis non videt vacuum quiddam eſse in hac argumentatione! Sumitur in ea, teneri nos manifeſtare aliis exiſtimationem, quam erga aliquem habemus. Id autem probandum erat. Probari autem poteſt ita: exiſtimatio erga hominem reddit ejus ſtatum potiorem & jucundiorem, ſi cognoſcatur; debemus autem conferre quantum poſsumus ad bonum & utilitatem aliorum; debemus ergo exiſtimationem in ipſos patefacere. Sed hæc regula generalis eſt, & exceptionem aliquam patitur; ubi ſcilicet incommodi aliquid eveniret, hac exiſtimatione ſignificata, quoties nempe id fieri nequeat ſine alicujus officii gravioris læſione.

De honore & laude alicui debita.

§. 673. *Quod ſi impedis, quominus alter perfectionem aliquam conſequi poſſit, eum lædis.*

Demonſtratio hujuſce graviſſimæ veritatis non videtur ſatis firma. Negari enim poſset prima propoſitio quæ minor eſt ſyllogiſmi: *qui facit, ut alter maneat imperfectior, ejus imperfectionem promovet*. Aliquis enim objiciet, impedire progreſsum non eſse rem deteriorem aut magis imperfectam reddere; *læſionem eſſe actum* quo alicujus ſtatus redditur imperfectior juxta definitionem (§. *669.*), ideoque actum qui impedit tantum, ne quis perfectior fiat, non eſse *læſionem*. Itaque judico objectum hoc tolli poſſe, & veritatem hanc confirmari hoc pacto. Quoties impedis aliquem, ne perfectionem acquirat, acquiſiviſset; alioquin non impedires; ergo ejus conditio ſuſcipere poterat hanc perfectionem: modo non poteſt: ergo ejus conditio melior erat, & actione tua deterior eſt reddita: en *læſionem*.

Utrum impedire perfectionem alicujus ſit læſio.

Digitized by Google

§. 688. *Honor, laus, & fama bona fortunæ ſunt.*

Quænam bona ſint honor, laus & fama. Wolfius, ut hoc probet, ait: ſi nos laude, honore & merita fama fruimur, ſtatum noſtrum externum congruere cum interno, proindeque perfectiorem eſse, cum perfectio conſiſtat in *conſenſu plurium a ſe invicem differentium in uno* (Ontol. §. 503.) quæ demonſtratio mihi claudicare videtur, & principium iilud metaphyſicum male applicatum. Sane concedendum, quoties externus ſtatus hominis congruit cum interno, id generatim eſse melius, & ordini congruere. Sed non ſemper id eſt melius, pro homine de quo agitur, neque ſtatum ejus perficit. Quid ſi ignominiam vituperationem, & infamiam mereatur? Num perficietur ejus ſtatus vitiis ejus evulgatis, & infamia acquiſita. Tamen hoc modo ſtatus ejus externus cum interno componeretur. Mallem igitur docere, honorem, laudem, & famam eſse bona fortunæ, ideſt bona quæ reddunt ſtatum externum perfectiorem, ex eo, quod ſi mereantur prout hic fingitur, afferunt homini voluptatem veram, & innocentem, eique in commercio cum aliis hominibus magnopere ſunt utiles.

§. 777. *Si amico, & inimico, vel ei qui indifferenti in ſe eſt animo, præſtandum aliquod officium, & utrique ſimul idem præſtari non poſſis, aut, ut præſtes, non ſit in poteſtate tua, amicus præferendus eſt inimico, vel ei, qui indifferenti in te eſt animo.*

Amicus præferendus. Hujus Propoſitionis demonſtratio ſane infirma mihi videtur, imo nullá: Dicere enim *amicum præferendum*, *quia magis meretur*, nonne eſt probare idem per idem, ſive per id quod nihilo evidentius eſt, quam quod probandum? auctor, ni fallor, demonſtrare poterat quod propoſuerat, oſtendendo, utilitatem propriam poſtulare, ut amicos præferamus inimicis, aut indifferentibus; & ita officium erga nos ipſos, amicorum cauſa, conjungi cum officiis generalibus erga omnes homines, quod parit obligationem majorem.

De contemptu. Poterat etiam addere gratum animum præcipere, ut præferamus amicum; jamque ea poſuerat, quibus oſtendere poſſet, grati animi affectum eſſe virtutem: nam ſi homines mutuo ſe amare & adjuvare debent, quia ope mutua indigent, ut vivant humano more; conſequitur, eos debere amare & adjuvare intenſius eos, a quibus plura amoris & opis argumenta accipiunt. Exercere atque honorare grati animi virtutem ſtimulus eſt benefacientium, quod humano generi ſalutare. Ingrati, proditores, inimici ſunt ſocietatis. Denique animadvertendum animi grati ſenſum eſſe a natura, vel auctore naturæ, eique nos parere debere.

§§. 787. 790. In duobus hiſce paragraphis quædam occurrunt minus recte enunciata, quæ difficultatem & contradictionem videntur involvere. In definiendo contemptu (§. 787.) auctor ita ait: *contemptus eſt actus qui-*

Digitized by Google

qu'cumque externus quo ſignificatur, alterum honore ac laude indignum eſſe. Nemo expectabat hoc corollarium (§. 790.). *Nemo eſt contemnendus*, quod auctor probat ex eo quod unicuique tribuendus eſt honor & laus quam meretur. Verum objici poteſt, oſtendendum prius fuiſſe, neminem eſſe, qui honorem & laudem aliquam non mereatur. Id neceſsarium erat ad firmandum argumentum, ſine quo non concludit. Wolfius mentem ſuam explicat in adnotatione (§. 790.): *Contemptus conſiſtit*, inquit, *in denegatione honoris debiti, debitæque laudis*. Explicandum erat hoc in definitione, ac tum ratio recte concluſa eſſet. Vel ſatius eſset definitionem contemptus ſumere prout poſita eſt ſupra §. 787. & a nobis allata; non vero conſtituere generatim, *neminem eſſe contemnendum* §. 790. Sed tantum *neminem eſſe temere contemnendum*. Revera oportet reddere honorem & laudem iis qui merentur: quod ſi quis nullo modo laudem meretur, vetat charitas id patefacere abſque neceſſitate, gravibuſque & juſtis de cauſis.

Ceterum non ignoro vocem *contemptus* gallice ſignificare judicium ipſum mentis intimum de exiguo vel nullo merito alterius, quod latine ſonat *parvi* vel *nibili facere*. Sed lingua noſtra vocabulum non ſuppeditat quo ſignificetur actus quo homo indignus honore & laude judicatur.

§. 817. *Quilibet ab ignominia vera cavere debet*.

Propoſitio hæc cum proximis magno argumento ſunt, quam difficile ſit, ſcientiam moralem, etſi geometrarum methodo pertractatam, evidentiam & ſoliditatem diſciplinarum mathematicarum attingere. Opus eſſet, ut eo perveniret, omnes ideas, omnes voces, omneſque propoſitiones ita determinatas eſse, ut in Geometria; præterea ſummopere curandum eſset, ut determinationes omnes alicujus ideæ, vel propoſitionis diſtinguerentur, ſi ea tanquam principium adhibenda eſt ad propoſitionis ſequentis demonſtrationem; aliter concludentur, quæ minime ex ea conſequuntur. Verum *hoc opus hic labor eſt*. Ideæ compoſitæ ac termini complexi pariunt propoſitiones vagas, quæque plures ſententias continent ſub una enuntiatione, ex quibus alia atque alia concludi poſsunt, prout hoc aut illo ſenſu ſumuntur. Eædem cauſæ pariunt etiam propoſitiones, quarum ſenſus verus differt ab eo, qui primo ſeſe offert. Propoſitio demonſtrari poteſt quo ad verum ſenſum; quod ſi poſtea utaris ea, ut principio ſecundum ſenſum apparentem tota ratio evadit ſophiſma. Hujuſmodi eſt propoſitio hæc 817. Ejus demonſtratio aperte indicat ejus ſententiam eſse hanc unam, conari nos debere, ne ignominiam mereamur; nihil aliud demonſtrat auctor. Aliud eſt autem cavere ne mereamur ignominiam, aliud ignominiam ipſam vitare; vitari enim poteſt ignominia etiam merita, cavendo, ne vitia noſtra vulgò cognoſcantur. Tamen auctor propoſitionem hanc copulans cum principio ſuperiore, debere nos ceteris hominibus quod nobiſmetipſis debemus, quantum indigent auxilio noſtro, ac nos ipſi ſine proprio damno prodeſse poſsumus; concludere conatur, unum-

Obligatio evitandi ignominiam. Difficultas applicandi methodum Geometricam ad ſcientiam moralem.

quemque noſtrum conari debere quoad poteſt, ne ceteri ignominiam ſubeant, neque licere illam ipſis inferre. Verum ex §. 817. collato cum principio mox laudato, hoc unum concludere poterat, nos pro viribus cavere debere, ne ceteri mereantur ignominiam. Demonſtrari poteſt, evitandam ignominiam, quoad officium permittit, illud urgendo, quod veriſſimum eſt, ignominiam eſse malum, quod ſtatui externo valde nocet; & quia omnia mala etiam externa pro viribus evitare debemus, ſalvo officio, concluſio eſt manifeſta. Fluet etiam ex principio modo indicato, debere nos parcere etiam aliorum ignominiæ quoad poſsumus, & officia cætera officium hoc charitatis non vetant. Conſequitur ex his nos celare debere vitia & imperfectiones noſtras quantum fieri poteſt ſine noxa, eas corrigere atque emendare ſtudere, noſmet eodem modo gerendo in culpis & vitiis ceterorum.

§. 888. *Superbus dicitur qui ſupra alios ſeſe effert, ſeu majoris fieri vult aliis.* §. 889. *Nemo hominum ſuperbus eſſe debet.*

De ſuperbia. Hi duo paragraphi non ſatis oſtendunt, in quo vere ſitum ſit vitium ſuperbi: nec demonſtratio 889. ſatis placet. Licet enim ſpectare exiſtimationem aliorum, tanquam bonum, modo quæratur via legitima, nempe meritis; imo ſi quis revera dignus eſt qui ſupra alios æſtimetur, merito appetere poteſt exiſtimationem ſingularem, quæ ipſum eximat a multitudine, & in primis collocet. Verum 1. cogitare debet, quæcumque ornamenta poſſideat, a perfectione tamen ſe longe abeſse. 2. Quæcumque ſit cognitio proprii meriti, & cupiditas inclareſcendi, tamen aliorum contemptum fugere debet. 3. Hanc exiſtimationem poſtulare non debet cum arrogantia, tanquam ſi ceteri eam ipſi jure quodam deberent; ſed contentus mereri, ceteris libertatem ſentiendi relinquere. Patet ergo vitium ſuperbiæ in hoc conſiſtere, quod ſe quis plus æquo æſtimat, quod ceteros juſte non æſtimat, quod tandem lædit æqualitatem & libertatem hominum naturalium.

De vanitate. Sæpe autem ſuperbus ſe vult æſtimari ob res vanas, ut titulos, aut divitias. Tunc autem ſuperbiæ addit *vanitatem*.

Hic animadverto, auctorem oblitum eſse definire vitium *vanitatis*, ejuſque turpitudinem commonſtrare. Puto autem *vanitatem* eſse, cum quis ſe ſupra ceteros effert ob rationes falſas vanas, ac frivolas. Eſt ſcilicet ſuperbia inani opinione fulta, quod vitium ad turpitudinem ſuperbiæ addit ineptiam, qua quis ſibi tribuit quæ non habet, aut ſeſe magni facit ob merita nullius momenti.

§. 904.

Digitized by Google

§. 904. *Jus petendi ab altero officia humanitatis jus perfectum eſt.*

Demonſtratio hæc non eſt perſpicua. Propoſitio autem ipſa evidentius oſtendi poteſt ex principio libertatis naturalis, quod eſt jus perfectum: quicumque enim me impedire vellet a petendo humanitatis officio, quo me indigere ſentio, libertatem meam naturalem violaret. Jus ergo mihi eſt illum cogendi ne me impediat. Jus ergo petendi perfectum eſt; continet enim jus cogendi eum quia eidem repugnat. Diſcrimen inter jus perfectum & imperfectum pendet a libertate naturali, quæ utrinque ſalva eſſe debet. Vide Wolfium ipſum in ſequentibus. *De jure petendi officia humanitatis.*

§. 1040. *Fama, & exiſtimatio aliter defendi nequit, niſi verbis, vel factis, contrarium eorum oſtendendo quæ dicit calumniator.*

Ait hic Wolfius, nullam eſſe aliam rationem ſeſe tuendi contra calumniatorem, niſi per verba & facta contrarium ejus quod exprobrat patefaciendo; in adnotatione vero monet, inutile eſſe ad calumniam diluendam calumniatorem cogere, ut fateatur ſe falſa locutum. Confiteor, me ſecus ſentire. Cogi enim poteſt calumniator, ut mentem ſuam explicet, cauſas calumniandi aperiat, & circumſtantias omnes evolvat; ita ut ejus palinodia quamvis coacta evadat idonea ad falſam accuſationem arguendam, ſaltem apud homines æquos. Nonne autem calumniæ fidem elevat, qui oſtendit, calumniatorem ſibi contradicere? Neque dicas metum illum coegiſſe. Id enim ſaltem pervincit, calumniatorem eſſe vilem, & abjectum, hominem nullius fidei.

Conſuetudo judiciorum id confirmat; actio enim in juris ſocietate conſtituta, ſucceſſit bello in ſtatu naturæ. Judicia vero admittunt actionem reparandi honoris, qua calumniator falſa ſe dixiſſe cogitur confiteri.

Propoſitio 1040. nequaquam congruit cum 1049. quæ ſic habet: *fama & exiſtimatio defenduntur verbis, oſtendendo falſitatem eorum, quæ dicit calumniator, aut veritatem contrarii, & fidem calumniatoris labefactando &c.* Ex quo propoſitionea 1041. & 1050. ſibi repugnant, aut certe explicatione indigent. Altera ſtatuit non eſſe *permiſſum defendere famam ſuam niſi per verba & actus, quæ probent contrarium ejus quod dicit calumniator:* altera vero affirmat, *licere fidem calumniatoris labefactare.*

§. 1059.

§. 1059. *In eum, qui te læſit, tantumdem tibi licet, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ, ſive ab eodem tibi atque aliis, ſive ab aliis ejus exemplum ſecutis, tibi metuendæ ſufficit.*

Hanc propoſitionem non admitto ſine exceptione; eique addendum puto, ſemper proportionem aliquam ſervandam eſſe inter pœnam & læſionem. An mihi liceat ut poma horti mei tuter, occidere qui me invito ea carpere ſolet, etiamſi vicini, ut aliquando contingit, avidiores eſſent talis furti, ut levibus pœnis deterreri non poſſent? quis tam crudelem ſententiam ferat? Dicendum ergo, me lædenti poſſe infligere pœnam, quæ ipſum corrigere poſſit, & alios exemplo deterrere, modo tamen ne malum, quod ipſi infligo, majus nimio ſit quam malum, quod prævertere volo. Nam ſi levem jacturam tantum, & parvum damnum prævertere ſtudeo, non licet adhibere pœnam graviſſimam, multo minus mortem, etſi dubitare poſſim ne pœnæ leviores inutiles ſint. Quæ concluſio fluit ex principiis Wolfii ipſius. Jus enim punitionis oritur a jure tuendi me, mea, & etiam aliorum bona, quia hoc jure debeo curare conſervationem, perfectionem, & conditionem meam, itemque aliorum. Si ergo agatur de re levi quoad perfectionem conditionis meæ, & qua ſine gravi noxa carere poſſum, jus conſervationis non poteſt extinguere jus charitatis quam cunctis debeo, & raptori ipſi, qui me exigua re privat. Officia erga meipſum præſtant quidem officiis erga alios; ſed tantum, niſi magnopere differant; aliter enim minime tenerer calceos meos madefacere ut hominem in aqua demerſum liberarem. Quænam autem proportio eſt inter hominis vitam, & aliquot poma, quæ mihi furari poteſt? Non poſſum ergo illum morte mulctare ob ſimile furtum, etiamſi præſentiam, furem audaciorem evaſurum. Proportio hæc inter pœnam & offenſam tota vis eſt celeberrimi illius juris Rhadamanti, de quo loquitur Wolfius (Adnot. ad §. 1058.). Oportet ergo copulare regulam hanc cum regula, quam tradit Auctor in præſenti paragrapho. Oportet enim ſervare proportionem inter pœnam, & culpam. Quod etiam valet de prævertendo malo futuro. Hinc enim in ſocietate civili ſi alicujus delicti ſpecies frequentior evadit propter quandam civium proclivitatem, in hoc delictum ſtatuuntur pœnæ graviores, quam mereri per ſe videatur. Sed tum delicti frequentia reddit ipſum gravius & graviori pœnæ reddit æquale. E. c. cum pœnæ ordinariæ ſatis non tuentur hortos & prædia quin ſingulis annis promiſcue expilentur, tunc malum increſcens pœnis gravioribus coerceri poteſt quin proportio lædatur. Privari enim quotannis fructibus omnibus gravius malum eſt, quam identidem poma aliquot amittere, ac talis perturbatio in ſocietate quoquo modo reprimenda eſt.

§. 1163. *Hypocriſis lege naturali adverſa.*

Demonſtratio pervincit quidem, Hypocritam minime parere legi naturali, quod probatione non indiget. Patet enim ex definitione ipſa Hypocritam intus legi naturali obſtare, in quo peccat. Illud eſt in quæſtione, utrum augeat peccatum, pietatem affectando quam non habet. Probatio autem petitur judicio meo 1. Ex eo quod decipit homines, quibus per hypocriſim inſidias ſtruit. 2. Quod hypocrita debet eſſe animo magis depravato quam qui deeſt tantum officio, nec falſam virtutem oſtentat; hic enim aut affectibus victus, aut ipſius virtutis ignoratione, fortaſſe peccat; ille autem ſatis ſibi imperat, ut virtutem affectet, quam agnoſcit, & poſſet exercere niſi tam pravus eſſet; neque ignorantia peccat, aut inconſulto, novit enim habitum virtutis quam fingit. 3. Pietati illudit, & gravius in ipſam peccat, quam qui ipſam tantum negligit. 4. Tandem pietatem contemptui & ſuſpicioni exponit, ut vera virtus a ficta dignoſci nequeat, utriuſque enim idem habitus. Ex his conſtat hypocriſis turpitudo. *De hypocriſi.*

§. 1170. *Si ex perfectione Dei ſummam voluptatem percipimus, eum ſupra omnia amamus.*

Si perfectio ſumma Dei excitat in nobis jucundum ſenſum Deum ſuper omnia amamus; quia enim amor oritur ex eo, quod gratum aliquid perſpicimus in aliqua natura; & nullum ens tam perfectum eſt, aut placere poteſt æque ac Deus, ideo ſi ex ejus perfectione voluptatem capimus, hæc ſumma erit, adeoque amor in Deum ſummus. Recta eſſet demonſtratio, ſi perfectionis divinæ ſenſus in nobis vividus eſſet. At hic ſenſus non niſi mediocris, naturæ viribus eſſe poteſt, quare etiamſi idea perfectionis divinæ per ſe replere poſſit animam voluptate ſumma, tamen hac idea deficiente, Deus plerumque ſuper omnia non amatur; ſed languide, ut plerumque contingit. Fortaſſe auctor clariorem fingit cognitionem Dei in homine, ſenſumque vividiorem. *De amore Dei.*

§. 1175. *Qui alterum amat nil facit quod eidem diſplicet.*

„ Qui enim alterum amat, tædium
„ ejus averſatur. Quamobrem cum
„ id diſpliceat ex quo tædium perci-
„ pitur nil facit, quod ei, quem
„ amat diſplicet. “

Ex his concludit auctor in ſequentibus ex eo, quod debemus amare Deum, ſollicitos nos eſſe debere, ut ipſius voluntati noſtram, & ipſius voluntati conformemus, ideſt, illum *timere timore filiali*. Quæ argumentatio non concludit, optime enim ſcimus, non poſſe hominem Deo *tædium creare*. Ergo adhibendum erat aliud principium; E. c. hoc; qui alterum amat cupit ab eo probari & vi- *De amoris effectu.*

viciſſim amari. Inde reliqua ſponte fluunt. De verbo *diſplicet* §. 1175. animadvertendum non poſſe quoad Deum definiri: *id diſplicet*, *ex quo tædium percipitur*. Verum id inter homines. Sed Deo hoc ſenſu nihil diſplicere poteſt. Cum quid Deo diſplicere dicitur, ſignificat, tantum, a Deo improbari.

§. 1223. *Ad orandum obligamur* (ſcilicet verbis ore prolatis,) *ſeu oratio lege naturali præcepta*.

Cur neceſſario corpus comitari debeat animam in orando & colendo Deo, rationes quidem hic allatæ non ſatis docent. Multo potiores mihi videntur illæ, quæ petuntur ab exemplo, quod præſtare cæteris debemus, & a vi, quam motus corporis addunt animæ meditanti. Propoſitio 1147., quam auctor allegat, horum partem indicat; ſed eo ſenſu hic non allegatur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

J U-

Digitized by Google

JURIS NATURÆ PROLEGOMENA.

§. 1.

PEr *Jus Naturæ* hic intelligimus ſcientiam juris naturalis hominum & obligationum eidem reſpondentium. *Juris Naturæ Definitio.*

Definitio hæc probe notanda venit, ut intelligatur, quænam nunc pertractare conſtituerimus. Nimirum docere intendimus, quomodo homo actiones ſuas liberas determinare teneatur, ut vitam hominis vivat: quod dum facimus, obligationes ejus naturales explicamus. Monſtrare vero etiam volumus, quænam ut agat, vel non agat, moraliter poſſibile eſt: quod dum facimus, jus ejus naturale exponimus. E. gr. Homo obligatur ad capiendum cibum ac potum corporis conſervandi gratia. Naturaliter igitur jus habet ad ea, quæ cibo ac potui inſerviunt. Quamobrem ubi de obligatione iſta naturali agetur, ibi etiam agemus de hoc jure naturali. Hoc ipſo autem exemplo patet, jura naturalia & obligationes naturales ſibi mutuo reſpondere. In diſcurſu præliminari de philoſophia in genere, quem Logicæ præmiſimus, *Jus Naturæ* definivimus per ſcientiam actionum bonarum atque malarum (§. 68 *Diſc. præl.*), quia nondum ſupponere poteramus cognitum, quid juris & obligationis naturalis nomine veniat. Unde nobis ſuffecit, quomodocunque indicaſſe, quid in ea Philoſophiæ parte, quæ juris naturalis nomine venit, doceatur. Actiones enim bonæ illæ ſunt, ad quas committendas; malæ autem, ad quas omittendas per ipſam eſſentiam atque naturam humanam obligamur (§. 127. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*) & non modo jus habemus ad actiones illas committendas, haſce vero omittendas (§. 158. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), verum etiam ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Is igitur explicaturus, quæ de actionibus bonis & malis tenenda ſunt, & obligationes naturales, & jura hominis naturalia exponere tenetur. Quodſi actiones omnes eſſent indifferentes, ut perinde foret, quaſcunque committeremus, vel omitteremus; nulla daretur obligatio naturalis, nullum quoque jus naturale. Sed quoniam in ipſa eſſentia & natura hominis continetur ratio, cur haſce potius actiones committat, quam omittat, alias vero omittat potius, quam committat; igitur & obligationes dantur naturales, juraque dantur naturalia. Et tam illas, quam hæc noſſe tenemur, ut vitam homine dignam agamus. Poſtquam itaque diſtincte explicavimus, quid ſit obligatio naturalis (§. 118. 129. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quid jus naturale (§. 156. 160. *part.* 1. *Phil pract. univ.*); Jus etiam naturæ clarius definire licuit, ut primo ſtatim intuitu intelligatur, quodnam ſit ejus objectum.

§. 2.

Quæ in Jure Naturæ traduntur, demonſtranda ſunt, ex ipſa quidem eſſentia & natura hominis atque rerum. Etenim Jus Naturæ ſcientia eſſe debet (§. 1.), ut ſcilicet certam eorum, quæ in eodem traduntur, cognitionem conſequamur (§. 595. *Log.*). Quamobrem cum ſcientia ſit habitus demonſtrandi, quod affir- *Cur in Jure Naturæ requirantur demonſtrationes.*

mamus, vel negamus (§. 594. *Log.*); quæ in Jure naturæ traduntur, demonſtranda ſunt. *Quod erat primum.*

Enimvero obligatio naturalis in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura rationem ſufficientem habet (§. 129. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cumque jus naturale vi legis naturalis homini competat (§. 160. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) atque adeo & ipſum rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia & natura agnoſcat (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam intelligitur, quibuſnam obligationibus naturaliter teneatur & quænam ipſi naturaliter competant jura (§. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque obligationes iſtæ hæcque jura in Jure Naturæ traduntur (§. 1.), ea autem quæ in Jure Naturæ traduntur demonſtranda ſunt *per num.* 1. quæ in Jure Naturæ traduntur, ex ipſa hominis atque rerum eſſentia & natura demonſtranda ſunt. *Quod erat alterum.*

Patet adeo juri naturæ convenire methodum demonſtrativam, ut de eo commentaturus muneris ſui partes omnes adimpleviſſe minime cenſendus ſit, qui alia, quam demonſtrativa utitur methodo. Vulgo *Puffendorfius* jus naturæ demonſtraſſe dicitur: enimvero qui ſic ſentiunt, methodi demonſtrativæ ſatis ignaros ſeſe probant, & qui vel in Matheſi, vel in operibus noſtris philoſophicis fuerit verſatus, quantum a veritate diſtet judicium abunde intelliget. Legat ea, quæ de methodo philoſophica, eadem omnino cum ſcientifica, ſeu demonſtrativa (§. 792. *Log.*), commentati ſumus (§. 116. *& ſeqq. Diſc. prælim.*) & inquirat, num *Puffendorfius* regulis ejuſdem ſatisfecerit: niſi enim in re manifeſta cæcutire velit, eundem a methodo ſcientifica tantum abeſſe deprehendet, quantum diſtat a terra cœlum. Hæc ideo monemus, ne actum agere videamur, nec præjudicium vergat in detrimentum veritatis. Enimvero etſi concedamus in Jure Naturæ quæ traduntur, ex ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura demonſtranda eſſe; nequaquam tamen exiſtimandum eſt, omnia immediate hinc demonſtrari. Quæ enim immediate inde deducta ſunt aliis demonſtrandis inſerviunt, quemadmodum in methodo ſcientifica fieri ſolet, ipſaque veritatum a ſe invicem dependentia poſtulat.

§. 3.

Leges naturales in J. N. demonſtrandæ. *In Jure Naturæ demonſtrandæ ſunt leges naturales.* Etenim in Jure Naturæ explicanda ſunt jura & obligationes hominis naturales (§. 1.). Sed obligatio naturalis omnis a lege naturæ venit (§. 141-144. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & jus naturale homini vi legis naturæ competit (§. 160. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter hominum obligationes & jura naturalia non intelliguntur niſi per leges naturales. In Jure igitur naturæ leges naturales explicandæ ſunt. Enimvero quæ in Jure Naturæ traduntur, demonſtranda ſunt (§. 2.). Quamobrem leges naturales, quas demonſtrari poſſe conſtat (§. 455. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), in Jure Naturæ demonſtrandæ ſunt.

Monuimus jam alias (*not.* §. 160. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vulgo jus naturæ cum lege naturæ confundi. Quamobrem quando vulgo de Jure naturæ loquuntur, nonniſi leges naturæ intelligunt. Nos autem ab inconſtantia loquendi alieni unumquodque proprio ſuo nomine inſignimus. Quoties itaque de Jure Naturæ loquimur, legem naturæ nunquam intelligimus; ſed potius jus vi hujus legis ſeu naturaliter homini competens. Jus autem naturæ, quando pars Philoſophiæ dicitur (§. 1.), ſyſtema legum naturalium eſt. Unde & *Jus Naturæ* definiri poteſt per legum naturalium ſcientiam.

§. 4.

Juris Naturæ a Philoſophia practica univerſali dependentia. *Jus Naturæ ſupponit Philoſophiam practicam univerſalem.* Etenim in Philoſophia practica univerſali traduntur principia juris naturalis (§. 6. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in jure naturali quæ traduntur demonſtranda ſunt (§. 2.), demonſtrationes autem ſupponunt principia (§. 561. *Log.*), conſequenter quælibet Philoſophiæ pars ſupponit eam, in qua principia ejuſdem traduntur; Jus Naturæ ſupponit Philoſophiam practicam univerſalem.

Qua-

Digitized by Google

Quamobrem cum principiis probe imbutum poſſidere debeas animum, antequam ad demonſtrationes alicujus diſciplinæ accedas; neceſſe eſt Philoſophiam practicam univerſalem probe cognitam perſpectamque habere, antequam ad Jus Naturæ legendum accedas. Videbimus in ipſa tractatione, initio præſertim, provocari ad ea, quæ in Philoſophia practica univerſali explicata & demonſtrata ſunt. Quamobrem ubi hæc vel ignoraveris, vel non ſatis intellexeris, hærebis aqua non modo in iis, in quibus ad iſta principia provocatur, vel in quibus termini ibidem definiti adhibentur, verum etiam in ſequentibus, quæ ex hiſce ulterius deducentur. Quodſi ergo in ſtudio Juris Naturæ feliciter progredi volueris, ſtudium Philoſophiæ practicæ univerſalis eidem præmittendum.

§. 5.

Neceſſitas cognitionis Juris naturalis.

Jus naturæ ſcitu maxime neceſſarium, ſeu *cognitio Juris naturæ maxime neceſſaria*. Etenim in Jure naturæ demonſtrantur leges naturales (§. 3.). docentur etiam jura, quæ naturaliter nobis competunt, & obligationes, quibus per ipſam eſſentiam & naturam noſtram tenemur (§. 1.). Ex eodem igitur diſcimus, quomodo actiones noſtras liberas determinare debeamus (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quid a nobis fieri, quid non fieri neceſſe ſit (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & quid jure noſtro agamus. Cum nemo in dubium vocare poſſit, quod hæc ſcitu maxime neceſſaria ſint, quin cognitio juris naturæ ſcitu maxime neceſſaria ſit dubitandum non eſt.

Neceſſitatem cognitionis Juris naturæ rationibus generalibus adſtruimus. Quodſi ad particularia deſcendere luberet, multo adhuc clarius eadem pateret. Sed nolumus ſumere, quæ nondum a nobis demonſtrata ſunt, præſertim cum rationes iſtæ generales ambitu ſuo omnes particulares complectantur & in ſinu quaſi ſuo foveant. Ut tamen Juris naturæ præſtantia & cognitionis ejuſdem neceſſitas uberius percipiatur; quamnam utilitatem habeat & quibus ejus notitia apprime neceſſaria ſit, diſertius declarare lubet, quantum ferunt principia in philoſophia practica univerſali demonſtrata.

§. 6.

Juris naturæ cognitio ad culturam virtutis neceſſaria.

Qui virtutem colere voluerit, ei cognitio Juris naturæ neceſſaria. Cum enim virtus ſit habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi, vitium vero habitus actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præſcribitur (§. 321. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui virtutem colere atque adeo vitium fugere voluerit, ei lex naturæ perſpecta atque cognita eſſe debet. Quoniam itaque leges naturales demonſtrantur in Jure naturæ (§. 3.); qui virtutem colere voluerit, ei cognitio Juris naturæ neceſſaria.

Ideo Jus naturæ theoriam Ethicæ continere diximus (*not.* §. 68 *Diſc. prælim.*). Quo magis Jus naturæ excolitur, eo magis virtutem perficere datur. Non ſufficit habere voluntatem conſtantem atque perpetuam nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturæ conforme eſt; ſed requiritur, ut actiones eidem convenientes actu determinentur. Quomodo vero actiones eidem conformare poteris, niſi noveris, quid ea velit? E. gr. Juſtus non es, niſi unicuique jus ſuum tribuas. Enimvero quomodo jus ſuum unicuique tribuere poteris, niſi noris, quodnam alteri jus ſit. Docet hoc Jus naturæ (§. 1.). Quamobrem ſi juſtum te præbere volueris aliis, Juris naturæ notitia inſtructus eſſe debes. Etſi ſerium ac firmum tibi ſit propoſitum tribuendi unicuique jus ſuum, etſi ſerio deteſteris, quod idem non tribuatur; non tamen facies, quod juſtum eſt, ubi ignoraveris, quodnam ſit jus alteri, immo injuſtus eris, ubi tibi juſtiſſimus videberis. Voluntatis tuæ tibi conſcius pertinaciter in injuſte agendo perſiſtes, nec ab injuſtitia te avocari ullo modo patieris injuſtiſſimus hominum, cum juſtitia nil quicquam magis tibi in deliciis ſit, quæ, dum ſemper in ore eſt, in factis nunquam conſpicitur. Eodem modo ſeſe res habet in omni reliqua virtutum ſpecie. Exemplo nobis ſunt, qui amore pietatis ducti Neo-Phariſæorum gregi ſe aſſociant, facta ſua ex voluntate metientes, cujus ſibi ſunt conſcii, non ex lege naturali, quam ignorant & cujus ſe notitia carere poſſe arbitrantur. Ex. gr. perſuadent ſibi, quod ſufficiat noſſe, quod juſti eſſe debeamus non concupiſcentes ea, quæ ſunt alterius; ſed cum ex jure naturæ non didicerint, quænam ſint alterius, aliena appetunt, a quibus concupiſcendis ſibi videntur maxime alieni, & in alios injurii ſunt, dum neminem a ſe lædi exiſtimant. Tanto malo non afferetur medela, niſi juventus ad

ſolidam Juris naturæ cognitionem tempeſtive adducatur. Quantum noceat Juris hujus ignorantia, ſuo tempore in Philoſophia morali & civili luculentius oſtenſuri ſumus.

§. 7.

Juris naturæ cognitio ad conſecutionem ſummi boni & felicitatis neceſſaria

Qui ſummum bonum conſequi & felicitatis compos fieri voluerit; ei Juris naturæ cognitio neceſſaria. Etenim ſummum bonum conſequi non datur niſi legis naturalis cuſtodia (§. 378. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec ſine ea idem conſervari (§. 379. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec felix quiſquam eſſe poteſt (§. 399. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui ſummum bonum conſequi ac felicitatis compos fieri voluerit, ei legis naturæ cognitio neceſſaria. Enimvero leges naturæ demonſtrantur in Jure naturæ (§. 3.), ut adeo aliunde, quam ex eodem hauriri nequeat certa legum naturalium cognitio (§. 568. *Log.*). Patet itaque ei, qui ſummum bonum conſequi & felicitatis compos fieri voluerit, Juris naturæ cognitionem neceſſariam eſſe.

Qui principia Philoſophiæ practicæ univerſalis, ad quæ hic provocamus, intime perſpecta habet, aſſenſum propoſitioni præſenti non denegabit (§. 569. *Log.*). Ceteris obſtabunt de ſummo bono & felicitate præjudicia. Relegenda hic ſunt, quæ de ſummo bono (*not.* §. 374. *part. 1. Phil pract. univ.*) & felicitate cum fortuna ſecunda non confundenda alibi annotavimus (*not.* §. 399. *part. 1. Phil pract. univ.*). Nullibi magis regnant præjudicia, quam ubi de ſummo bono & felicitate hominis quæſtio incidit: nullibi tamen magis quam hic nocent præjudicia.

§. 8.

Juris naturæ cognitio ad vitæ perfectæ ſtudium neceſſaria.

Qui vitæ perfectæ ſtudet, ei cognitio Juris naturæ neceſſaria. Qui enim vitæ perfectæ ſtudet, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere debet, ſeu actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & quo magis actiones ſuas legi naturæ conformat, eo propius ad vitam perfectam accedit (§. 18. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero actiones ſuas legi naturæ conformare nequit, niſi qui certam ejus poſſidet cognitionem, qui vitæ perfectæ ſtudet, ei certa legum naturalium cognitio eſſe debet. In jure naturæ demonſtrantur leges naturæ (§. 3.) & quæ demonſtrantur, earum certa datur cognitio (§. 568. *Log.*). Quoniam itaque ex Jure naturæ haurienda certa legum naturalium cognitio; qui vitæ perfectæ ſtudet, ei cognitio Juris naturæ neceſſaria.

Nemo magis opus habet exaſciata legum naturalium cognitione, quam qui vitæ perfectæ ſtudet & ad eandem adſpirat. In horum igitur gratiam inprimis condendum eſt legum naturalium ſyſtema demonſtrativa methodo. Quibus nimis difficile videtur vitæ perfectæ ſtudium, ſi ſyſtema Juris naturæ methodo ſcientifica adornatum ſupponat; illi perpendant velim, quæ de vitæ moralis perfectione demonſtravimus (§. 9. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*) ſibique imputent, quod facultatis appetitivæ perfectionem faciliorem eſſe arbitrentur perfectione intellectus. Dolendum ſane, quod hoc præjudicio teneantur plerique, quaſi tantummodo artis ſit perficere intellectum, in appetitu autem perficiendo nullum collocandum ſit ſtudium. Integra praxis moralis, quam in parte ſecunda Philoſophiæ practicæ univerſalis propoſuimus, contrarium loquitur. Immo idem clarius eluceſcet, ubi Philoſophiam moralem ad formam ſcientiæ revocaverimus, qualem huc uſque aliis Philoſophiæ partibus induximus.

§. 9.

Juris naturæ cognitio ad cuſtodiam conſcientiæ neceſſaria.

Cognitio Juris naturæ ad cuſtodiam conſcientiæ neceſſaria. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere debet (§. 633. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Eodem igitur quo ante (§. 8.), modo oſtenditur, Juris naturæ cognitionem ad cuſtodiam conſcientiæ neceſſariam eſſe.

Qui

Digitized by Google

Qui ex Philoſophiæ practicæ univerſalis parte utraque didicit, quanti momenti ſit cuſtodia conſcientiæ, me tacente intelliget, quantus ſit Juris naturæ fructus; quo id ad cuſtodiam conſcientiæ conducat.

§. 10.

Qui culpæ nullius ſibi conſcius eſſe voluerit, Juris naturæ cognitione carere nequit. Etenim ullius culpæ ſi tibi conſcius eſſe nolis, neceſſe eſt ut omnem facias facultatum tuarum uſum, quem facere potes, in actionibus tuis omnibus legi naturali exacte conformandis (§. 680. *part. 2. Phil. pract. univ.*), adeoque neceſſe eſt ut certa legum naturalium cognitione ſis inſtructus. Unde porro eodem modo colligitur, Juris naturæ cognitione carere minime poſſe eum, qui culpæ nullius ſibi conſcius eſſe voluerit, quo ſupra (§. 7.) evicimus, ad ſummum bonum & felicitatem conſequendam juris naturæ cognitionem neceſſariam eſſe. *Eadem neceſſaria ad animum ab omni culpa ſenſu liberum.*

Qui novit, quanta pars felicitatis ſit nullius ſibi culpæ conſcium eſſe (§. 685. *part. 2. Phil. pract. univ.*), neceſſitatem & præſtantiam Juris naturæ hinc colliget. Non jam addimus plura, quæ ſuo demum loco patebunt, præſertim ubi de Jure Gentium egerimus. Dicta abunde ſufficiant ad perſuadendum utilitatem & neceſſitatem Juris naturæ, ut nemo argutari poſſit, non opus eſſe ut tantum ſtudium in addiſcendo Jure naturæ collocetur, quantum requirit lectio ſyſtematis, quod adornare viſum eſt.

PROLEGOMENORUM FINIS.

JURIS

JURIS NATURÆ

PARS PRIMA

DE OBLIGATIONE ET JURE HOMINUM UNIVERSALI.

CAPUT PRIMUM.

De obligatione & Jure Hominum univerſali in genere.

§. 11.

Obligationis univerſalis definitio.

O*Bligatio univerſalis*, eſt, qua quilibet homo tenetur, quatenus homo eſt.

Ita quilibet homo conſervare tenetur corpus ſuum, quia homo eſt, ſeu quatenus tanquam homo conſideratur, ad corpus ſuum conſervandum obligatus intelligitur. Hæc igitur obligatio univerſalis eſt. Nemo eſt mortalium, qui ſit ab hac obligatione liber. Similiter quilibet homo Deum amare debet, quia homo eſt, & hæc obligatio in ipſum cadit, quatenus homo eſt. Obligatio igitur ad amorem Dei univerſalis eſt. Nemo hominum ab hac obligatione exemptus eſt. Quilibet homo opem ferre tenetur alteri, qui eadem indiget, pro virili ſua, quia homo eſt, & hæc obligatio ipſi convenit, quatenus homo eſt. Quamobrem obligatio ad ferendum opem alteri pro virili, qui eadem indiget, univerſalis eſt. Sumimus hic illuſtrandæ definitionis gratia, quæ inferius ſuo loco demonſtrabuntur, ne quid in ea ſuperſit obſcuri.

§. 12.

Obligationis ſingularis definitio.

Obligatio ſingularis eſt, qua quis ex alia ratione tenetur, quam quia homo eſt.

Ita quilibet pater tenetur educare liberos ſuos, non quia homo eſt, ſed quia pater eſt, ſeu quia prolem generavit. Nec tenetur ad quamlibet prolem educandam, ſed eam, quam generavit, hoc eſt, ad hanc prolem, non aliam. Obligatio itaque educandi prolem ſingularis eſt. Patet autem ratio denominationis inde deſumpta, quia reſpicit ens quoddam ſingulare in ſingulari ſpectatum. Quamobrem etſi obligatio conſervandi corporis ſui reſpiciat ens quoddam ſingulare, corpus nimirum ſuum; hoc ipſum tamen hic non conſideratur ut ſingulare, ſed ſub univerſali ratione, quatenus ſcilicet corpus humanum eſt, ut adeo eadem obligatio ſeſe etiam extendat ad aliorum hominum corpora, quantum permittit facultatum noſtrarum uſus.

Et

Et quamvis Deus ens ſingulare ſit, in obligatione tamen ad eum amandum non ſpectatur ut ens ſingulare, ſed ut ens hiſce attributis veſtitum, ita ut, ſi fieri poſſet plures dari Deos, ad eos omnes amandos obligaremur. Similiter obligatio ad ferendum opem alteri, qui eadem indiget, non ſupponit alterum eſſe Petrum vel Paulum, ſed generaliter hominem, qui ope noſtra indiget. Pariter quilibet dominus obligatur ad recte utendum rebus ſuis non quia homo eſt, ſed quia dominus eſt, & rectus uſus, ad quem faciendum obligatur, reſpicit hasce præciſe res in ſingulari, quæ ipſi propriæ ſunt, quatenus tanquam ipſi propriæ, adeoque tanquam res ſingulares ſpectantur, non vero generaliter, quatenus ſunt res, quæ ipſi uſum quendam præbere poſſunt. Enimvero non opus eſt, ut ad rationem denominationis animum attendas, ne præter neceſſitatem in applicanda definitione difficultatibus te implices inquiſiturus, num ens illud, quod reſpicit obligatio, conſideretur ut ſingulare, non vero ſub ratione quadam univerſali. Sufficit enim noſſe, quod ratio, cur obligeris, non ſit hæc, quia homo es, ſed alia propior ab ea diverſa, veluti quod pater es hujus prolis, vel dominus harum rerum. Præſupponit nimirum obligatio actum quendam ſingularem, ſine quo non daretur, veluti actum generationis, vel actum, quo dominium acquiſiviſti. In applicandis definitionibus non habenda eſt ratio denominationis, ſed notarum definitionem ingredientium (§. 349 *Log.*), adeoque parum refert, ſive illa apta fuerit, ſive minus. Obligatio venditoris ad tradendam mercem emtori ſingularis eſt, quia eadem tenetur venditor, non quia homo eſt, ſed quia venditor, ſeu quia rem ſuam alteri vendidit. Differentia itaque obligationis univerſalis ſatis manifeſta eſt, ut non ſine ratione eandem in univerſalem & ſingularem diſtinguamus. Unum tamen adhuc monere conſultum eſt. Videbimus deinceps eandem obligationem gradu differre in diverſis ſubjectis; quod ipſam tamen non efficit obligationem ſingularem, ſi per ſe univerſalis fuerit, utut hinc deſcendat obligatio ad quoſdam actus, ad quos alii non obligantur. Sed de hiſce plura dicemus ſuo loco.

§. 13.

Jus univerſale eſt, quod homini cuilibet competit, quatenus homo eſt. *Juris univerſali definitio.*

Lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Hoc igitur jus cum competat homini cuilibet, quatenus homo eſt (§. 161. *p. 1. Phil. pract. univ.*), jus quoddam univerſale eſt, quatenus ad obligationem univerſalem refertur. Ex. gr. Univerſalis obligatio eſt ad conſervandum corpus ſuum (*not.* §. 11.). Quamobrem cum ſine cibo ac potu corpus conſervari nequeat; homo habet jus ad eas res, quæ cibo ac potui inſerviunt. Habet jus ad eos actus, quibus res iſtæ acquiruntur. Hæc adeo jura univerſalia ſunt.

§. 14.

Jus ſingulare eſt, quod homini cuidam competit ex ratione alia, quam quia homo eſt. *Juris ſingularis definitio.*

Ita imperium in liberos ſuos parentibus non competit, quia homines ſunt, ſed quia prolem a ſe procreatam educare tenentur, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, conſequenter quatenus parentes ſunt. Hoc igitur jus, quod reſpondet obligationi ſingulari (*not.* §. 12.) ſingulare eſt. Similiter ſi quis rem nullius occupat ad faciendum ejus uſum quem obligatio naturalis exigit; jus quod in eam acquirit, ſingulare eſt. Illuſtrationi juris ſingularis inſerviunt, mutatis mutandis, quæ modo de obligatione ſingulari annotavimus.

§. 15.

Si fuerit ſeries rationum A, B, C &c. S ipſius T, ita ut A ſit ratio ipſius B, B vero ipſius C & ita porro, tandemque S ipſius T; dicetur S *Ratio* ipſius T *proxima*, ceteræ omnes dicentur *remotæ*, & C dicetur *propior* quam B, B vero *propior* quam A; ex adverſo autem A *remotior* quam B, B vero *remotior* quam C & ita porro, donec tandem ad proximam pervenias, qua alia propior non datur. *Ratio proxima, propior, remota quid ſit.*

Eodem modo hic ſeſe res habet, quo in ſerie cauſarum efficientium, in qua cauſa effectus eſt effectus alterius cauſæ, & hæc denuo effectus cauſæ alterius. Quamobrem cauſarum diſtinctionem

nem

nem applicavimus ad rationem (§. 889. *Ontol.*). Dari iſtiuſmodi rationum ſeriem, qualem in definitione ſupponimus, ex ſyſtemate legum naturalium conſtabit, quod jam adnotare conſtituimus. E. gr. ratio dominii rerum eſt jus primævæ communionis & obligatio ad præferendum id, quod eſt altero melius. Ratio juris primævæ communionis eſt jus ad res, ſine quibus obligationi naturali ſui conſervandi ſatisfacere non licet. Ratio hujus juris obligatio ad corpus ſuum conſervandum. Ratio obligationis ad corpus ſuum conſervandum ipſa eſſentia & natura corporis, quemadmodum ratio obligationis ad præferendum, quod altero melius, ipſa natura voluntatis. Eſt igitur jus primævæ communionis & obligatio ad præferendum id, quod altero melius; ratio proxima dominii, ratio juris primævæ communionis, nimirum juris ad res, ſine quibus obligationi ſui conſervandi ſatisfieri nequit, dominii ratio remotior, obligatio ad conſervationem corporis ſui adhuc remotior, illa adeo hac propior & ita porro. Quomodo igitur jura & obligationes a ſe invicem dependeant, tum demum diſtincte intelligitur, uti methodo demonſtrativa jura & obligationes eo ordine digeſſeris, quo unum eorum ponendum eſſe intelligitur poſito altero. Quamobrem ſi cui definitio aliquid obſcuritatis alere videtur, ut eam non ſatis intelligat; hoc penitus evaneſcet, ubi jurium & obligationum nexum omnem expoſuerimus.

§. 16.

Ratio prima & ultima quænam dicatur.

Ratio, in qua terminatur analyſis rationis proximæ in ſuas remotiores, ſeu a qua incipit illa rationum ſeries, in qua tandem ad proximam deſcenditur vocatur *prima*, ſi ab ea deſcendendo progrederis ad proximam; *ultima* vero ſi a proxima regrederis, donec tandem ſubſiſtendum.

Ita dominii ratio prima vel etiam ultima eſt ipſa eſſentia & natura humana, prouti ex hac continuo demonſtrationis filo tandem deduxeris dominium, vel dominii rationem proximam tandem reſolveris in ipſam eſſentiam atque naturam humanam.

§. 17.

Obligationis connatæ definitio.

Obligatio connata dicitur, cujus ratio proxima in ipſa hominis eſſentia atque natura continetur, aut quæ ex tali obligatione per ſe, hoc eſt, nulla ſuperaccedente ratione alia deſcendit.

Ita obligatio ad conſervationem corporis ſui connata eſt; ratio enim ejus proxima, quemadmodum inferius oſtendetur, in ipſa hominis eſſentia atque natura continetur. Similiter connata eſt obligatio eam capiendi cibi quantitatem, quæ ſanitati non officit, cum ex altera per ſe deſcendat, quemadmodum denuo ſuo patebit loco.

§. 18.

Obligationis contractæ definitio.

Obligatio contracta vocatur, quæ ex obligatione rationem proximam in ipſa hominis eſſentia atque natura habente per ſe non deſcendit, ſed facto demum quodam interveniente.

E. gr. Obligatio venditoris ad tradendam mercem emtori contracta eſt, quia ex obligatione quadam rationem proximam in ipſa eſſentia atque natura hominis habente per ſe non deſcendit, ſed interveniente demum introductione dominii atque contractu emtionis venditionis deſcendit. Similiter obligatio parentum ad educandam prolem ſuam contracta eſt, quia ex obligatione rationem proximam in ipſa hominis eſſentia atque natura habente per ſe non deſcendit niſi interveniente actu generationis. Differentia inter obligationem connatam & contractam plena luce fulgebit, quamprimum obligationes omnes fuerint demonſtratæ, ut appareat, cur in hominem cadant, & quomodo aliæ ex aliis deſcendant.

§. 19.

Obligatio abſoluta quænam ſit.

Obligatio abſoluta eſt, quæ in hominem per ſe cadit citra ullum factum humanum ſuppoſitum. Aſt *hypothetica* vocatur, quæ nonniſi ſub certa facti humani conditione eidem competit.

E. gr.

E. gr. Obligatio ad ferendam alteri opem pro virili, qui ope noſtra indiget, abſoluta eſt: ea enim in hominem per ſe cadit, nulla conditione alia præſuppoſita. Enimvero obligatio dandi eleemoſynam pauperi, vel furtum non committendi hypothetica eſt, quia in hominem non cadit, niſi introductis dominiis. Similiter obligatio ad educationem prolis non per ſe cadit in hominem, ſed ſuppoſita hac conditione, quod prolem generavit; adeoque hypothetica eſt. Nimirum ſi dominia non fuiſſent introducta, nec eleemoſynis, nec furto locus eſſet. Et niſi prolem generaſſes, nec obligatio prolem educandi in te caderet. Enimvero obligatio ferendi opem eadem indigenti ſimpliciter de omni homine prædicatur, non attenta ratione alia, quam quod homo ſit.

§. 20.

Qualis ſit obligatio abſoluta.

Omnis obligatio abſoluta connata eſt. Obligatio enim abſoluta per ſe in hominem cadit citra ullam conditionem (§. 19.). Quoniam itaque ratio, qualem habere debet (§. 70 *Ontol.*), cur eidem conveniat, in ipſo continetur; neceſſe eſt ut aut rationem proximam habeat in ipſa eſſentia atque natura hominis, aut ut ex tali obligatione per ſe deſcendat, nulla accedente ratione alia, quatenus ſcilicet cum illa ſimul ponitur. Enimvero connata eſt obligatio, cujus ratio proxima in ipſa hominis eſſentia atque natura continetur, aut quæ ex tali obligatione per ſe nulla ſuperaccedente ratione alia deſcendit (§. 17.). Omnis itaque obligatio abſoluta connata eſt.

Nimirum dantur obligationes, quæ in hominem cadere intelliguntur per eſſentiam atque naturam ejuſdem, & hæ rationem proximam in eadem habent (§. 15.). In hiſce obligationibus continetur ratio, cur aliis quoque teneatur homo, & hæ denuo rationem continent, cur aliis adhuc ſit obnoxius. Aliæ iſtæ obligationes dicuntur ex primis deſcendere habentque rationem proximam vel in primis illis obligationibus vel in aliis inde ortis, remotam vero in eſſentia atque natura hominis. Unde poſita eſſentia atque natura hominis cum primis ſimul ponuntur omnes inde deſcendentes, quotquot earum fuerint, atque adeo connatæ ſunt & cum prima per ſe in hominem in ſe ſpectatum citra ullam conditionem ſuppoſitam cadunt, ac ideo abſolutæ ſunt. Hæc ita ſeſe habere abunde conſtabit, ubi omnes hominis obligationes ac jura demonſtraverimus.

§. 21.

Identitas obligationis hypotheticæ & contractæ.

Obligatio hypothetica cum contracta eadem eſt. Etenim hypothetica obligatio nonniſi ſub certa facti conditione homini convenit (§. 19.), conſequenter cum ipſa eſſentia & natura hominis non ponitur, adeoque ex obligatione in eadem rationem proximam habente deſcendere nequit per ſe (§. 118. *Ontol.*), ſed facto demum quodam interveniente deſcendere debet. Eſt igitur eadem cum contracta (§. 18.).

Eadem obligatio diverſo reſpectu nunc hypothetica, nunc contracta vocatur. Contracta enim dicitur in oppoſitione ad connatam; hypothetica vero, quatenus opponitur abſolutæ.

§. 22.

Quidnam ex altero oriri dicatur.

Uuum ex altero oriri dicitur, quod rationem ſui cur ſit & cur tale ſit in altero habet.

Ita ex obligatione corpus ſuum conſervandi oritur jus capiendi cibum ſalubrem ea quantitate, quæ ſanitati non officit. Cum enim per hanc obligationem intelligatur, cur cibum capere liceat, & cur liceat hunc capere cibum & hac quantitate; jus hoc rationem ſui & cur ſit, & cur tale ſit in illa habet. Similiter arbor oritur ex ſemine, quia per ea, quæ ſemini inſunt, intelligitur, cur arbor progerminaverit, & cur talis potius ſit ſpeciei, quam alterius, immo cur præterea haſce potius qualitates habeat, quam alias, quibus ab aliis ſuæ ſpeciei differt, prouti ſemen vel tanquam certæ ſpeciei, vel tanquam hoc individuum conſideratur. Significatum phraſi tribuimus maxime generalem, non modo ut amplior ſit ejus uſus, verum etiam ne ſcrupuloſioribus anſam cavillandi præbeamus.

Digitized by Google

§. 23.

Juris ortus. *Jus oritur ex obligatione paſſiva.* Eſt enim facultas agendi, quod moraliter poſſibile eſt, & non agendi, quod moraliter impoſſibile (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum moraliter poſſibile non ſit, niſi quod ſalva actionis rectitudine fieri poteſt (§. 952. *part.* 1. *Theol nat.*); per hoc jus eſſe intelligitur, quod neceſſe ſit, ut recte agamus, & per hoc jus tale eſſe agnoſcitur, quod neceſſe ſit, ut hoc agamus, conſequenter cur jus ſit, & cur tale ſit, in neceſſitate agendi & non agendi morali rationem habet. Enimvero neceſſitas agendi & non agendi moralis obligatio eſt paſſiva (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract univ.*). Jus igitur cur ſit & cur tale ſit rationem ſui habet in obligatione paſſiva. Quamobrem cum ex altero oriatur, quod rationem ſui cur ſit & cur tale ſit in altero habet (§. 22.); jus ex obligatione paſſiva oritur.

Non dubito fore haud paucos, quibus demonſtratio propoſitionis præſentis videbitur obſcura. Enimvero hi non perpendunt notionem Juris in genere eſſe admodum generalem & in notiones abſtractas reſolvi & eodem modo etiam ſeſe habere notionem obligationis. Quoniam igitur ex hiſce notionibus demonſtranda eſt propoſitio, ſibi imputare debet, qui eam intelligere voluerit, antequam notiones juris & obligationis in genere aliaſque notiones abſtractas, in quas iſtæ reſolvuntur, ſibi familiares reddidit, aut acumen, quod notiones abſtractæ præſupponunt, acquiſivit. Ne tamen quicquam prætermiſiſſe videamur, quod lucem affundere poſſit; demonſtrationem ad caſum particularem applicare lubet. Homo obligatur ad corpus ſuum conſervandum. Ex hac obligatione oritur jus non modo capiendi cibum ſalubrem ea quantitate, quæ ſanitati ſufficit, verum etiam ad eas res, quæ in eſculentorum numero ſunt. Quia obligaris ad corpus tuum conſervandum, neceſſe eſt ut hoc facias moraliter, etſi phyſice quoque poſſibile ſit, ut non facias (§ 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ſine cibo corpus conſervari non poſſit, moraliter impoſſibile non eſt, ut cibum capias, conſequenter eas res accipias, quæ huic uſui ſerviunt. Quoniam itaque facultas agendi, quod moraliter impoſſibile non eſt, jus ſit (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus capiendi cibum & dominium earum rerum, quæ huic uſui ſerviunt, ex obligatione conſervandi corporis oritur. Suo loco idem diſtinctius demonſtrabitur. Sufficit hoc exemplo docuiſſe, quod hoc jus ex obligatione quadam præſuppoſita oriatur, quemadmodum hic in genere evincitur. Neque vero eſt quod objicias, dari etiam jura, quæ ex obligatione ortum minime trahant, veluti dominium rei donatæ, quod ex donatione oritur. Qui enim hoc objicit, modum acquirendi dominium ſeu jus aliquod cum ejus ortu confundit, de quo hic nobis ſermo eſt. Donatio ſpecies quædam translationis dominii eſt. Per translationem vero juris ſui in alterum hoc ipſum non oritur, ſed ſupponitur, cum transferri non poſſit in alterum, quod nondum eſt.

§. 24.

Cur obligatio prior jure. Quoniam jus oritur ex obligatione (§. 23.), id vero, ex quo alterum oritur, eodem prius eſt (§. 22.); *obligatio prior eſt jure*, hoc eſt, *ante ponenda eſt aliqua obligatio, quam jus aliquod concipi poſſit.*

Hinc in Philoſophia practica univerſali primum oſtendimus, ad quid nos obliget lex naturæ (§. 153. *part.* 1.) deinde demum hinc demonſtravimus, ad quoſnam actus & quaſnam res nobis jus det lex eadem (§. 158. 159. *p.* 1.)

§. 25.

Juris cum obligatione nexus. *Si nulla eſſet obligatio, nec jus ullum foret.* Etenim jus oritur ex obligatione (§. 23.). Habet igitur rationem ſui, cur ſit & cur tale ſit, in eadem (§. 22.), adeoque non ponitur, niſi poſita obligatione (§. 118. *Ontol.*). Nullum igitur jus foret, ſi nulla eſſet obligatio.

Hinc qui contendunt nullam dari obligationem, qua homo tenetur, ſed licitum ille affirmant omne id, quod quis facere poteſt, nullum quoque juri locum concedunt, ſed jus omne nomen inane eſſe pronunciant, & jura tantummodo ab hominibus utilitatis ſuæ cauſa conficta eſſe ſomniant.

§. 26.

Digitized by Google

§. 26.

Jus connatum dicitur, quod ex obligatione connata oritur.

Juris connati definitio.

Ita obligatio conſervandi corporis ſui connata obligatio eſt (*not.* §. 17.). Ex ea oritur jus tum ad eas actiones, ſine quibus vita conſervari nequit, tum ad eas res, quæ ad vitæ conſervationem neceſſariæ ſunt (*not.* §. 23.). Utrumque jus connatum eſt.

§. 27.

Nexus juris connati cum obligatione connata.

Jus connatum cum obligatione connata ſimul ponitur. Jus enim connatum ex obligatione connata oritur (§. 26.). Quoniam itaque ex altero oritur quod rationem ſui cur ſit & cur tale ſit in altero habet (§. 22.), poſita vero ratione ſufficiente ponatur etiam id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt, (§. 118. *Ontol.*; poſita obligatione connata ponitur etiam jus connatum, conſequenter jus connatum cum obligatione connata ſimul ponitur.

Alia eſt ratio entium moralium, quam phyſicorum. In natura enim rerum omnia fiunt ſucceſſive, adeoque unum quoque ex altero ſucceſſive oritur, veluti arbor ex ſemine, habitus ex diſpoſitione. Ast cum jus ex obligatione oriri concipitur, quoniam nulla cauſæ efficientis actione opus, quemadmodum in ortu entium phyſicorum, propter mutuam dependentiam a ſe invicem ponuntur ſimul, ut, quamprimum obligatio quædam connata concipitur, concipiendum quoque ſit aliquod jus, ſine quo eidem ſatisfieri nequit.

§. 28.

Nexus juris connati cum eſſentia & natura hominis.

Poſita eſſentia & natura hominis, ponitur etiam omne jus connatum. Jus enim connatum ſimul ponitur cum obligatione connata (§. 27.). Quoniam itaque obligatio connata vel rationem proximam in eſſentia & natura humana habet, vel ex tali obligatione per ſe, nullo interveniente facto humano deſcendit (§. 17.), adeoque cum ipſa eſſentia & natura humana ponitur (§. 118. *Ontol.*); poſita eſſentia & natura hominis ponitur etiam omne jus connatum.

Si quis perpendit, quomodo obligatio una ex altera per ſe deſcendat, nimirum quatenus in hac altera rationem ſufficientem cur detur agnoſcit; ei nihil in demonſtratione propoſitionis præſentis dubii ſupereſſe poterit.

§. 29.

Univerſalitas juris connati.

Quoniam jus connatum ponitur, poſita eſſentia atque natura hominis (§. 28.); jus connatum cuilibet homini competit, quatenus homo eſt, conſequenter cum jus univerſale ſit, quod homini cuilibet competit, quatenus homo eſt (§. 13.); *jus connatum omne jus univerſale eſt.*

Per eſſentiam atque naturam ſuam etiam a ſe invicem diſtinguuntur, quæ adeo eadem in omnibus individuis ad eandem ſpeciem vel idem genus relatis. Unde quod uni convenit, quis hanc eſſentiam atque naturam habet, id etiam convenit alteri. Quodſi dubites, num eſſentia eadem eandem quoque requirat naturam; ſequentem addere lubet demonſtrationem.

§. 30.

Cur quæ ſunt ejuſdem eſſentiæ eandem naturam habeant.

Entia eandem eſſentiam habentia eandem quoque naturam habent. Si enim duo vel plura entia eandem eſſentiam habent, quæ per eandem in uno poſſibilia concipiuntur (§. 168. *Ontol.*), eadem etiam per eandem poſſibilia intelliguntur in altero (§. 181. 118. *Ontol.*). Quamobrem etiam actiones, quæ per eſſentiam in

in uno poſſibiles concipiuntur, in altero quoque poſſibiles ſunt, quod eandem eſſentiam habet. Enimvero principium actionum entis internum natura eſt (§. 145. *Coſmol.*). Quoniam itaque principium in ſe continet rationem ejus, cujus eſt principium (§. 866. *Ontol.*), conſequenter natura in ſe continet rationem, cur actiones iſtæ actu contingant, quæ per eſſentiam nonniſi poſſibiles ſunt; ſi eſſentia fuerit eadem, natura quoque eadem.

Quod principium mutationum, adeoque naturam habet, (§. 145 *Coſmol.*), ſubſtantia eſt (§. 872. *Ontol.*). Unde patet entia, de quibus loquitur propoſitio præſens, nonniſi ſubſtantias eſſe. In animabus natura eadem vis eſt (§. 67. *Pſych. rat.*); in corporibus vis motrix (§. 137. 145. *Coſmol.*), & dum vim motricem percipit anima, vires, quæ inſunt elementis, ex quibus corpora aggregantur (§ 176. 182. *Coſmol.*) confuſe ſibi repræſentat (§. 110. *Pſychol. rat.*), adeoque dubitari nequit, quin ejuſdem quoque generis vis inſit ſingulis elementis. Subſtantiis igitur omnibus ejuſdem generis eadem eſt natura.

§. 31.

Identitas juris connati omnium hominum.

Jus connatum omnium hominum idem eſt. Etenim jus connatum omne univerſale eſt (§. 29.), conſequenter homini cuilibet competit, quatenus homo eſt (§. 13.). Jus igitur connatum omnium hominum idem eſt.

Quod igitur jus connatum tibi eſt, idem etiam eſt mihi, & quantum hujus juris tibi eſt, tantundem etiam mihi eſt. Nemini prærogativa competit præ altero.

§. 32.

Natura quidnam habere dicamur.

Natura habere dicimur, quod nobis per eſſentiam & naturam noſtram competit. Et ſimiliter *natura ineſſe* dicitur, quod per eſſentiam & naturam noſtram nobis ineſt.

Ita homo natura habere dicitur appetitum felicitatis, quia hic appetitus eidem competit per eſſentiam atque naturam animæ.

§. 33.

Unde jus connatum homo habeat.

Jus connatum homo natura habet. Etenim jus connatum omne ponitur poſita eſſentia & natura hominis (§. 28.), adeoque per eſſentiam & naturam ſuam ipſi competit. Quoniam itaque natura habet, quod per eſſentiam atque naturam ipſius eidem competit (§. 32.); ideo jus connatum natura habet.

Nimirum quando quæritur, quomodo illa jura, quæ in connatorum numero ſunt, fuerimus conſecuti, tum reſpondendum eſt, non opus fuiſſe, ut ea demum conſequeremur, cum natura eadem habeamus. Ita jus ſeſe defendendi natura habemus, neque adeo opus eſt, ut quæratur, quiſnam nobis hoc jus indulſerit. Ceterum deinceps oſtendemus, quod, quæ natura habemus, ea ad Deum naturæ autorem tanquam datorem referenda ſint. Etſi autem quis non agnoſcat dari Deum, qui ſit naturæ autor & dator omnis boni; hæc ipſa tamen jura connata in dubium vocare nequit, quia eadem natura habemus.

§. 34.

Obligatio connata unde homini ſit.

Obligatio connata homini natura ineſt. Obligatio enim connata rationem proximam in eſſentia & natura hominis habet, aut ex hac obligatione per ſe nullo interveniente facto humano deſcendit, hoc eſt, rationem proximam habet in obligatione, quæ proximam agnoſcit in eſſentia & natura hominis, aut in aliqua ab hac remotiori (§. 17.), conſequenter cum ipſa eſſentia & natura ho-

hominis ponitur (§. 118. *Ontol.*). Quoniam itaque homini per eſſentiam atque naturam eidem competit, natura eidem ineſt (§. 32.); obligatio connata homini natura ineſt.

Ex obligatione connata oritur jus connatum (§. 16.) & cum ea ſimul ponitur (§. 27.). Quoniam itaque obligatio connata homini natura ineſt (§. *praeſ.*), ut quærendum non ſit, quis eandem homini indiderit; ideo mirum non eſt, quod jus etiam connatum natura habeat (§. 33.). Nimirum quia homo hanc habet eſſentiam atque naturam, ad haſce actiones committendas, illas omittendas obligatur, & propter hanc obligationem hæc habet jura. Atque adeo hoc jus & hæc obligatio cum ipſo homine oritur, & in idea ejus jam involvitur, nec demum homini nato aliunde advenit. Hæc probe notanda ſunt, ut intelligatur, quomodo jura & obligationes homini connaſcantur. Cohærent hæc cum eſſentiis neceſſariis & veritatibus neceſſariis. Qui vero eſſentias arbitrarias fingunt, & ſubſtantias inſtar receptaculorum vacuorum ſibi imaginantur, quibus Deus pro arbitrio indiderit, quæ ineſſe voluit; jura quoque & obligationes homini connaſci arbitrantur, quatenus Deus vult eundem hiſce obligationibus teneri, & eidem competere hæc jura, ita ut nec iſtis teneretur, nec hæc eidem competerent, ſi ipſi aliter viſum fuiſſet, cum potius dicendum ſit, Deum creaſſe hominem hanc eſſentiam atque naturam habentem, quia voluit hominem omnem hiſce obligationibus teneri & hæc eſſe ipſius jura, cum videret, quales obligationes & quales jura in idea ipſius involverentur.

§. 35.

Jus acquiſitum dicitur, quod ex ſola quadam obligatione connata non oritur, ſed interveniente demum facto quodam humano reſultat.

Jus acquiſitum quodnam ſit.

Ita jus parentum in liberos oritur ex obligatione eos educandi, quæ connata non eſt, ſed contracta & actum generationis ſupponit (*not.* §. 18.). Eſt igitur jus acquiſitum. Dominium in re emta, quod quis ex contractu emtionis venditionis habet, ſupponit & dominiorum introductionem & translationem dominii a venditore factam. Eſt igitur jus acquiſitum.

§. 36.

Jus acquiſitum non ponitur poſita ſola eſſentia & natura hominis. Jus enim acquiſitum non reſultat niſi facto quodam tuo interveniente (§. 35.). Cum adeo non intelligatur tibi convenire, niſi hoc factum interveniat; ſine eo non datur ratio ſufficiens, cur tibi conveniat (§. 56. *Ontol.*), conſequenter poni nequit, niſi etiam ponatur hoc factum (§. 118. *Ontol.*). Nondum igitur ponitur poſita ſola eſſentia & natura hominis.

Juris acquiſiti nexus cum natura humana non neceſſarius.

Ita nondum tibi competit imperium in liberos, quia homo es, ſeu hanc eſſentiam atque naturam habes; ſed requiritur præterea, ut etiam liberos generaveris. Unde jus hoc acquiſitum (*not.* §. 35.) non ponitur poſita eſſentia & natura hominis.

§. 37.

Jus acquiſitum homo natura non habet. Cum enim non ponatur poſita ſola eſſentia & natura hominis (§. 36.), per eandem quoque ipſi non competit. Quamobrem quia natura non habemus, quod nobis per eſſentiam & naturam noſtram non competit (§. 32.); jus etiam acquiſitum natura non habemus.

Cur idem non habeamus natura.

§. 38.

Jus acquiſitum jus ſingulare eſt. Etenim jus acquiſitum non natura habes (§. 37.), adeoque tibi non competit per eſſentiam atque naturam tuam (§. 32.),

Quale ſit jus.

con-

Digitized by Google

conſequenter non competit quia homo es, ſed ex ratione alia (§. 70. *Ontol.*). Quoniam itaque jus ſingulare eſt, quod tibi non competit, quia homo es, ſed ex ratione quadam alia (§. 14.); jus acquiſitum jus quoddam ſingulare eſt.

Ita imperium in liberos tuos jus acquiſitum eſt (*not.* §. 35.) quia tibi competit, non quia homo, ſed quia pater es, hoc eſt, quia eoſdem generaſti. Jus etiam ſingulare eſt, nec ulli hominum competit, quam tibi, quemadmodum jam ſupra annotavimus (*not.* §. 14.). Jus igitur hoc acquiſitum ſingulare eſt.

§. 39.

Obligatio contracta cur non inſit naturæ.

Obligatio contracta naturæ non ineſt homini. Obligatio enim contracta non deſcendit ex obligatione, quæ rationem proximam in eſſentia atque natura hominis habet, per ſe, ſed facto demum quodam interveniente (§. 18.), adeoque niſi hoc interveniente intelligi non poteſt, cur eidem conveniat. Quoniam itaque non datur ratio ſufficiens hujus obligationis niſi poſito hoc facto (§. 56. *Ontol.*), conſequenter poſita eſſentia & natura humana nondum ponitur (§. 118. *Ontol.*); nec per eſſentiam & naturam ſuam homini convenit. Enimvero naturæ homini non ineſt, quod per eſſentiam & naturam ſuam eidem non ineſt (§. 32.). Obligatio igitur contracta naturæ homini non ineſt.

Obligatio educandi liberos tuos ex contractarum numero eſt (*not.* §. 18.). Sed ea nec naturæ tibi ineſt, ſed ex eo demum advenit, quod liberos generaſti. Niſi enim liberos generaſſes, nec eos educare obligatus eſſes. Abſit tamen, ut tibi perſuadeas, quia jura acquiſita non naturæ habes (§ 37), nec obligatio contracta naturæ tibi ineſt (§. *præſ.*), de hiſce juribus & obligationibus non agendum eſſe in Jure naturæ, in quo jus naturale hominum & obligationum eidem reſpondentium explicatur (§. 1.). Patebit enim ſuo loco, quod jura acquiſita jura ſint, & quod obligationes contractæ ſint obligationes, a juribus & obligationibus connatis eſſe, nec horum jurium harumque obligationum ante haberi poſſe rationem ſufficientem, quam rationes proximas tandem in eſſentiam atque naturam humanam reſolveris, adeoque ad primum fontem omnis juris reduxeris. Unde non eſt, quod dubites, jura acquiſita eſſe naturalia.

§. 40.

Obligationis primitivæ definitio.

Obligatio primitiva dicitur, quæ rationem proximam in eſſentia atque naturæ hominis habet.

Ita obligatio primitiva eſt obligatio conſervandi corporis ſui, quia ejus ratio in ipſa eſſentia atque natura non modo corporis, verum etiam animæ continetur, quatenus corpus & anima ſimul conſtituunt unam ſubſtantiam completam, hominem, adeoque corpus animæ etiam cauſa conſervandum. Dicitur autem obligatio primitiva, quatenus ex nulla obligatione ſe priori deſcendit.

§. 41.

Unde ea demonſtretur.

Quoniam obligatio primitiva rationem proximam in eſſentia atque natura hominis habet (§. 40.), adeoque per hanc ſolam intelligitur, cur homini conveniat (§. 15. *part.* 1. *Jur. nat.* & § 56. *Ontol.*); *obligationes primitivæ ex ipſa hominis eſſentia atque naturæ immediate demonſtrantur.*

Nimirum quemadmodum in Geometria ex definitionibus figurarum, quæ eſſentiam earundem explicant, primæ demonſtrantur propoſitiones, ita quoque in Jure naturæ ex eſſentia atque natura hominis primæ demonſtrandæ ſunt obligationes. Ea igitur, quæ eſſentiæ atque naturæ humanæ inſunt, definitionum loco ſunt. Quemadmodum vero præter definitiones in Geometria ſupponenda ſunt alia quædam principia, ut ex iſtis ratiocinando aliquid colligi poſſit; ita facile patet, ut ex natura & eſſentia humana immediate demonſtrentur obligationes

nes primitivæ, non obſtare ut præterea ad alia principia recurratur. Talia monenda ſunt in gratiam eorum, qui methodi nondum ſunt gnari, ne nodum in ſcirpo quærentes difficultates inanes faceſſant, aut dicta non ſatis intelligant.

§. 42.

Obligatio derivativa eſt, quæ rationem proximam in alia quadam obligatione, vel aliis obligationibus & juribus ſimul habet.

Obligationis derivativæ definitio.

Ita obligatio capiendi eibum nonniſi ſalubrem, conſequenter abſtinendi ab eo, qui ſanitati nocet, derivativa eſt, quia rationem proximam non habet in ipſa eſſentia atque natura hominis, ſed in obligatione quadam anteriore, nimirum obligatione conſervandi corporis ſui, quam eſſe primitivam modo diximus (*not.* §. 40.). Supponit adeo obligatio derivativa obligationem quandam aliam, ſive ea primitiva ſit, ſive derivativa. Et quia rationem proximam non ſemper in obligatione quadam anteriore ſola habet, ſed etiam in juribus; ideo ſubinde quoque ſupponit facta hiſce reſpondentia, ſeu quæ jure noſtro ſiunt, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 43.

Quoniam obligatio derivativa rationem proximam in aliqua obligatione anteriore, eademque non ſemper ſola, verum etiam juribus quibuſdam habet (§. 42.), adeoque obligatio quædam alia, ſubinde etiam jura quædam ante ponenda ſint, quam ea poni poſſit (§. 118. *Ontol.*); *obligationes derivativæ ex eſſentia, atque natura hominis immediate demonſtrari non poſſunt, ſed demonſtrantur ex obligationibus anterioribus ſive primitivis, ſive inde derivatis propioribus, atque juribus, a quibus ſimul pendent.*

Unde ea demonſtretur.

Qui methodi demonſtrativæ ignari ſunt, facile ſibi perſuadent, quando affirmatur, leges naturales ex ipſa hominis eſſentia atque natura demonſtrandas eſſe, omnium obligationum naturalium rationem immediate ex eſſentia & natura hominis reddi poſſe: id quod multo magis ſibi perſuadent, ubi aſſeritur, in eſſentia atque natura hominis rationem ſufficientem obligationum naturalium, ſeu legis naturalis contineri, ſi non diſtincte didicerint, quid ſibi velit ratio ſufficiens. Ne igitur difficultatibus inanibus implicentur, ubi ad demonſtrationes ſuo loco ſecuturas animum advertunt, nec præoccupantur opiniones a veritate alienæ; de modo demonſtrandi obligationes naturales quædam addere viſum fuit. Obiter hic notamus, diviſiones obligationis atque juris, quas hic in medium afferimus, capiendas eſſe de obligatione & jure naturali, etſi brevitatis gratia vocabulum naturalis omittatur, cum per ſe pateat hic non agi niſi de obligatione & jure naturali. Nec prorſus inconſultum eſt hoc moneri, ne ſint qui exiſtiment, demonſtrandum eſſe, quod obligationes, de quibus hic agitur, ſint naturales. Inde eſt, quod obligationem univerſalem definientes (§. 11.), non ſimpliciter diximus eſſe eam, qua quilibet homo tenetur, ſed addiderimus reſtrictionem, quatenus homo eſt, quia non definivimus obligationem univerſalem in genere, ſed naturalem, cum qua nobis hic ſola negotium eſt.

§. 44.

Jus primitivum eſt, quod ex obligatione aliqua primitiva oritur.

Juris primitivi definitio.

Obligatio primitiva eſt obligatio conſervandi corporis ſui. Ex eo oritur jus ad eos actus, ſine quibus vita conſervari nequit, & ad eas res, quæ ad vitæ conſervationem neceſſariæ ſunt. Utrumque igitur jus primitivum, quia ex nullo alio jure ſe priore deſcendit.

§. 45.

Quoniam jus primitivum ex obligatione aliqua primitiva oritur (§. 44.), adeoque per hanc intelligitur, cur homini competat (§. 56. *Ontol.*); *jura primitiva ex obligationibus primitivis demonſtrantur.*

Unde demonſtretur.

At-

Atque adeo patet, ante demonſtrandas eſse obligationes primitivas, quam jura primitiva demonſtrari poſſint. Hæc ideo monemus, ut conſtet, quo ordine in demonſtrando Jure Naturæ ſit procedendum.

§. 46.

Juris derivativi definitio.

Jus derivativum eſt, quod ex obligationibus & juribus aliis ſe prioribus oritur.

Jus derivativum eſt dominium: oritur enim ex jure primitivo ad res, quæ ad vitæ conſervationem neceſsariæ ſunt, & obligatione ad præferendum id, quod altero melius, quemadmodum ſuo loco patebit. In dominio continetur jus proprietatis, vi cujus homo de ipſa ſubſtantia ſuæ rei ad arbitrium diſponere poteſt. Ex eo porro oritur jus alienandi, item jus ſervitutem conſtituendi. Oſtendimus in ſuperioribus (§. 23.), jus omne oriri ex obligatione: cui contradicere videtur definitio præſens. Enimvero tenendum eſt omnia jura immediate ex aliqua obligatione reſultare; ſed ſubinde ex juribus aliis ſe prioribus ex obligatione quadam deſcendentibus, ſubinde ex juribus aliis & obligationibus ſimul. Abunde hoc conſtabit, ubi ſyſtema integrum Juris Naturæ & Gentium dederimus.

§. 47.

Unde demonſtretur.

Quoniam itaque jus derivativum ex obligationibus aliis & juribus ſe prioribus oritur (§. 46.), adeoque ante ponendæ ſunt obligationes & jura alia, quam ipſum poni poſſit (§. 118. *Ontol.*); *jura derivativa ex obligationibus & juribus aliis ſive primitivis, ſive derivativis demonſtrantur.*

Hic tandem patet in Jure Naturæ ſeu legum naturalium ſyſtemate oſtendi omnium obligationum ac jurium a ſe invicem dependentiam. Quamobrem hactenus dicta rectius intelligentur, ubi ipſas demonſtrationes obligationum & jurium dederimus, per quas perſpicuum fit; quomodo obligationes & jura a ſe invicem dependeant, ut ipſis oculis pateant, quæ nunc non niſi vi intellectus concipiuntur.

§. 48.

Juris abſoluti & hypothetici differentia.

Jus abſolutum dicitur, quod homini per ſe, nullo ſuppoſito facto humano, competit: *Hypotheticum* vero, quod nonniſi competit ſub conditione facti cujuſdam humani.

Jus ad eas res, quæ ad vitæ conſervationem neceſsariæ ſunt, abſolutum eſt, competit enim homini per ſe, non ſuppoſito facto humano. Aſt Hypotheticum eſt dominium, quod præſupponit occupationem rerum ex præſumto conſenſu cæterorum hominum factam, quemadmodum ſuo loco patebit. Hypotheticum etiam imperium civile, quod ſupponit plures homines coiviſse in populum, & in hoc conſenſiſse, quod conjunctis viribus ſalutem ſuam promovere velint. Recepta eſt hæc diſtinctio perinde ac obligationis in abſolutam & hypotheticam (§. 19.). Quamobrem eam ſilentio præterire nolumus (§. 147. *Diſc. prælim.*).

§. 49.

Jus ex obligatione connata ortum quale ſit.

Jus, quod ex obligatione connata oritur, abſolutum eſt. Pone enim ſi fieri poteſt, id abſolutum non eſſe. Quoniam abſolutum non eſt, nec homini per ſe competere poteſt citra ullum factum humanum ſuppoſitum (§. 48.), conſequenter factum tale ſupponit. Quamobrem nec rationem habere poteſt in aliqua obligatione, quæ nonniſi rationem proximam habet in ipſa eſſentia atque natura hominis, aut in obligatione alia per ſe, nulla ſuperaccedente ratione alia inde deſcendente, adeoque in nulla obligatione connata (§. 17.). Quoniam itaque ex obligatione connata non oritur, quod rationem ſui, cur ſit & cur tale

Digitized by Google

tale ſit, in eadem minime habet (§. 22.); nec jus iſtud ex obligatione connata oritur. Quod cum hypotheſin evertat, jus, quod ex obligatione connata oritur, abſolutum eſt.

Oſtenditur idem directe hoc modo. Cum quod ex altero oritur, rationem ſui, cur ſit & cur tale ſit, in eodem habeat (§. 22.); jus, quod ex obligatione connata oritur, rationem ſui cur ſit & cur tale ſit in obligatione connata habet, conſequenter cum eadem ponitur (§. 118. *Ontol.*). Enimvero obligatio connata aut rationem proximam in ipſa hominis eſſentia atque natura habet, aut ex tali obligatione per ſe, nulla ſuperaccedente ratione alia, adeoque nullo ſuppoſito facto humano, deſcendit (§. 17.). Quamobrem & jus, quod ex obligatione connata oritur, homini per ſe competere debet, nullo præſuppoſito facto humano. Jus, quod homini competit per ſe, nullo facto humano præſuppoſito, abſolutum eſt (§. 48.). Jus igitur, quod ex obligatione connata oritur, abſolutum eſt.

§. 50.

Quale jus ſit connatum.

Quoniam itaque jus connatum ex obligatione connata oritur (§. 26.), quod vero ex connata oritur obligatione abſolutum eſt (§. 49.); *jus omne connatum abſolutum eſt.*

§. 51.

Quale jus ſit abſolutum.

Viciſſim *jus omne abſolutum connatum eſt*. Quoniam enim jus abſolutum homini per ſe competit citra ullum factum humanum præſuppoſitum (§. 48.), neceſse eſt ut per ipſam eſsentiam atque naturam hominis determinetur (§. 113. *Ontol.*). Quoniam poſita eſsentia & natura hominis ponitur etiam omne jus connatum (§. 28.), determinatum vero ponitur, poſito determinante (§. 115. *Ontol.*); ideo etiam neceſse eſt jus iſtud eſse connatum, quod per eſsentiam atque naturam hominis ponitur. Jus igitur abſolutum omne connatum eſt.

Nimirum Jus unum idemque diverſo reſpectu dicitur connatum & abſolutum: connatum ſcilicet reſpectu ortus ſui (§. 26.); abſolutum vero reſpectu modi, quo de homine prædicatur (§. 48.), ſeu eidem tribuitur.

§. 52.

Quale jus hypotheticum.

Jus hypotheticum omne acquiſitum eſt & contra. Etenim jus hypotheticum homini non competit niſi ſub conditione facti cujuſdam humani (§. 48.). Enimvero quodcunque jus ex obligatione connata per ſe non oritur, ſed interveniente demum facto quodam humano reſultat, adeoque nonniſi ſub conditione ejuſdem homini competere poteſt, & acquiſitum eſt (§. 35.). Jus igitur hypotheticum omne acquiſitum eſt. *Quod erat unum.*

Contra quodcunque jus homini non competit niſi ſub conditione facti cujuſdam humani, id ipſum hypotheticum eſt (§. 48.). Jam cum jus omne acquiſitum non ex ſola quadam obligatione connata oriatur, ſed interveniente demum facto quodam humano reſultet (§. 35.); homini competere nequit niſi ſub facti cujuſdam humani conditione. Jus acquiſitum omne hypotheticum eſt. *Quod erat alterum.*

Quæ modo de jure connato & abſoluto annotavimus (*not.* §. 51.), eadem de jure acquiſito & hypothetico valent, quemadmodum idem quoque monuimus de obligatione contracta & hypothetica (*not.* §. 21.). Nimirum eadem jura naturalia & eædem obligationes naturales diverſis modis ad hominem referuntur, & hinc diverſa ſortiuntur nomina. Hæc tamen nomina non prorſus idem ſignificant, cum connotent jurium & obligationum relationes ad hominem, ut adeo pro ſynonymis haberi nequeant (§. 330. *Log.*). Abſit itaque, ut quis ſibi perſuadeat eadem diverſis nominibus inculcari.

Digitized by Google

§. 53.

Univerſalitas juris abſoluti.

Jus omne abſolutum univerſale eſt, & contra. Jus abſolutum connatum eſt (§. 51.). Sed jus connatum omne univerſale eſt (§. 29.). Ergo jus abſolutum omne univerſale eſt. *Quod erat unum.*

Porro jus univerſale eſt, quod homini cuilibet competit quatenus homo eſt (§. 13.), adeoque eidem per ſe competit, nulla ſuppoſita conditione alia, conſequenter citra ullum quoddam factum humanum præſuppoſitum. Enimvero jus omne abſolutum eſt, quod homini per ſe competit citra ullum factum humanum præſuppoſitum (§. 48.). Ergo jus omne univerſale abſolutum eſt. *Quod erat ſecundum.*

§. 54.

Juris hypothetici ſingularitas.

Ius hypotheticum omne ſingulare eſt, & contra. Jus hypotheticum omne acquiſitum eſt (§. 52.). Enimvero jus acquiſitum omne ſingulare eſt (§. 38.). Ergo hypotheticum omne ſingulare eſt. *Quod erat unum.*

Jam jus ſingulare homini cuidam competit ex ratione alia, quam quia homo eſt (§. 14.), adeoque ſupponit conditionem quandam, ſub qua eidem tribuitur. Hanc conditionem non eſſe niſi factum quoddam, quo acquiſivit, quod per naturam non habet, ex toto ſyſtemate juris naturæ patebit, tum etiam inde perſpicitur, quod præter tale factum reperiri nequeat ratio alia, cur eidem jus quoddam accedere debeat, quod natura non habet. Jus igitur ſingulare omne hypotheticum eſt (§. 48.) *Quod erat alterum.*

Propoſitiones hæ non inutiles cenſeri debent. Cum enim diverſæ juris naturalis denominationes denotent diverſas ejuſdem ad hominem relationes (*not.* §. 52.); ex una cognita per eas colligere licet alteram. Ex. gr. ubi cognoſcis jus aliquod homini eſſe connatum, inde ſtatim infers idem eſſe univerſale (§. 29.) & abſolutum (§. 53.), adeoque omni tribuendum eſſe homini abſque ullius cujuſdam facti humani conditione præſuppoſita (§. 11. 48.). Similiter ubi cognoſcis jus quoddam homini tribui per ſe citra facti cujuſdam humani conditionem, adeoque abſolutum eſſe (§. 48.), hinc ſtatim apparet idem eſſe connatum (§. 51.) & univerſale (§. 53.), adeoque hominem idem habere natura (§. 33. & convenire homini omni, quatenus homo eſt (§. 13.). Abſit itaque, ut tibi perſuadeas non hic proponi, niſi quæ tuto ignorari poſſunt, quod in praxi aliiſque demonſtrandis nullum habeant uſum.

§. 55.

Quænam leges explicent obligationes, quænam jura hominis.

Obligationes hominis explicant leges præceptivæ & prohibitivæ; jura vero leges permiſſivæ. Etenim leges præceptivæ docent, ad quid agendum obligemur (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & prohibitivæ oſtendunt, ad quid non agendum obligemur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ex lege autem permiſſiva patet, quænam nobis conveniant jura, ſiquidem obligationi utrique ſatisfacere debeamus (§. 169. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patet itaque obligationes hominis explicari in legibus præceptivis & prohibitivis; jura vero in legibus permiſſivis.

Videmus itaque obligationes ac jura hominis demonſtrare & leges naturales demonſtrare eſſe unum idemque, nec in ſyſtemate legum naturalium doceri niſi obligationes & jura hominis, immo non alium in finem condi legum naturalium ſyſtema, niſi ut obligationes ac jura hominis intime perſpiciantur.

§. 56.

Unde cognoſcantur officia.

Si leges præceptivæ & prohibitivæ demonſtrantur, officia quoque demonſtrantur, ſeu officia patent per leges præceptivas & prohibitivas. Etenim ſi leges præceptivæ demonſtrantur, cum certum nobis ſit, quod demonſtrari poteſt (§. 568. *Log.*), eo ipſo certi ſumus ad actiones haſce committendas nos obligari (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nec abſimili modo patet, nos certos eſſe, ad quaſ-

Digitized by Google

quaſnam actiones omittendas obligemur, demonſtratis legibus prohibitivis (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque actio juxta legem determinata officium eſt, quatenus ad eam ita determinandam obligamur (§. 224. *part. 1. Phil pract. univ.*); demonſtratis legibus præceptivis & prohibitivis certum nobis eſt, quænam ſint officia noſtra, conſequenter ſi illæ demonſtrantur, eo ipſo quoque hæc demonſtrantur, ſeu officia per leges præceptivas & prohibitivas patent.

Ex ſyſtemate adeo legum naturalium addiſcuntur officia hominis naturalia, qualiacunque demum ea ſint, quatenus nimirum in eodem extant leges prohibitivæ & præceptivæ.

§. 57.

Nexus obligationum, officiorum & legum præceptivarum ac prohibitivarum.

Quoniam itaque leges præceptivæ & prohibitivæ explicant non minus obligationes, quam officia (§. 55. 56.); *obligationes & officia, atque leges præceptivæ ac prohibitivæ una eademque opera demonſtrantur.*

Non tamen ideo obligatio, officium & lex præceptiva ac prohibitiva ſunt idem. Nam lex eſt propoſitio enuncians, quomodo determinanda ſit actio; officium ipſa actio eſt legi convenienter determinata; obligatio autem neceſſitas moralis actionem ſic & non aliter determinandi. Patet differentia ex definitionibus (§. 118. 163. 164. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Inſuper vero etiam liquet officia hominis aliter demonſtrari non poſſe niſi demonſtrando leges præceptivas & prohibitivas.

§. 58.

Cur in Jure naturæ non tantum demonſtranda officia.

Si officia hominis fuerint demonſtrata, nondum patent ejus jura. Etenim officia hominis demonſtrantur demonſtrando leges præceptivas & prohibitivas (§. 56.), conſequenter tantummodo patet, ad quaſnam actiones committendas vel omittendas ſimus obligati (§. 163. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nondum vero liquet, ad quænam nobis jus ſit. Quamobrem jura nondum patent, ſi officia fuerint demonſtrata.

Quoniam in Jure naturæ non modo obligationes, adeoque officia, verum etiam jura doceri debent (§. 1.); non ſufficit explicare in eodem officia, ſed jura quoque exponenda ſunt. Etſi autem ex obligationibus demonſtrari poſſint jura, non tamen antepatent; quam fuerint demonſtrata. Quid quod ſubinde jura non ex obligationibus ſolis, verum ex aliis ſimul juribus demonſtrentur? Hæc non ſemper perpendunt, qui de jure naturæ commentantur. Quamobrem ne videamur a veri tramite deflexiſſe, hoc inprimis annotandum eſſe duximus. Talia quoque prætermittenda non fuerunt, ut intelligatur neceſſitas Jus naturæ demonſtrandi & ſyſtema Juris Naturæ veri nominis condendi. Officia unam tantummodo partem Juris Naturæ conſtituunt, nec cum juribus confundenda ſunt, cum diſpar ſit officiorum & jurium ratio.

§. 59.

Cur jura ſigillatim demonſtranda.

Quoniam officiis hominum demonſtratis nondum patent ejus jura (§. 58.); *Jura ſigillatim demonſtranda ſunt.*

Patebit ex ſequentibus, fieri non poſſe, ut officia omnia demonſtrentur niſi ſimul demonſtrentur jura. Etſi enim jura ex obligatione deſcendant (§ 23.), adeoque ex eadem demonſtrentur, non tamen omnes obligationes independenter a juribus demonſtrari poſſunt; ſed jura & obligationes invicem ita permiſcentur, ut a ſe invicem dependeant: quam mutuam a ſe invicem dependentiam minime adverterunt, nec ſatis percipere potuerunt, qui de Jure naturæ hactenus commentati ſunt, propterea quod methodum demonſtrativam inſuper habuerunt. Superfluum itaque videri poterat, talia hic demum demonſtrari, niſi vis methodi adhuc ignota eſſet iis, qui ad Jus naturæ tractandum animum appellunt. Neceſſitas inſtituti noſtri evincenda eſt, ne diſciplinam longe utiliſſimam inconſulto intricatam reddere videamur.

§. 60.

Obligatio hominis jure ſuo recte utendi. *Homo obligatur ad eum faciendum juris ſui uſum, quem officia exigunt.* Etenim jus ad ea lege naturali nobis datur, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Non igitur datur niſi eo fine, ut obligationi ſatisfacere, conſequenter, quod noſtri eſt officii, facere valeamus (§ 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem neceſse eſt, ut hunc faciamus ipſius uſum, quem officia exigunt (§. 279. *Ontol.*). Quoniam itaque hæc neceſſitas obligatio eſt (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); homo obligatur ad eum faciendum juris ſui uſum, quem officia exigunt.

Vulgo ſibi perſuadent homines, ſe jure ſuo pro arbitrio uti poſſe; quod etſi aliquo ſenſu verum ſit, quemadmodum deinceps oſtenſuri ſumus, in abuſum tamen trahitur in præjudicium officiorum.

§. 61.

Rectus & non rectus juris uſus quinam ſit. *Rectus juris uſus* dicitur is, quem officia exigunt: *minus rectus* autem, qui iiſdem contrariatur. Uſus non rectus vocatur etiam *Abuſus*.

Poterat hoc demonſtrari ex ipſa uſus & abuſus notione (§.646. *part. 1. Theol. nat.*), niſi a ſubtilitatibus, quæ nimiæ videri poterant plurimis, abſtinere conſultius viſum fuiſſet.

§. 62.

Rectus uſus juris præceptus, abuſus prohibitus. *Homo obligatur ad rectum faciendum juris ſui uſum, ſeu ad recte utendum jure ſuo, & ad evitandum abuſum.* Etenim obligatur ad faciendum eum juris ſui uſum, quem officia exigunt (§. 60.). Quamobrem cum rectus juris uſus is ſit, quem officia exigunt (§. 61.); ad rectum faciendum juris ſui uſum obligatur. *Quod erat unum.*

Quoniam impoſſibile eſt, ut idem ſimul ſit & non ſit (§. 28. *Ontol.*); nec fieri poteſt, ut obligetur ad faciendum eum uſum, quem officia exigunt, & ipſi tamen permiſsus ſit uſus iiſdem contrarius, conſequenter ut jure ſuo recte uti teneatur, & tamen ipſi integrum ſit eodem abuti (§. 61.). Quoniam itaque obligatur ad rectum faciendum juris ſui uſum (*vi num. 1.*); non rectus, ſive abuſus eidem permiſsus eſse nequit, conſequenter ad abuſum vitandum obligatur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Quemadmodum itaque rectus juris ſui uſus præcipitur (§. 984. *part. 1. Theol. nat.*); ita ex adverſo abuſus prohibetur (§. 985. *part. 1. Theol. nat.*)

§. 63.

Juris uſus rectus debitus; abuſus illicitus. Quoniam debitum eſt id, ad quod agendum obligamur, illicitum vero, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *rectus juris ſui uſus debitus, abuſus vero illicitus.*

Reſpondet hoc notionibus communibus. Experimur enim quotidie abuſum juris taxari. Immo in Philoſophia morali videbimus, dari vitia ſuis nominibus a ceteris diſtincta, quæ nonniſi in abuſu juris ſui conſiſtunt.

§. 64.

Digitized by Google

§. 64.

Jus connatum nemini hominum auferri poteſt. Etenim jus connatum ponitur poſita eſsentia & natura hominis (§. 28.), conſequenter eum eſſentia & natura ejuſdem adeo arcto nexu cohæret, ut ab ea divelli minime poſſit. Quamobrem cum eſsentia hominis immutabilis ſit (§. 300. *Ontol.*); nec ulli hominum jus connatum auferri poteſt.

An jus connatum homini auferri poſſit.

Non eſt quod excipias auferri homini jura connata in civitate, auferri in ſtatu ſervitutis. Videbimus enim ſuo loco, non ipſum jus auferri, ſed ſaltem exercitium juris reſtringi: quod quomodo licite fieri poſſit ſuo tempore evincemus.

§. 65.

Quoniam jus connatum omne univerſale eſt (§. 29.), nec præter jura connata dantur alia jura naturalia, quæ univerſalia ſunt (§. 50. 53.); *jura univerſalia naturalia nemini hominum auferri poſſunt* (§. 64.).

An univerſalia auferri poſſint.

§. 66.

Jus acquiſitum homini indivulſo nexu non cohæret. Etenim jus acquiſitum non ponitur poſita ſola eſſentia atque natura humana (§. 36.), adeoque eum eadem indivulſo nexu minime cohæret. Quamobrem cum homo ab eſſentia & natura ſua habeat, quod homo ſit, nec jus acquiſitum eidem indivulſo nexu cohæret.

Jus acquiſitum homini quatenus competat.

Non deſinis eſſe homo, etiamſi jus acquiſitum amittas, vel ii eodem careas, cum alii fruuntur, quemadmodum ex adverſo repugnat eſſe hominem & carere jure connato, quo fruuntur alii.

§. 67.

Quoniam jus acquiſitum homini indivulſo nexu minime cohæret (§. 66.); ideo *ſimpliciter non repugnat jus acquiſitum homini auferri*.

An auferri poſſit.

Quando vero hoc licite fieri poſſit, ſuo demum oſtendetur loco, ſufficit hic demonſtraſſe quod in ſe tale non ſit, quemadmodum connatum (§. 64.) vel univerſale (§. 65.), ut ipſum eidem auferri repugnet.

§. 68.

Ab obligatione connata nemo hominum liberari poteſt, ſeu ea conſtanter in eundem cadit. Obligatio enim connata homini natura ineſt (§. 34.), adeoque per eſsentiam & naturam ſuam eidem competit (§. 32.). Quamobrem eodem modo patet, ab obligatione connata neminem hominum liberari poſse, conſequenter eandem conſtanter in hominem cadere, quo paulo ante evicimus, jus connatum homini auferri non poſse (§. 64.).

Indivulſus nexus obligationis connatæ cum eſſentia hominis.

Quamdiu nimirum homo es, tamdiu ab obligatione nulla connata liberari potes, ſed eadem teneris a primo ortu uſque ad ultimum vitæ halitum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. 69.

§. 69.

Quomodo homini inhæreant obligationes contractæ.

Simpliciter non repugnat, ab obligatione contracta hominem liberari. Obligatio contracta natura non ineſt homini (§. 39.), adeoque per eſsentiam & naturam ſuam in eundem non cadit (§. 32.). Non igitur ſimpliciter repugnat, eum ab obligatione contracta liberari.

Quando autem & quomodo ab obligatione contracta liberemur, ſuo demum oſtendetur loco.

§. 70.

Homo moralis eſt ſubjectum obligationum atque jurium.

Nimirum quatenus homo ſpectatur quoad obligationes & jura, quæ in ipſum cadunt; eatenus diſtinguitur a ſeipſo, & fingitur ſubjectum quoddam, cui non inſunt niſi obligationes atque jura: unde deinceps emanat diſcrimen actionum liberarum, quatenus iſtis juribus & obligationibus vel conveniunt, vel iiſdem contrariantur. Fictio hæc non inutilis, cum in Jure Naturæ nobis non ſit negotium cum homine, niſi quatenus obligationum atque jurium capax eſt, conſequenter non niſi cum homine morali. Similis eſt fictio, quando in Theologia homo carnalis diſtinguitur a ſpirituali, & ſpiritualis carnali opponitur. Etenim *carnalis homo* denotat ſubjectum, cui non inſunt niſi facultates animæ inferiores uſu ſuperiorum in conſortium contracto; *ſpiritualis* vero *homo* ſignificat ſubjectum, cui non inſunt niſi facultates ſuperiores uſu inferiorum minime impeditæ. Neque enim in homine datur uſus facultatum ſuperiorum ab uſu inferiorum prorſus independens, & uſui inferiorum ſeſe immiſcet uſus ſuperiorum, quemadmodum obvia experientia intelligunt, quotquot ex Pſychologia empirica facultates animæ tam ſuperiores, quam inferiores perſpectas habent. Immo hæc fictio nec prorſus abhorret ab inſtituto eorum, qui jus naturæ pertractarunt, etſi non diſtincte nec ſatis accurate explicata fuerit. Loquuntur enim de natura hominum morali in oppoſitione ad phyſicam. Quamobrem cum vulgo natura pro eſſentia accipiatur, eſſentiam moralem phyſicæ opponunt. Dum itaque homini tribuunt eſſentiam moralem a phyſica diverſam, per eſſentiam vero ens quoddam concipiatur (§. 142. 143. *Ontol.*); hominem utique fingunt moralem diſtinguendum a phyſico, qualis in Phyſica conſideratur. Noſtrum itaque eſt, ut fictionem iſtam ad notionem diſtinctam & foecundam revocemus.

§. 71.

Eſſentia hominis moralis in quo conſiſtat.

Eſſentia hominis moralis conſiſtit in obligationibus primitivis. Etenim homo moralis eſt ſubjectum obligationum atque jurium (§. 70.). Enimvero ſi ens aliquod concipiendum, primo loco in eo ponenda ſunt, quæ ſibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia determinantur, nec quorum unum per alterum determinatur (§. 142. *Ontol.*), & hæc eſsentiam entis conſtituunt (§. 143. *Ontol.*). Quamobrem ſi hominem moralem concipimus, primo etiam loco ponenda ſunt jura & obligationes, quæ per ſe invicem minime determinantur, nec determinantur per alias obligationes ipſis priores, nec alia jura iiſdem priora, & hæc eſsentiam entis conſtituunt. Jus oritur ex obligatione (§. 23.), adeoque rationem ultimam tandem in ea agnoſcit (§. 16. 22.). Quoniam itaque jus per obligationem determinatur (§. 113. *Ontol.*); in concipienda eſsentia hominis moralis reſpiciendum tantummodo eſt ad obligationes, quæ per ſe mutuo minime determinantur, nec determinantur per alias ipſis priores. Enimvero obligationes primitivæ ſolæ per eſsentiam atque naturam hominis determinantur (§. 40. 15.), adeoque ipſis anteriores minime dantur. Eſsentia igitur hominis moralis conſiſtere nequit niſi in obligationibus primitivis.

Eſſentiam vulgo cum natura confundi, modo monuimus (*not.* § 70.), ut adeo eſſentia moralis intelligenda veniat, quando de natura morali loquuntur. Qui vero perpenderit, quæ in propoſitione præſente demonſtrantur; facile perſpiciet, qui de natura morali loquuntur, non ſatis intellexiſſe, quid dicant, propterea quod diſtincta entis notione fuerunt deſtituti, quam in Ontologia explicavimus.

§. 72.

§. 72.

Attributa hominis moralis ſunt obligationes connatæ derivativæ & jura connata omnia ſive primitiva, ſive derivativa. Etenim obligatio connata in hominem conſtanter cadit (§. 68.), cumque rationem proximam in alia quadam obligatione connata vel juribus connatis ſimul habeat, quæ propterea derivativa eſt (§. 42.), quin per hanc obligationem atque hæcce jura determinetur dubitandum non eſt (§. 113 56. *Ontol.*). Enimvero quæ conſtanter inſunt & per alia, quæ ſimul inſunt, determinantur, attributa ſunt (§. 152. *Ontol.*). Obligatio igitur connata derivativa omnis hominis moralis, qui jurium & obligationum ſubjectum eſt (§. 70.), attributum eſt. *Quod erat unum.* *Attributa hominis moralis.*

Porro jus connatum omne ex obligatione connata oritur (§. 27.), adeoque rationem ſui in eadem agnoſcit (§. 22.), conſequenter per eam determinatur (§. 113. 56. *Ontol.*), cumque nemini hominum auferri poſſit (§. 64.), eidem conſtanter competit. Enimvero quæ homini conſtanter inſunt & per alia, quæ ſimul inſunt, determinantur, attributa ſunt (§. 152. *Ontol.*). Jus igitur connatum omne eſt attributum hominis moralis tanquam ſubjecti obligationum atque jurium (§. 70.). *Quod erat alterum.*

Si ens diſtincte concipere volueris, cum quicquid enti ineſt, id vel inter eſſentialia, vel attributa, vel modos locum habeat (§. 149 *Ontol.*), eſſentialia, attributa & modos a ſe invicem diſcernas neceſſe eſt. Quamobrem hoc etiam fieri debet, ubi hominis moralis diſtinctam notionem animo concipere volueris. Quamvis itaque hæc notio nullum haberet in Jure Naturæ & Philoſophia practica reliqua uſum; uſus tamen minime contemnendus, quod ſuppeditet ideam exemplarem formandæ notionis entis cujuſcunque utiliſſimam futuram iis, quibus ars inveniendi ſeſe commendat.

§. 73.

Omnis obligatio contracta & jus acquiſitum omne, una cum actionibus, quæ obligationibus & juribus quibuſcunque conformes ſunt, aut iiſdem contrariæ, quatenus ſcilicet conformes vel contrariæ ſunt, modi hominis moralis ſunt. Obligatio contracta natura, adeoque per eſſentiam & naturam ſuam (§. 32.), homini non ineſt (§. 39.), nec ſimpliciter repugnat hominem ab eadem liberari (§. 69.). Et idem de jure quocunque acquiſito valet (§. 37. 67.). Quoniam adeo obligatio contracta & jus acquiſitum modo ineſt, modo non ineſt, quæ vero enti modo inſunt, modo non inſunt, ea inter modos referri debent (§. 151. *Ontol.*); omnis omnino obligatio contracta & jus acquiſitum omne inter modos hominis moralis tanquam ſubjecti obligationum & jurium (§. 70.) referri debet. *Quod erat unum.* *Modi hominis moralis.*

Jam vero obligatio eſt neceſſitas moralis agendi vel non agendi (§. 118. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec jus conſiſtit niſi in facultate agendi, quod moraliter poſſibile eſt, & non agendi, quod moraliter impoſſibile eſt (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque obligatio atque jus non conſideratur niſi actionum liberarum diſcernendarum gratia. Quare cum homo moralis ſit ſubjectum obligationum atque jurium (§. 70.); ad eundem quoque ſpectant actiones liberæ, quatenus iſtis vel conformes, vel contrariæ ſunt. Per ſe patet, actiones non conſiderari poſse tanquam inexiſtentes, niſi quando homo agit, aut, dum agere debebat vel poterat, non agit, conſequenter in eorum numero eſse, quæ nunc inſunt, nunc non inſunt. Quoniam itaque quæ enti modo inſunt, modo non inſunt, ea inter modos referri debent (§. 151. *Ontol.*); extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, inter modos hominis moralis referri etiam debere actiones liberas, quæ obligationibus atque juribus conformes ſunt, aut iiſdem contrariæ ſunt, quatenus ſcilicet conformes vel contrariæ ſunt. *Quod erat alterum.*

Abun-

Abunde itaque intelligitur, quænam notioni hominis moralis inſint; & quomodo ſingula inſint.

§. 74.

Actionum liberarum differentia.

Actiones hominum liberæ vel obligationibus & juribus eorundem conformes ſunt, vel non ſunt, ſeu iiſdem contrariæ ſunt. Patet hoc per principium generale, quod quodlibet vel ſit, vel non ſit (§. 53. *Ontol.*).

Nimirum homo vel agit, quod debet, aut jure ſuo agere poterat, & non agit, quod agere non debebat, aut jure ſuo agere non poterat: vel agit, quod non debebat, aut jure ſuo agere non poterat, & non agit, quod debebat, aut jure ſuo agere poterat. Pro duplici hac actionum humanarum differentia, earum ſcilicet cum obligationibus & juribus conformitate & diſconvenientia, duplex fingi poteſt homo moralis: alter, cujus actiones omnes tam poſitivæ, quam privativæ, obligationibus & juribus ſunt conformes: alter, cujus actiones iiſdem contrariantur. Si actiones hominum, quales omne ſunt, ſpectantur; ſunt bonæ mixtæ malis. Verum ex ſcriptura ſacra docent Theologi hominem a Deo ita fuiſſe conditum, ut actiones ejus nullæ ab obligationibus ac juribus ipſius diſſentirent: poſthac vero ſua culpa in alium veniſſe ſtatum. Fictio igitur hominis moralis, cujus actiones cum obligationibus & juribus ex aſſe conveniunt, non eſt a veritate aliena. Etſi autem tantummodo inſtar fictionis philoſophicæ conſideretur; ſua tamen utilitate non caret, quemadmodum mox expreſſius docebimus.

§. 75.

Hominis moralis ſpecies.

Homo moralis dicitur ***integer***, cujus actiones omnes tam poſitivæ, quam privativæ cum obligationibus & juribus ejuſdem conſentiunt: ex adverſo autem ***corruptus***, cujus actiones omnes tam poſitivæ, quam privativæ, obligationibus & juribus ejuſdem contrariantur.

Idea hominis integri repræſentat hominem, qualis foret, ſi omnes ſuas actiones legi naturali convenienter determinaret, ita ut ne minimus quidem in iiſdem notaretur defectus, ſive eas ad facultatem cognoſcitivam, ſive ad appetitivam referas, conſequenter qualis eſſe debeat. Ex adverſo idea hominis corrupti refert hominem, qualis foret, ſi actiones ejus omnes legi naturali e diametro repugnarent, ita ut nihil in ipſis eſſet, quod rectum dici poſſet, ſive eas denuo cum facultate cognoſcitiva, ſive cum appetitiva componas, conſequenter qualis non eſſe debeat. Illa ſi nobis obverſatur, quid imitari debeamus, in omni caſu videmus: hanc vero ubi intuemur, quid fugiendum ſit conſtat. Idea hominis integri complectitur virtutes omnes intellectuales, quam morales, & actionum humanarum ab iſtis dependentiam conſpiciendam præbet: hæc vero oppoſita iſtis vitia continet, & quomodo inde actiones pravæ propullulent monſtrat. Quoniam virtutes omnes eidem ſubjecto ſimul ineſſe non repugnat; homo moralis integer non niſi unus eſt: ſed quia vitia ſibi mutuo contrariantur, adeoque eidem ſubjecto ſimul ineſſe non poſſunt, corrupti diverſæ dantur ſpecies. Sed talia nunc proſequi noſtri non eſt inſtituti. Quodſi ideam tam hominis integri, quam corrupti animo concipere volueris, neceſſe eſt, ut omnem theoriam Juris Naturæ comprehenderis & Philoſophiam non minus civilem, quam moralem habeas perſpectam. Quo magis enim adæquata fuerit hæc cognitio, eo magis quoque adæquata erit idea hominis integri atque corrupti. Ideæ hæ uſui eſſe poſſunt in philoſophia practica per modum hiſtoriæ tradenda, ut inſerviat iis, qui a meditationibus abhorrent, vel quibus ultra cognitionem hiſtoricam progredi non datum eſt.

§. 76.

Qualis ſit vita hominis integri.

Vita hominis integri perfecta eſt. Etenim hominis integri actiones tam poſitivæ, quam privativæ cum obligationibus & juribus ejuſdem conſentiunt (§. 75.). Quamobrem cum obligationes contineantur legibus præceptivis & prohibitivis, jura vero permiſſivis (§. 55.); ne latum quidem unguem a lege naturali recedit, ſed actiones ſuas omnes quoad minima eidem conformat. Quoniam itaque vita vivitur perfecta, ſi ne latum quidem unguem a lege naturali recedatur, ſed actiones omnes quoad minima eidem conformentur (§. 17. *part. 2. Phil. pract. univ.*); vita hominis integri perfecta eſt.

Vi-

Digitized by Google

Vitam igitur ſuam, moralem ſcilicet, de qua hic nobis ſermo eſt, qui cum idea hominis integri componit, quantum adhuc a vita perfecta diſtet, perſpicit, & nævos actionum ſuarum, quæ externa ſpecie ſeſe commendant, detegit. Quamobrem ſi biographia hominis integri conſcriberetur, quod facile fieri poterat univerſo Jure naturæ cum philoſophia morali atque civili methodo demonſtrativa ſeu ſcientifica pertractato, ea non modo uſui eſſe poterat iis, qui ultra cognitionem hiſtoricam non progrediuntur, verum in univerſum omnibus, quibus praxis curæ cordique eſt. Praxi enim ſatisfacit cognitio hiſtorica definitionum & propoſitionum, cum demonſtrationum ad praxin nullus ſit uſus, quamvis in praxin influant, quatenus ſenſum certitudinis memoria comitem habet, quoties eandem ſubeunt propoſitiones.

§. 77.

Qualis ſit vita hominis corrupti.

Vita hominis corrupti imperfecta eſt. Hominis enim corrupti actiones omnes tam poſitivæ, quam privativæ obligationibus & juribus ejuſdem contrariantur (§. 75.), adeoque legi naturali difformes ſunt. Quoniam itaque vita hominis eo majori imperfectioni obnoxia eſt, quo magis ejus actiones legi naturæ difformes ſunt (§. 20. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter tota vita imperfecta eſt, ubi omnes ipſius actiones cum privativæ, tum poſitivæ legi naturæ difformes ſunt; vita hominis corrupti imperfecta eſt.

Loquimur hic de imperfectione totali in oppoſitione ad perfectionem; non vero de partiali, quæ actiones legi naturæ difformes conformibus permiſcet, qualis imperfectio noſtra eſſe ſolet. Vitam igitur ſuam, qui eam idea hominis corrupti confert, quantæ imperfectioni adhuc obnoxia ea ſit, videt. De biographia adeo hominis corrupti eadem tenenda ſunt, quæ modo de biographia integri monuimus. In idea hominis integri cumulantur omnes virtutes tam intellectuales, quam morales, quales in ſummo gradu concipiuntur, ut nullus in iiſdem, ne minimus quidem notetur defectus: Aſt in idea hominis corrupti cumulantur vitia, qualia itidem in ſummo concipiuntur gradu, quæ ſibi mutuo non contrariantur, adeoque ſimul eidem ſubjecto ineſſe poſſunt. Lucem utraque affundit doctrinæ Theologorum de homine integro atque corrupto. De integro nihil eſſe poteſt dubii, quippe cui omnem tribuunt intellectus ac voluntatis perfectionem, cujus ſpiritus finitus capax eſt. Quando autem de corrupto loquuntur, omnem ſupponunt intellectus ac voluntatis imperfectionem, quam a poſteriori poſſibilem deprehendunt, etſi a diverſis ſubjectis abſtractam. Fœcundam igitur in Theologia experiuntur notionem hominis moralis, quam hic expoſuimus, ſiquidem methodum ſcientificam in poteſtatem ſuam redegerint, & in Philoſophia noſtra ſatis fuerint verſati.

§. 78.

Æqualitas moralis.

In ſenſu morali *Homines* dicuntur *æquales*, quorum eadem ſunt jura & obligationes eædem.

Ita in ſocietatis contractu ſocii dicuntur æquales, quia ſingulorum idem eſt jus ad lucrum & eadem obligatio, quam exigit finis, atque obligatio eadem ferendi damnum inde emergens. Nimirum ſi homo moraliter conſideretur, in eo non ſpectantur niſi jura & obligationes (§. 70). Quamobrem ſi aliqua inter eos intercedere debet differentia, ea nonniſi in juribus & obligationibus conſiſtere poteſt. Jura & obligationes admittunt gradus & horum intuitu iiſdem tribuitur quantitas, ipſaque jura & obligationes, ſiquidem plura fuerint, multitudinem conſtituunt & quoad hanc quantitatem recipiunt. Quemadmodum itaque æqualia ſunt, quæ quantitate eadem (§. 350. *Ontol.*); ita homines quoque in ſenſu morali vocantur æquales, quatenus jura & obligationes totidem atque ſingula ejuſdem gradus habent, conſequenter quorum eadem ſunt jura, eædem etiam ſunt obligationes. Identitas adeo jurium & obligationum efficit æqualitatem moralem hominum, non identitas eſſentiæ & naturæ, etſi illa in hac fundetur. Unde non ſatis accurate eandem concipiunt, qui hominem alterum tibi æqualem pronunciant, quod æque homo ſit, ac tu es. Neque enim hinc patet, quouſque extendenda ſit iſta æqualitas, ut alia taceamus.

Digitized by Google

§. 79.

Inæqualitas moralis.

Inæquales dicuntur *homines* in ſenſu morali, quorum non eadem ac totidem ſunt jura, nec eædem, neque totidem obligationes.

Hinc audias provocantes nunc ad jura; quæ ſunt uni, non autem alteri, nunc vero ad obligationes, quibus unus tenetur, non alter, vel etiam ad diverſos jurium & obligationum gradus, ubi de inæqualitate contendunt homines. Ita Rex & ſubditi cenſentur inæquales; quatenus illi competit imperium, quod hi non habent; hi autem tenentur obligatione, quæ in illum non cadit.

§. 80.

Identitas obligationis connatæ hominum.

Obligatio connata hominum omnium eadem eſt. Obligatio enim connata aut rationem proximam in ipſa eſsentia atque natura hominis habet, aut ex tali obligatione per ſe, nulla ſuperaccedente ratione alia deſcendit (§. 17.), conſequenter rationem remotam in illa habet (§. 15.). Quoniam itaque hominis eſsentia atque natura poſita ipſa quoque obligatio connata ponitur (§. 118. *Ontol.*), eadem utique eſt hominum omnium obligatio connata.

Qui novit quid ſit obligatio connata, ultro admittit omnes homines eadem teneri.

§. 81.

Æqualitas hominum naturalis.

Natura homines omnes æquales ſunt. Etenim jus connatum omnium hominum idem eſt (§. 31.), eadem etiam eſt ipſorum obligatio connata (§. 80.). Quamobrem cum jus connatum natura habeat homo (§. 33.) & obligatio connata eidem natura inſit (§. 34.); homines omnes natura eadem habent jura & iiſdem tenentur obligationibus. Quoniam itaque æquales ſunt homines, quorum eadem ſunt jura & obligationes (§. 78.); homines omnino omnes natura æquales ſunt.

Qui æqualitatem hominum æqualem per identitatem eſſentiæ atque naturæ probant, ad rationem remotam provocant. Et ubi nonniſi per hanc identitatem explicant æqualitatem, idem per idem probant.

§. 82.

Qualis ſit obligatio connata & univerſalis.

Obligatio connata omnis univerſalis eſt; & omnis obligatio univerſalis abſoluta & connata eſt. Obligatio enim connata homini natura ineſt (34.), adeoque per eſsentiam & naturam ſuam eidem inhæret (§. 32.), conſequenter quemlibet tenet hominem, quatenus homo eſt. Quoniam itaque obligatio, qua quilibet homo tenetur quatenus homo eſt, univerſalis eſt (§. 11.); obligatio connata omnis univerſalis eſt. *Quod erat primum.*

Jam obligatio univerſalis tenet omnem hominem, quatenus homo eſt (§. 11.), adeoque in eum per ſe cadit citra ullum factum humanum ſuppoſitum. Enimvero abſoluta eſt obligatio, quæ in hominem per ſe cadit citra ullum factum humanum ſuppoſitum (§. 19.). Omnis itaque obligatio univerſalis abſoluta eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique obligatio omnis abſoluta connata eſt (§. 20.). Sed univerſalis omnis abſoluta eſt *vi num.* 2. Ergo univerſalis omnis connata eſt. *Quod erat tertium.*

§. 83.

Digitized by Google

§. 83.

Omnis obligatio contracta ſingularis eſt & contra. Etenim obligatio contracta ex obligatione rationem proximam in ipſa eſsentia atque natura hominis habente per ſe non deſcendit, ſed facto demum quodam interveniente (§. 18.), conſequenter homini non competit quia homo eſt, ſed ex ratione quadam alia. Enimvero obligatio, quæ homini cuidam ex alia ratione competit, quam quia homo eſt, ſingularis eſt (§. 12.). Obligatio igitur contracta omnis ſingularis eſt. *Quod erat unum.*

Qualis obligatio contracta & ſingularis.

Obligatio ſingularis ex alia ratione quadam competit, quam quia homo eſt (§. 12.), adeoque univerſalis non eſt (§. 11.), conſequenter nec connata (§. 82.). Sed quæ connata non eſt, contracta eſt (§. 17. 18.). Ergo obligatio ſingularis contracta eſt. *Quod erat alterum.*

§. 84.

Quoniam obligatio contracta ſingularis eſt (§. 83.), eadem vero cum hypothetica (§ 21.); *obligatio hypothetica omnis ſingularis & contra.*

Qualis hypothetica.

Quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 54.), eadem mutatis mutandis ad præſentes quoque de obligatione propoſitiones trahenda ſunt. Utilitate nimirum ſua non deſtituitur noſſe, quomodo ex data ſpecie una obligationis colligatur altera.

§. 85.

Homines inæquales eſſe nequeunt niſi quoad jura acquiſita & obligationes contractas. Etenim homines inæquales ſunt, quatenus non habent eadem, nec totidem jura; neque iiſdem totidemque obligationibus tenentur (§. 79.). Enimvero jus connatum omnium hominum idem eſt (§. 31.), eadem quoque obligatio connata (§. 80.). Quamobrem cum acquiſitum ſit jus, quod connatum non eſt (§. 26. 35.), & contracta obligatio, quæ connata non eſt (§. 17. 18.); homines inæquales eſſe nequeunt niſi quoad jura acquiſita & obligationes contractas.

Inæqualitas hominum unde ſit.

Hominum adeo differentia omnis; quatenus non phyſice, ſed moraliter ſpectantur, ex juribus acquiſitis & obligationibus contractis oritur. Dominium jus acquiſitum eſt. Non repugnare cum ratio, tum experientia docet, ut unus ſit plurium, alius pauciorum rerum dominus. Cumque homo obligetur ad faciendum rectum juris ſui uſum, & ad vitandum abuſum (§. 62.); pro diverſitate dominii diverſæ ſunt ipſius obligationes. Inde oritur hominum inæqualitas, ut alius ſit dives, alius pauper, ut unus ſit ditior altero, nec eadem ſit divitis ac pauperis, neque etiam eadem divitum omnium obligatio. Similiter imperium civile jus acquiſitum eſt. Inde venit, quod alius ſit Rex, alii ſint ſubditi, & ut non modo Regum ac ſubditorum alia ſint jura, ſed aliæ quoque obligationes. Naſcitur adeo hic inæqualitas a jure acquiſito & obligatione contracta. Patebunt ſingula luculentius ſuo loco, ubi eadem fuerint demonſtrata.

§. 86.

Quoniam jura acquiſita hypothetica (§. 52.) & ſingularia ſunt (§. 54.), nec minus obligationes contractæ hypotheticæ (§. 21.) & ſingulares (§. 83.); homines autem inæquales eſſe nequeunt niſi quoad jura acquiſita & obligationes contractas (§. 85.); *inæqualitas hominum conſtituitur per hypothetica ſeu ſingularia jura atque obligationes, ſeu jura & obligationes, ex quibus naſcitur inæqualitas, hypothetica atque ſingularia ſunt.*

Idem ulterius expenditur.

Quænam ſint hæc jura & hæ obligationes, & quænam hinc naſcantur inæqualitates hominum, ex ſpeciali tractatione conſtabit.

§. 87.

Plus juris quinam habeat.

Plus juris habere dicitur, cui plura ſunt jura, quam alteri. *Paucius* autem *jus* habet, cui pauciora jura competunt, quam alteri.

Ita Rex plus juris habet in ſubditos, ſi imperium ejus fuerit plenum & nullo modo limitatum; ast paucius jus eidem competit, ſi quædam jura ad imperium pertinentia populus vel ſibi reſervavit, vel quibuſdam aliis tribuit, aut ſi horum jurium nonnulla limitata ſunt, veluti ſi in quibuſdam conſenſu populi aut optimatum opus habet. Similiter plus juris in eadem re habet, ſi jura ad dominium ſpectantia fuerint inter duos diviſa, qui plura habet, quam alter, & plus juris habet dominus, quam uſufructuarius, plus vero juris habet uſufructuarius, quam uſuarius.

§. 88.

Jus quodnam majus & minus.

Jus ſpecie idem *majus* dicitur, quod ad plura extenditur: *minus* autem, quod ad pauciora.

E gr. Si quis in rebus pluribus dominium habet, quam alter; illius dominium majus eſt, hujus autem minus. Et majus habet in eadem re, qui pro duabus partibus, quam qui pro tertia ſaltem parte dominus eſt. Similiter jus puniendi majus eſt, quod ad pœnas uſque capitales infligendas extenditur, quam quod in mulctis terminatur.

§. 89.

Æqualitas hominum naturalis diſtincte explicatur quoad jura.

Natura nemo hominum plus juris habet, quam alter, nec ullus hominum jus habet majus, quam alter. Natura enim homines omnes æquales ſunt (§. 81.), adeoque eadem prorſus habent jura (§. 78.). Quamobrem fieri nequit, ut uni hominum plura competant jura, quam alteri, nec ut jus unius ad plura extendatur, quam jus alterius. Quoniam itaque plus juris habet is, cui plura ſunt jura, quam alteri (§. 87.) & jus majus eſt, quod ad plura extenditur (§. 88.): natura nemo hominum plus juris habet, quam alter, nec ullus hominum jus habet majus, quam alter.

Atque ſic demum diſtincte intelligitur, quid ſibi velit naturalis hominum æqualitas quoad jura iiſdem competentia. Quod ergo juris tibi eſt, idem etiam eſt mihi, & quantum juris tibi eſt, tantum etiam eſt mihi, ſi de juribus connatis ſermo fuerit.

§. 90.

Plus obligationis cuinam ſit.

Plus obligationis eſſe dicitur ei, qui pluribus obligationibus tenetur, quam alter. *Pauciores* vero *obligationes* ſunt ejus, qui paucioribus tenetur, quam alter.

Ita parens obligatur educare liberos ſuos; quæ obligatio non cadit in eum, qui liberis caret. Unde plus obligationis habet homo, ſi fuerit parens, quam ſi non fuerit.

§. 91.

Obligatio major quænam ſit.

Major obligatio eſt, quæ ad plura extenditur: *minor* autem, quæ ad pauciora.

Ita

Digitized by Google

Ita cum dominus rebus ſuis recte uti teneatur (§. 62.), major ejus obligatio eſt, ſi fuerit rerum multarum, quam ſi paucarum fuerit dominus. Et ex eadem ratione major obligatio tenet Regem, ſi pluribus imperet, quam ſi paucioribus.

§. 92.

Æqualitas naturalis diſtincte explicata quoad obligationes.

Natura nemini hominum plus obligationis eſt, quam alteri, nec major eſt unius obligatio, quam alterius. Etenim natura homines omnes æquales ſunt (§. 81.), adeoque eadem obligatione tenentur omnes (§. 78.), conſequenter obligationem unius in locum alterius ſubſtituere licet, nulla hinc mutatione metuenda (§. 181. *Ontol.*). Quamobrem fieri nequit, ut natura homo unus pluribus obligationibus teneatur, quam alter, neque etiam ut eadem obligatio unius ad plura extendatur, quam alterius. Quoniam itaque plus obligationis nonniſi ei eſt, qui pluribus obligationibus tenetur, quam alter, & major eſt obligatio, quæ ad plura extenditur, quam obligatio alterius (§. 90. 91.); natura nemini hominum plus obligationis eſt, quam alteri, nec major eſt unius obligatio, quam alterius.

Atque ſic demum diſtincte intelligitur, quid ſibi velit naturalis hominum æqualitas quoad obligationes, quæ natura in eos cadunt. Si ego natura tibi obligatus ſum, tu viciſſim obligatus es mihi, & quantum tibi obligor, tantum etiam obligaris mihi. Quod ſi cum propoſitione præſente conjungas, quæ paulo ante de juribus demonſtrata ſunt (§. 89.); omnem naturalem æqualitatem diſtincte explicatam habes.

§. 93.

Prærogativa quid ſit.

Prærogativa dicitur Jus, quod alicui præ aliis eodem jure cetero quin utentibus competit. Vernaculo ſermone ein *Vorrecht* appellamus.

* E. gr. Fratres omnes æquales ſunt; ſed ſi pater uni filio concedit jus quædam faciendi abſque ipſius conſenſu, quod ceteris non permiſſum; hoc jus prærogativa vocatur. Ita ſi directori alicujus collegii conceditur jus ex votis paribus majora faciendi pro ſuo arbitratu, id ipſum prærogativa quædam dicitur.

§. 94.

An detur prærogativa naturalis.

Natura homini nulli prærogativa ulla competit. Natura enim nemini hominum plus juris eſt, quam alteri, nec ulli majus jus competit quam alteri (§. 89.), conſequenter quot uni ſunt jura, totidem etiam ſunt ceteris (§. 87.) & quantum eſt jus unius, tantum etiam eſt ceterorum omnium (§. 88.). Quoniam itaque prærogativa jus eſt, quod alicui præ aliis eodem jure utentibus competit (§. 93.); prærogativa nulla ulli hominum natura competere poteſt.

Non eſt quod excipias, æqualitate naturali quoad jura nondum tolli prærogativam. Cum enim æqualitas eadem etiam requirat, ut obligationes ſint totidem, & tanta ſit unaquæque unius obligatio, quanta alterius (§. 92.); prærogativam quandam in eo conſiſtere poſſe, quod unus non obligetur ad id, ad quod tenentur alii. Enimvero quoniam facultatem agendi habet, qui hac obligatione non tenetur, quod ceteris, in quos ea cadit, agere non permiſſum, iſtiuſmodi autem agendi facultas jus eſt (§ 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); prærogativa hoc etiam in caſu non conſiſtit niſi in quodam jure peculiari.

§. 95.

An natura uni liceat, [illegible] alteri [illegible]

Quod natura uni licitum, id etiam licitum alteri, & quod uni non licet, idem nec licet alteri. Natura enim nemini hominum plus juris eſt, quam alteri, nec jus majus uni, quam alteri competit (§. 89.), adeoque quodcunque jus uni competit, idem etiam competit alteri (§. 87.) & quantum jus eſt unius, tan-

tum

tum etiam eſt jus alterius (§. 88.). Quoniam itaque licitum eſt, ad quod agendum jus habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod natura uni licitum, id etiam licitum alteri. *Quod erat unum.*

Similiter natura nemini hominum plus obligationis eſt quam alteri, nec major unius, quam alterius (§. 92.), conſequenter nulla cadit in unum obligatio, qua non etiam teneatur alter (§. 90.) & quanta eſt obligatio unius, tanta etiam eſt alterius (§. 91.). Quare cum illicitum ſit, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod uni non licet, idem nec licet alteri. *Quod erat alterum.*

Æqualitatis adeo naturalis hominum immemores ſunt, quotquot ſibi licere exiſtimant, quod alteri non liceat, vel aliis non licere arbitrantur, quod ſibi licere putant, cum tamen nullam hujus prærogativæ rationem reddere poſſint, quam quod ipſis utile ſit vel jucundum hoc facere, moleſtum autem accidat, ſi idem faciant alii.

§. 96.

Idem ad omnes æquales extenſum.

Immo in genere quod uni æqualium licitum, id etiam licitum alteri, & quod uni non licet, idem nec licet alteri. Qui enim æquales ſunt, eadem jura habent (§. 78.), atque adeo non plus habet juris unus, quam alter (§. 67.), nec majus eſt jus unius, quam alterius (§. 88.). Unde eodem, quo in propoſitione præcedente, modo porro colligitur, quod uni æqualium licitum eſt, idem etiam alteri licitum eſſe. *Quod erat unum.*

Similiter qui æquales ſunt, iiſdem obligationibus tenentur (§. 78.), conſequenter non plus obligationis cadit in unum, quam in alterum (§. 90.), nec major eſt unius, quam alterius obligatio (§. 91.). Unde porro, eodem prorſus, quo in propoſitione præcedente, modo colligitur, quod uni æqualium non licet, idem nec licere alteri. *Quod erat alterum.*

Etſi hic tantummodo agatur de æqualitate hominum naturali, quæ ex identitate eſſentiæ atque naturæ humanæ reſultat; non tamen inconſultum eſt, quæ de eadem demonſtrantur, ad omnem æqualitatem extendi, quæ præter eam datur, propterea quod non modo in praxi, verum etiam in demonſtrationibus ſubſecuturis habeant uſum. Poteramus hanc propoſitionem tanquam generalem præmittere, & per conſequentiam immediatam inſtar corollarii tanquam ſpecialem præcedentem ex præſente inferre. Tanto vero magis neceſſe eſt propoſitionem præſentem apponi, quod contra æqualitatem moralem frequentiſſime peccetur. Per ſe autem patet hic ſupponi, nullam dari unius æqualium prærogativam (§. 93.).

§. 97.

Num æqualitatem prærogativa tollat.

Æqualitatem tollit prærogativa, ſeu ſi uni æqualium conceditur aliqua prærogativa, hoc ipſo æqualitas tollitur. Etenim cum prærogativa ſit jus, quod alicui præ ceteris eodem jure alias utentibus competit (§. 93.), æqualium vero eadem ſunt jura (§. 78.); ſi uni æqualium conceditur aliqua prærogativa, jus quoddam ipſi competit, quod ceteri non habent. Non igitur omnes eadem amplius habent jura, conſequenter nec æquales amplius ſunt (§. *cit.*), adeoque æqualitas tollitur.

Nimirum ſi uni æqualium conceditur aliqua prærogativa, cum jus quoddam habeat, quod ceteri non habent (§. 93.), hoc ipſo efficiuntur inæquales, qui ante æquales erant (§. 79.).

§. 98.

Quando alteri non faciendum, quod nobis

Quod jure tuo tibi non vis fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt, id alteri non feceris, cui eadem obligatione teneris. Si qui enim tibi obligatus eſt, & tu alteri eadem obligatione teneris, cum illicitum ſit, quod eſt contra obligationem privati-

vativam (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod tibi fieri illicitum ab eo, qui tibi obligatus eſt, id nec alteri facere tibi licet, cui tu eadem obligatione teneris. Quamobrem quod jure tuo tibi non vis fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt, id alteri ne feceris, cui eadem obligatione teneris.

fieri volumus.

Vulgo dicitur: Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; ſed non ſatis determinate. Ne igitur principium male intellectum in abuſum trahatur: determinationes, quæ vulgo omittuntur, adjiciendæ fuerunt. Non debemus nolle niſi quod legibus contrariatur, conſequenter ſi quid ab alio tibi fieri non vis, neceſſe eſt ut alter obligatus ſit ad hoc omittendum, & tibi jus ſit exigendi, ne hoc fiat. Quodſi ergo alteri cuidam eadem obligatione teneris, neceſſe eſt ut a te quoque idem omittatur, & alteri quoque competit jus exigendi, ne facias. Nulla ſane ratio eſt, cur alter in gratiam tui juri ſuo cedere, & tibi liberum eſſe debeat, utrum obligationi tuæ ſatisfacere velis, necne, alius vero ſuæ in te obligationi ſatisfacere teneatur; & tu jure hoc ab eo poſcendi in ejus gratiam cedere non tenearis. Obſtat utique æqualitas, quæ in identitate juris ac obligationis conſiſtit (§ 78.). Qui eodem jure utuntur, idem ſibi non fieri recte prætendunt, & quorum eadem eſt obligatio, idem quoque non facere tenentur. Ex. gr. Non vis, ut beneficiarius tuus faciat, quod ingratitudinem arguit, ergo nec tu ingratum te præbere debes benefactori. Vis ne quis famam tuam laceſſat? ergo nec tu famam alterius proſcindere debes. Vis ne debitor tibi ſolutionem debiti detrectet? ergo nec tu moroſus eſſe debes in ſolvendo debito alteri.

§. 99.

Quod jure tuo vis tibi fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt; id alteri facias, cui eadem obligatione teneris. Si quis enim tibi obligatus eſt, & tu alteri cuidam eadem obligatione teneris, cum debitum ſit, ad quod committendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod tibi debetur ab eo, qui tibi obligatus eſt, & jure tuo ab eo exigere vales, id etiam tu debes alteri, cui tu eadem obligatione teneris & alter quoque habet jus idem a te exigendi. Quamobrem quod jure tuo vis tibi fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt; id alteri facias neceſſe eſt, cui eadem obligatione teneris.

Quando aliis faciendum, quod nobis fieri volumus.

Vulgo dicitur: Quod vis ut alii tibi faciant, id etiam facias ipſis; ſed non ſatis determinate. Noſtrum igitur fuit, ex ratione paulo ante tradita (*not.* § 98.), determinationes vulgo omiſſas ſuperaddere. Quoniam voluntas noſtra legi conformis eſſe debet, ſi quid ab altero tibi fieri vis, neceſſe eſt ut alter tibi ad hoc faciendum obligatus ſit, & ut adeo tibi jus quoddam competat hoc ab altero poſcendi vel petendi. Quodſi ergo tu alteri eadem obligatione teneris, neceſſe eſt ut tu quoque eidem facias idem, & alteri quoque competit jus exigendi vel petendi ut facias. Nulla ſane ratio eſt, cur in mutua obligatione & jure mutuo diſpar eſſe debeat tui & alterius conditio: obſtat hic quoque æqualitas ob eandem obligationem & idem eidem reſpondens jus. Qui eodem jure utuntur, idem quoque ſibi fieri prætendunt, & quorum eadem eſt obligatio, idem quoque facere aliis tenentur. E. gr. Vis ut debitor tibi ſolvat juſto tempore debitum: ergo tu quoque debitum ſine mora ſolvere debes. Vis, ut beneficiarius tuus gratum erga te animum habeat: ergo te quoque gratum præbere debes benefactori tuo. Vis ut alii opem tibi ferant, quando eadem indiges: ergo tu quoque opem ferre debes eadem indigentibus. Me tacente intelligitur, propoſitionem præſentem & præcedentem intelligendam eſſe non modo de obligatione & jure perfecto, verum etiam de imperfecto.

§. 100.

Quod vis ut alii ſibi faciant vel non faciant, quatenus ad hoc obligantur; id tibi facias, vel non facias, ſi eadem obligatione teneris. Si enim te & alterum eadem tenet obligatio, cum debitum ſit, ad quod committendum obligamur, illicitum ſit, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod ſibi debet alter, tu etiam tibi debes, & quod illicitum alteri, id etiam illicitum tibi. Quamobrem quod vis, ut alii ſibi faciant, vel non faciant, quatenus ad hoc obligantur; id tibi facias vel non facias, ſi eadem obligatione teneris.

Quando nobis faciendum, quod alium ſibi facere volumus.

Vul-

Vulgo dicitur: Quod vis ut alii ſibi faciant, tu tibi facias; ſed denuo non ſatis determinate. Determinationem igitur omiſſam ex ratione paulo ante dicta (*not.* §. 98.) ſuperaddimus. Nimirum quoniam voluntas legi conformis eſſe debet, ſi vis ut alius quid ſibi faciat, vel non faciat, neceſſe eſt ut ad hoc fuerit obligatus: alias enim vitium latet in volitionis vel nolitionis actu, nec recte vis, ut alter hoc ſibi faciat, vel non faciat. Quod ſi ergo & tu obligatus, ut hoc facias tibi, vel non facias; neceſſe eſt ut facias, vel non facias (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum tu & alter quoad hanc obligationem æquales ſitis (§. 78.), nulla tibi competit prærogativa præ altero (§. 97.), qua tibi permiſſum non facere vel facere, quod ab altero fieri, vel non fieri recte omnino vis. E. gr. Vis alterum eſſe temperantem: ergo & ipſe temperans eſſe debes. Vis eſſe caſtum: ergo & ipſe caſtus ſis neceſſe eſt. Non vis alterum nimio labore inſidiari ſanitati: ergo nec ipſe hoc tibi facere potes.

§. 101.

Quando nemini alteri faciendum, quod tibi fieri non vis.

Quod jure connato tibi fieri non vis, id nemini alteri feceris. Quoniam enim jus connatum oritur ex obligatione connata (§. 26.), quod jure connato tibi fieri non vis, ad hoc non faciendum alter tibi obligatus eſt. Quare cum obligatio connata univerſalis ſit (§. 82.), eadem tu quoque teneris alteri (§. 11.). Enimvero quod jure tuo non vis tibi fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt; id alteri ne feceris, cui eadem obligatione teneris (§. 98.). Ergo quod jure connato tibi fieri non vis, id nemini alteri facias.

Videmus adeo, qui ſimpliciter pronunciant, alteri faciendum non eſſe, quod ſibi fieri nolunt, ad jus connatum & obligationem connatam unice reſpicere, ac ſupponere, quod homines in obſervando jure ſuo & in obſervanda aliena obligatione ſatis ſint acuti, in agnoſcendo autem jure alieno & agnoſcenda obligatione propria cœcutire malint, ſepoſita æqualitate morali.

§. 102.

Quando alteri cuicunque faciendum, quod tibi fieri vis.

Quod jure connato tibi fieri vis, id alteri cuicunque facias. Cum enim jus connatum oriatur ex obligatione connata (§. 26.), quod jure connato tibi fieri vis, ad hoc faciendum alter tibi obligatus eſt. Jam quia ob univerſalitatem obligationis connatæ (§. 82.) alteri cuicunque eadem obligatione teneris (§. 11.), quod autem jure tuo vis tibi fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt, id alteri facere debes, cui eadem obligatione teneris (§. 99.); quod jure connato tibi fieri vis, id alteri cuicunque facias neceſſe eſt.

Ipſe Chriſtus *Matth. VII*, 12. Omnia, inquit, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Quoniam ſimpliciter de omnibus factis loquitur & de hominibus in univerſum omnibus, & ex contextu liquet, non loqui ipſum niſi de eo, ad quod quilibet homo alteri cuicunque obligatur, haud obſcure intelligitur, præceptum Chriſti eſſe idem cum propoſitione præſente, & in contextu ſatis determinate enunciatum, ne perverti poſſit ſenſus, quin oſtendatur contrarium. Liquet vero etiam, quod cum facta univerſaliter enunciata intelligantur etiam de non factis, niſi contradictio hinc oriatur, præceptum Chriſti etiam continere propoſitionem præcedentem. Non adeo idem prorſus dicunt, quod Chriſtus, qui extra contextum omnem dicunt: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quod tibi vis fieri, alteri feceris. Recte ſentiunt, ſed male loquuntur. Ineptum enim judicamus & æquitati naturali adverſum, alteri imputare errores & moleſtiis eum onerare conſequentiis, propterea quod verbis non ſatis accurate exprimit animi ſui ſenſa.

§. 103.

Quando nobis [illegible] [illegible] quod alii ut [illegible] [illegible].

Quod vis ut alii ſibi faciant vi obligationis connatæ, id tibi etiam facere debes. Etenim natura nemini hominum plus obligationis eſt, quam alteri, nec major unius, quam alterius obligatio (§. 92.). Quod igitur ut ſibi faciat alius, quicunque obligatus eſt, id ut tu tibi facias etiam obligatus es. Quamobrem quod vis ut alii ſibi faciant vi obligationis naturalis connatæ, id etiam tibi facere debes (§. 100.).

Atque

Atque ita regulas in praxi utiliſſimas ſatis diſtincte expoſuimus. Abſit autem ut eas pro primis principiis cognoſcendi Jus naturæ habeas, quemadmodum faciunt, qui primum principium honeſti eſſe ajunt, quod vis ut alii ſibi faciant, tu tibi facias; primum principium juſti faciunt, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; primum denique principium decori, quod vis ut alii tibi faciant, tu ipſis facias. Cum enim ex ipſis propoſitionibus jura & obligationes deduci nequeant, nec ex principium Juris naturæ dici poſſunt (§. 876. *Ontol.* & §. 1. *h.*). Cum principia præſupponantur alia, unde judicium petendum, num recte velis vel nolis, quod vis aut non vis, ut faciant alii, nimirum per quæ certa ſunt tua jura, certæ ſunt aliorum obligationes (§ 98. & *ſeqq.*); ſi vel maxime ſint principia, unde deducantur officia erga alios & erga te ipſum, non tamen dici poſſunt principia prima. Unde & nos ex aliis principiis prioribus eadem demonſtravimus, nec methodi gnarus permittet ea ſine probatione ſumi. Et qui notiones honeſti (§. 171. *part. 1. Phil pract. univ.*), juſti (§. 239. *p. 1. Phil. pract. univ.*) atque decori diſtinctas habet (§. 194. *p. 1. Phil. pract. univ.*), multo minus ſibi perſuadere patiatur, quod primum ſit principium honeſti, ſecundum principium juſti, tertium denique principium decori.

§. 104.

Præcedentia quid ſit.

Præcedentia eſt jus prioritatis in ordine a pluribus ſimul obſervando.

Ex. gr. Si plures in collegio quodam ſimul menſæ aſſidere debeant, ab iis obſervatur aliquis ordo loci. Qui adeo locum loco alterius priorem occupandi jus habet, ei tribuitur præcedentia reſpectu ſequentium, qui ſubſellia inferiora occupare tenentur. Similiter ſi plures in collegio quodam in vota coeunt, jus prioritatis in ferendo voto ad præcedentiam refertur, cum hic obſervetur ordo temporis. Non igitur omnis prioritas præcedentia eſt: ſed requiritur jus, ut ſis prior, ubi idem a pluribus fieri debet eodem in loco, vel eodem tempore, adeoque neceſſario obſervandus ſit ordo.

§. 105.

An inter æquales ſit præcedentia.

Inter æquales nulla eſt præcedentia. Qui enim æquales ſunt, eorum eadem ſunt jura (§. 78.). Quamobrem cum præcedentia jus ſit (§. 104.); fieri non poteſt ut inter æquales detur præcedentia.

Evidentius idem patet in demonſtratione indirecta. Pone nimirum ſi fieri poteſt, inter æquales locum habere præcedentiam. Quoniam præcedentia jus quoddam eſt (§. 104.); æqualium uni competere debet aliquod jus, quod alteri non competit. Non igitur æquales, ſed inæquales ſunt (§. 78. 79.): quod cum ſit contra hypotheſin, abſurdum eſt.

Nimirum quam primum inter plures admittitur præcedentia, æquales non cenſentur, cum nullus æqualium jure prætendere poſſit, quod non etiam competat alteri ob mutuas eorundem obligationes eaſdem, & jura eadem (§. 78.).

§. 106.

Natura homini nulli competit præcedentia.

Quoniam natura homines omnes æquales ſunt (§. 81.), inter æquales vero præcedentiæ locus non eſt (§. 105.); *Natura homini nulli præcedentia competit.*

Quamobrem ſi homines conſideres, quales natura ſunt, tantundem juris habet unus, ut ſit prior, quantum habet alter. Etenim cum prioritatis jus ſit utrique nullum, ſi unus ſibi id arrogare velit, ob æqualitatem alius quivis idem ſibi arrogare poteſt (§. 78.). Prior nimirum non violato aliorum jure quilibet eſſe poteſt, prout caſus tulerit. Abſit tamen, ut hinc inferas jure naturali nullam dari præcedentiam: præter jura enim connata, quæ homines natura habent (§. 33.), dantur etiam jura naturalia acquiſita, quæ natura non habent (§. 37.). Non igitur repugnat, ut ex juribus naturalibus acquiſitis & obligationibus, quæ iiſdem reſpondent, oriatur præcedentia. Sed de eo agendum eſt alio loco. Quamobrem nec hic definiri poteſt, utrum jus præcedentiæ ſit perfectum, an imperfectum. Etſi enim in ſtatu civili ſit jus perfectum, non tamen ſequitur, in naturali idem quoque perfectum eſſe debere.

Digitized by Google

§. 107.

Æqualitas per præcedentiam ſublata.

Præcedentia tollit æqualitatem hominum. Etenim ſi uni eorum competit præcedentia, quorum ceteroquin jura eadem ſunt, cum præcedentia jus quoddam ſit (§. 104.), habet ille aliquod jus, quod alter minime habet. Eorum igitur jura non amplius eadem prorſus ſunt, ſeu non ſunt totidem uni, quot alteri. Præcedentia igitur homines efficit inæquales (§. 79.), conſequenter æqualitatem tollit (§. 78. 79.).

Satis ſuperque hoc obſervare licet in ſtatu civili, in quo hujus juris magna eſt efficacia. Præcedentia non eſt vocabulum bonæ latinitatis, uſu tamen receptum. Vernaculo ſermone dicimus den Rang, In civitate feruntur leges de præcedentia, ut præſcindantur lites civium: de quibus ſuo loco dicemus.

§. 108.

An præcedentia ſit ſpecies prærogativæ.

Præcedentia prærogativa quædam eſt. Etenim præcedentia eſt jus prioritatis in ordine a pluribus ſimul obſervando (§. 104.), adeoque competere poteſt uni præ ceteris, qui ceteroquin eodem jure utuntur. Enimvero jus omne, quod alicui præ aliis eodem jure ceteroquin utentibus competit, prærogativa eſt (§. 93.). Ergo præcedentia prærogativa quædam eſt.

E. gr. in collegio aliquo ſingulis competit jus votandi, atque hoc jus ſingulorum prorſus idem eſt, cum unius votum tantundem valeat, quantum valet votum alterius cujuſcunque, quia vota numerantur, non ponderantur. Jus igitur votandi omnium æquale eſt. Enimvero cum fieri minime poſſit, ut omnes dicant ſimul, quid ſentiant; in ferendis votis neceſſe eſt, ut unus altero prior ſententiam dicat, adeoque ordo obſervandus eſt in ferendis votis. Cui igitur jus eſt votandi prius, ei competit præcedentia (§. 104.). Quatenus vero hoc jus eidem competit præ aliis, eodem ceteroquin jure utentibus, prærogativa eſt (§. 93.). Atque adeo patet jus prioritatis in votando eſſe certam præcedentiæ ſpeciem, non minus vero ſpeciem quandam prærogativæ. Dantur tamen præter præcedentiam adhuc prærogativæ aliæ, veluti ſi cui membro collegii, cujus membra ceteroqnin, excepta præcedentia, æqualia ſunt, jus eſt ad majus ſalarium, quam ceteris: quod non minus ac præcedentiam eſſe prærogativam quandam diffiteri nequit (§. 93.). Immo hæ duæ prærogativæ indivulſo nexu minime cohærent, ita ut uni competere poſſit præcedentia, alteri jus ad majus ſalarium,

§. 109.

Prærogativa & præcedentia quale ſit jus.

Prærogativa & præcedentia ſunt jus ſingulare, non univerſale. Etenim prærogativa eſt jus, quod alicui præ aliis eodem jure ceteroquin utentibus competit (§. 93.): non igitur competit cuilibet homini, quatenus homo eſt. Sed jus, quod homini cuilibet non competit, quatenus homo eſt, univerſale non eſt (§. 13.). Ergo prærogativa non eſt jus univerſale. *Quod erat primum*.

Porro quia prærogativa alicui præ aliis eodem ceteroquin jure utentibus competit (§. 93.), nec natura eidem convenit (§. 94.); ex alia ratione competit, quam quia homo eſt. Enimvero jus, quod alicui ex alia ratione competit, quam quia homo eſt, ſingulare eſt (§. 14.). Præcedentia igitur jus ſingulare eſt. *Quod erat ſecundum*.

Jam præcedentia prærogativa quædam eſt (§. 108.). Quamobrem præcedentia quoque jus ſingulare, non univerſale eſt *per demonſtrata n. 1. & 2. Quod erat tertium & quartum*.

Poterat tertium & quartum ex ipſa notione præcedentiæ eodem fere modo independenter a prærogativa demonſtrari, quo idem de prærogativa evictum fuit, niſi præſupponere licuiſſet, præcedentiam eſſe quandam prærogativæ ſpeciem (§. 108.),

110.

Digitized by Google

§. 110.

Idem porro expenditur.

Quoniam jus omne univerſale abſolutum (§. 53.), adeoque connatum (§. 51.); ſingulare autem hypotheticum (§. 54.), adeoque acquiſitum eſt (§. 52.), prærogativa autem & præcedentia jus ſingulare, non univerſale ſunt (§. 109.); prærogativa & præcedentia jus abſolutum atque connatum non ſunt, ſed hypotheticum atque acquiſitum.

§. 111.

Jus acquirere quinam dicatur.

Jus acquirere dicitur, qui facto quodam interveniente ejus redditur particeps.

Ita pater acquirit imperium in liberos; quia eoſdem generat. Similiter dominium rei, quæ nullius eſt, acquirit, qui eam occupat. Imperium in populum acquirit, qui Rex eligitur.

§. 112.

Modus acquirendi quid ſit.

Modus acquirendi eſt factum, quo juris reddimur participes.

Ita ſi quæris, quomodo Titius pater acquiſiverit imperium in Cajum filium; reſpondetur: per generationem. Generationis igitur actus eſt modus acquirendi imperium in liberos, ſeu patriæ poteſtatis. Similiter ſi quæris, quomodo dominium hujus rei acquiſiveris, quæ antea erat nullius; reſpondetur: per occupationem. Occupatio igitur eſt modus acquirendi dominium rei, quæ nullius eſt. Denique ſi quæris, quomodo Auguſtus acquiſiverit imperium in Polonos; reſpondetur: quia ab ipſis in Regem electus eſt. Electio igitur eſt modus acquirendi imperium in populum.

§. 113.

Titulus quid ſit.

Titulus eſt ratio legalis, per quam patet factum quoddam tale jus parere poſſe.

Ita ratio, cur per generationem acquiſiveris imperium in liberos, deſumitur a lege naturæ, quod patri competat imperium in liberos. Hac lege generatio tale factum declaratur, quo imperium in liberos acquiri poteſt. Atque adeo ratio legalis, per quam patet, generationem parere poſſe imperium in liberos, titulus eſt hujus juris in liberos. Similiter ratio, cur dominium acquiſiveris per occupationem, petitur a lege naturæ, quod occupatione rerum nullius acquiratur dominium. Hac lege occupatio tale factum declaratur, quo dominium rei nullius acquiri poteſt. Atque adeo liquet rationem legalem, per quam patet, occupationem rei nullius parere dominium, titulum eſſe dominii in re nullius acquiſiti. Denique ratio, cur imperium competat Regi in populum, arceſſitur a lege naturali, quod in regno electitio Rex a populo eligi poſſit. Hac lege declaratur, electione transferri imperium civile in electum. Atque adeo ratio legalis eſt titulus imperii civilis acquiſiti ab eo, qui electus fuit. JCti titulum cauſam vocant, quia vulgo cauſa & ratio non diſtinguuntur, quemadmodum a nobis factum in Ontologia, fierique debet, ſi accuratus in diſtinguendo eſſe volueris.

§. 114.

Cur jus connatum non acquiratur.

Jus connatum non acquiritur. Etenim jus connatum natura habet homo (§. 33.), adeoque ipſum per eſſentiam atque naturam ſuam eidem competit (§. 32.), conſequenter non demum facto quodam interveniente ejus reddimur participes. Quoniam itaque jus non acquiritur, cujus non participes reddimur facto quodam interveniente (§. 111.); jus connatum non acquiritur.

Non eſt quod excipias, juris connati nos fieri participes per nativitatem, ſeu quod mater nos in lucem edat. Niſi enim in lucem fuiſſemus editi, nec Jus iſtud nobis competeret. Jus igi-

tur connatum acquiri (§. 111.). Neque enim ideo juris connati ſumus participes, quia mater nos peperit, ſed quia homines ſumus, conſequenter non facto matris, ſed per ipſam eſſentiam atque naturam noſtram ejus participes redimur.

§. 115.

Cur non indigeat titulo.

Jus connatum nullo opus habet titulo. Etenim jus connatum non acquiritur (§. 114.), adeoque non demum facto quodam interveniente ejus participes redimur (§. 111.. Quamobrem cum titulus ſit ratio legalis, per quam patet, quod tale factum tale jus parere poſſit (§. 113.); evidens eſt jus connatum nullo opus habere titulo.

§. 116.

Cur jus univerſale & abſolutum titulo non indigeat.

Quoniam jus connatnm omne abſolutum (§. 50.) & univerſale eſt (§. 29.), jus vero connatum nullo opus habet titulo (§. 115.); *nec jus ullum abſolutum & univerſale titulo opus habet.*

Quodſi quæritur de jure quodam connato, abſoluto, univerſali, cur tibi competat, fueritque idem derivativum, non primitivum, ad legem quidem quandam naturæ provocas, ſed quatenus ea declarat, homini qua homini convenire hoc jus, adeoque eſſentiam & naturam ejuſdem id ipſum parere. Etſi adeo ratio legalis reddatur, qualis etiam titulus (§. 113.); ab ea tamen, in qua titulus conſiſt it, differt, quia hac declaratur tali facto jus ta le acquiri poſſe, illa autem indicatur homini per eſſentiam atque naturam ſuam tale jus neceſſario competere.

§. 117.

Dependentia tituli a lege.

Omnis titulus ſupponit legem quandam. Eſt enim ratio legalis, per quam patet tale factum jus tale parere poſſe (§. 113.). Enimvero ratio legalis deſumitur a lege (§. 134. *part* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque legem quandam ſupponit. Omnis itaque titulus legem quandam ſupponit.

Quodſi jus quoddam acquiſiviſti, idem tibi competere probaturus allegare debes factum, quo interveniente ejus factus es particeps (§. 35.). Hoc autem factum tale eſſe debet, ut jus illud tibi parere potuerit. Quoniam itaque hoc non intelligitur niſi per legem, neceſſe eſt rationem facto acquiſiti juris a lege peti (§. 56. *Ontol.*). Ratio hæc cum ſit legalis (§. 134. *p.* 1. *Phil pract. univ.*), titulus eſt (§. 113.). Atque adeo titulus ſupponit hanc legem. Clariora hæc evadent ſuo loco ex ſpeciali tractatione.

§. 118.

Verus titulus quinam ſit.

Titulus verus dicitur, ſi & factum fuerit verum, & lex declarat hoc facto jus tale acquiri.

Emtio rei a domino eſt verus titulus dominii, ſi revera a domino rem emeris. Hic enim factum verum eſt, quia verum ſupponitur, te rem emiſſe & venditorem fuiſſe dominum, & ſuo loco demonſtrabitur tali facto dominium rei acquiri poſſe. Similiter emtio a non domino, quem dominum eſſe putabas ignorantia invincibili, aut ſaltem difficulter vincibili, parſe jus poſſidendi. Quamobrem ſi verum eſt, te rem emiſſe ab eo, quem dominum eſſe hoc modo putabas; emtio verus titulus eſt. Si verum eſt te prolem generaſſe, cum lex tribuat patri jus in liberos; titulus verus eſt.

§. 119.

Titulus putativus quinam.

Titulus putativus vocatur; ſi putes factum eſſe verum, cum non ſit, lex autem declarat hoc facto jus tale acquiri.

gr.

Digitized by Google

E. gr. Putativus eſt titulus, ſi putes te rem emiſſe, quam non emiſti; ſi exiſtimas, rem tibi donatam eſſe, cum non fuerit donata; ſi arbitraris, eam te hæreditate conſecutum, cum hæreditate eandem conſecutus minime fueris; veluti ſi inter res defuncti reperiatur, quæ alterius eſt, tu vero putas, eam fuiſſe defuncti.

§. 120.

Titulus falſus quinam.

Titulus falſus eſt, ſi factum quidem verum fuerit, in eo autem erras, quod lex declaret hoc facto jus tale acquiri poſſe.

E. gr. Vides Titium in platea incedentem caſu amittere annulum, quem occupando tuum fieri putas. Quæſitus de jure tuo in annulum reſpondes, te eum inveniſſe. Verum hic eſt, quod in platea jacentem occupaveris, ſed in eo erras, quod tibi perſuadeas hac occupatione dominium annuli acquiri. Titulus adeo hoc in caſu falſus eſt, cum falſum ſit in ea lege contineri rationem juris a te acquiſiti, quæ dicit rei derelictæ occupatione dominium acquiri.

§. 121.

Num titulus falſus & putativus tituli ſint.

Titulus putativus & falſus non eſt titulus. Etenim ſi titulus fuerit putativus, factum, quod ſupponis, lex quidem tale declarat, quod tale jus eodem acquiri poſſit, falſo tamen idem ſupponis (§. 119.). Quamobrem etſi detur ratio legalis talis facti, quale ſupponitur (§. 56. *Ontol.* & §. 134. *p. 1. Phil. pract. univ.*); ea tamen non obtinet, ubi factum non adeſt. Quamobrem cum titulus non ſit niſi ratio legalis, per quam patet hoc factum tale jus parere poſſe (§. 113.); titulus putativus non eſt titulus. *Quod erat unum.*

Porro ſi titulus falſus eſt, factum quidem, quod allegas, verum eſt, ſed lex non declarat hoc facto jus tale acquiri poſſe (§. 120.). Deficit adeo ratio legalis (§. 56. *Ontol.* & §. 134. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quare cum titulus non niſi in ratione legali conſiſtat (§. 113.); titulus falſus non eſt titulus. *Quod erat alterum.*

Forſan objiciet aliquis, cum titulus putativus & falsus titulus non ſit, nec eum dividendum eſſe in verum, putativum & falſum. Enimvero ubi neceſſe eſt id, quod apparet, a vero diſtingui, diviſio in id, quod verum eſt, & quod tale apparet, non improbatur. Ita nemo improbat bona diſtingui in vera & apparentia, etſi quæ apparentia vocantur bona non ſint, quod multi homines, immo plerique, quæ bona ipſis apparent, pro talibus habeant. Similiter etſi verus titulus ſolus ſit titulus, putativus & falſus non item, improbari nequit, titulum ſic dividi, quia contingit homines pro titulo habere, qui putativus eſt, vel falſus. Rationem redditurus, cur tibi in hac re competat dominium, quærenti reſpondes, te eam emiſſe a domino, emtione autem a domino facta dominium acquiri, adeoque ita argumentaris:

> Quicumque rem emit a domino, dominium ejus acquirit.
> Atqui ego rem hanc emi a domino.
> Ergo ego hujus rei dominium acquiro.

Minor hujus ſyllogiſmi enunciat modum acquirendi (§. 112.), ſeu factum, quo dominium acquiſiviſti, major eſt lex, quæ declarat, hoc modo dominium acquiri poſſe. Ratio dominii competentis continetur in majore & minore ſimul, quippe cum per utramque ſyllogiſmi præmiſſam intelligatur, quod vera ſit concluſio (§. 537. *Log.*). Eſt igitur ratio legalis, per quam patet emtione a domino facta dominium acquiſitum eſſe. Quodſi vera eſſe debet concluſio, neceſſe eſt utramque præmiſſam eſſe veram, conſequenter & verum eſſe debet, quod rem emeris a domino, & verum eſſe debet, quod detur lex: *qui rem a domino emit, dominium ejus acquirit.* Unde titulus verus eſt nonniſi in hoc caſu, quemadmodum habet definitio (§. 118.). Quodſi concluſio fallit, aut errare debes circa minorem, aut circa majorem, ut tibi videatur quod non eſt. In caſu primo titulus putativus, in tertio falſus eſt, quemadmodum itidem habent definitiones. Si noſti factum eſſe falſum, mentiris. Sed mendacii hic nulla habenda eſt ratio, ubi diviſio fit in ea, quæ ſunt, & quæ tantummodo videntur. Unde titulus putativus & falſus uno vocabulo dici poterant *titulus apparens*, & hic poterat ſubdividi in putativum & falſum. Vides itaque diviſionem tituli in verum, putativum & falſum non ſine ratione fieri. Si ratio reddi debet juris competentis, vulgo tantummodo provocatur ad factum, v. g. dicis te emiſſe a domino, ſi dominii rationem reddere teneris & probato hoc facto tibi dominium competere concluditur. Factum eſſe modum, quo acquiſiviſti dominium, nemo eſt qui

Digitized by Google

qui dubitat. Dicitur tamen allegare titulum, qui allegat factum: unde, quid ſit titulus, multis videtur obſcurum. Enimvero hi non perpendunt argumentari hic enthymematice,

Ego rem emi a domino.
Ergo ſum rei dominus.

propterea quod ex lege notum ſupponitur, ementem a domino fieri dominum rei emtæ, adeoque hoc non demum probandum, ſed tantummodo probandum eſt, quod rem a domino emeris. Jam neque factum, qui modus acquirendi eſt, neque lex, quæ id juſtum declarat; titulus eſt. Reſtat igitur, ut titulus ſic ratio ex lege deſumpta, per quam patet, factum tale eſſe, ut eo dominium acquiri potuerit. Atque adeo ſatis diſtincte explicaſſe confidimus, quid ſit titulus, neque hic quicquam obſcuritatis ſupereſſe poteſt niſi iis, qui principiorum logicorum ignari ſunt, nec ex philoſophia prima didicere, quid ſit ratio (§. 56. *Ontol.*), quam vulgo cum cauſa confundi jam monuimus (*not.* §. 113.). Ecce tibi novum uſum doctrinæ ſyllogiſticæ in formandis notionibus diſtinctis.

§. 122.

Titulus quinam oneroſus, quinam lucrativus.

Titulus oneroſus dicitur, ſi lex, quæ declarat te facto tuo acquirere aliquod jus, ſimul te obligat ad quid viciſſim præſtandum. Aſt *lucrativus* vocatur, ſi lex, quæ declarat te facto tuo acquirere aliquod jus, ad nihil viciſſim præſtandum te obligat.

E. gr. Emtione acquiris dominium in re emta, ſi eam emis a domino: ſed eidem viciſſim obligaris ad ſolvendum pretium. Titulus igitur in hoc caſu oneroſus eſt. Sed ſi Titius tibi donat decem aureos, eidem minime obligaris ad quid viciſſim præſtandum, titulus adeo lucrativus eſt. Quando emtio ſimpliciter dicitur titulus oneroſus; donatio titulus lucrativus; factum non conſideratur in ſe, ſed cum reſpectu ad legem, quatenus ſcilicet vi ejuſdem aptum eſt ad pariendum jus & obligationem. Ita nimirum conſideratum continet rationem legalem, cur juris te participem reddere potuerit: in qua titulus conſiſtit (§. 113.). Nihil in hiſce erit obſcuri, modo perpenderis ea, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 121.).

§. 123.

Status moralis definitio.

Status hominum moralis eſt, qui determinatur per jura iiſdem competentia & obligationes ipſorum.

Statum entis in genere definivimus in philoſophia prima (§. 705. *Ontol.*), quod ſit exiſtentia mutabilium cum iiſdem fixis, monuimuſque (*not.* §. *cit.*) per mutabilia intelligi modos, qui inſunt, & relationes entis unius ad alia. Quoniam itaque homo moralis eſt ſubjectum jurium & obligationum (§. 70.); in ſtatu morali determinando non habetur ratio niſi jurium, quæ non omnium prorſus eadem eſſe conſtat, & ex ſpeciali tractatione abunde eluceſcet, utut jura connata omnium eadem ſint (§. 31.). Pro diverſitate adeo jurium diverſi oriuntur ſtatus. Equidem quando JCti agunt de ſtatu hominum, homines quoque dividunt ratione ſexus in fœminas & maſculos, & quærunt, cuinam ſexui comparetur hermaphroditus, dividunt etiam in natos & eos, qui adhuc ſunt in utero: non tamen exiſtimandum eſt per haſce differentias eos intelligi voluiſſe diverſos ſtatus hominum, ſed tantummodo indicaſſe, quod pro hiſce differentiis naſcantur ſtatus diverſi. Diſerte enim *Ulpianus* l. 9. ff. de ſtatu hominum: *in multis*, inquit, *juris noſtri articulis deterior eſt conditio fœminarum, quam maſculorum*, manifeſto indicans, ob diverſitatem juris pro diverſitate ſexus diverſos oriri hominum ſtatus, quatenus ſcilicet vel maſculi ſunt, vel fœminæ. Ac inde eſt, quod, qui in Digeſtis inſcribitur titulus de ſtatu hominum, in inſtitutionibus inſcribatur de jure perſonarum.

§. 124.

Status naturalis definitio.

Status naturalis eſt, qui determinatur per jura mere naturalia eaque ſingulorum, & obligationes mere naturales.

Nimirum ſi homines concipimus, antequam in ſocietates civiles ſeu civitatem coiverunt, de quo ſuo loco dicemus, alia ipſis jura competere nequeunt niſi naturalia, cum nemo ſit, qui eos ad alia obligare poſſit; quam ad quæ vi legis naturæ obligantur, conſequenter nec alia ipſis competere poſſint jura, quam quæ ex obligatione naturali deſcendunt (§. 23.). Qu…

Digitized by Google

ſtem cum jus naturæ nobis explicandum ſit, nec homines hic conſideramus niſi in ſtatu naturali. Neque adeo, quæ hic traduntur, promiſcue applicari poſſunt ad ſtatum civilem, in quo nunc vivimus. Videbimus autem ſuo loco; quamnam differentiam jurium inducat ſtatus civilis.

§. 125.

Quoniam ſtatus naturalis per jura mere naturalia de terminatur (§. 124.), *in ſtatu naturali homines non utuntur niſi jure naturali*, conſequenter *licitum, quod juri naturali convenit.* *Quid licitum in ſtatu naturali.*

§. 126.

Et quia in ſtatu naturali homines non utuntur, niſi jure naturali (§. 125.), jus vero naturæ vi legis naturalis ipſis competit (§. 160. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *in ſtatu naturali homines reguntur ſola lege naturæ.* *Quali lege in eodem regantur.*

Quæcunque adeo demonſtrabuntur in Jure naturæ independenter a notione civitatis, ſeu ex ipſa hominis eſſentia & natura ſive abſolute, ſive interveniente aliquo ipſorum facto deducentur; ea pertinent ad ſtatum naturalem. Videbimus tamen ſuo loco, legem naturæ latius patere, quam ſtatum naturalem, cum de ipſo etiam ſtatu civili haud pauca diſponat, etſi jure naturali non invito in ſtatu civili reſultent jura a naturalibus diverſa, ita ut illicita ſiant in civili, quæ licita erant in naturali.

§. 127.

Status civilis eſt, qui determinatur per jura civilia. *Status civilis quinam ſit.*

Quænam ſint jura iſta civilia, ſuo videbimus loco, ubi de civitate agemus. Opponitur ſtatus civilis ſtatui naturali, quatenus jura civilia opponuntur naturalibus. Equidem dantur etiam jura naturalia, quæ nonniſi locum habent in ſtatu civili, minime autem in naturali: non tamen ſtatus civilis determinatur per mere naturalia, neque naturalia ſunt tantummodo ſingulorum, verum totius civitatis. Differentia utriusque ſtatus clariſſime patebit, ubi jura in utroque hominibus competentia demonſtraverimus. Ceterum quia etiam dantur jura naturalia ſtatui civili propria, ideo de ſtatu civili quoque agitur in Jure naturæ. Uterque autem ſtatus, naturalis nempe & civilis probe a ſe invicem diſcernendus, ne jura diverſa confundantur. Quamobrem cum nunc in ſtatu civili vivamus, naturalis vero non prorſus ſublatus ſit; ideo probe diſpiciendum, quandonam & ubi ſtatui naturali adhuc ſit locus.

§. 128.

Status naturalis originarius eſt, qui determinatur per jura connata connataſque obligationes: *Adventitius* vero, qui determinatur per jura acquiſita & obligationes contractas. *Status naturalis originarius & adventitius.*

Status adventitius diverſus eſt pro diverſitate jurium acquiſitorum & obligationum contractarum. Quamobrem cum jura hæc, haſce obligationes nondum explicaverimus, nec hic commode diverſitas ſtatuum adventitiorum explicari poteſt. Equidem ſtatus civilis etiam adventitius eſt, ſed non naturalis, quia a naturali differt in eo, quod jura habeat civilia, quæ populus unuſquiſque ſibimetipſi aut is, qui populi jus habet, conſtituit, quemadmodum ſuo loco explicabitur. Quamobrem cum naturalis opponatur civili ob diverſam jurium originem, quorum illa a natura, hæc a voluntate hominum veniunt; hujus hic ſaltem mentionem injicere debuimus, etſi nondum ſatis hoc loco intelligi poſſit.

§. 129.

Undenam ſit ſtatus originarius.

Statum originarium homo natura habet, adventitium non item. Etenim in ſtatu originario homini non competunt niſi jura connata, nec aliis tenetur obligationibus, quam connatis (§. 128.). Quamobrem cum jura connata natura habeat homo (§. 33.), & obligatio connata homini natura inſit (§. 34.); ſtatum quoque originarium natura habet. *Quod erat unum.*

Enimvero in ſtatu adventitio accedunt jura acquiſita & obligationes contractæ (§. 128.). Quoniam itaque jus acquiſitum natura non habet homo (§. 37.), nec obligationes contractæ eidem natura inſunt (§. 39.); nec ſtatum adventitium natura habet. *Quod erat alterum.*

In ſtatu originario homo tantummodo conſideratur quoad eſſentiam atque naturam ſuam, qualis naſcitur. Unde ſtatus originarius adventitium antecedit. Quamobrem cum adventitius ex originario demum reſultet, jus autem connatum nemini hominum auferri (§. 64), nec ab obligatione connata liberari poſſit (§. 68); ipſi ſtatui originario ineſſe debent, per quæ intelligitur, cur quædam mutatio introduci potuerit. Unde in omni jure ac obligatione ſemper ſtatus originarius primo inſpiciendus, antequam de adventitio judicari poſſit. Monet *Gajus* l. 1. *de ſtatu hominum*, omne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinere, vel ad res, vel ad actiones. Quamvis vero de jure civili Romano loquatur, id tamen quoque valet de jure naturali. Etenim jus omne vel reſpicit perſonas, vel res, vel denique modum jus ſuum perſequendi, ad quem in ſtatu civili ſpectant actiones, in naturali bellum. Triplex hoc juris etiam objectum eſt in ſtatu originario; in adventitiis autem immutantur jura eo ſpectantia utilitatis communis gratia, maxime autem in civili. A jure ad res connato derivatum fuit dominium tanquam jus acquiſitum, a jure perſonarum primævo deſcendit imperium, a jure denique jura ſua defendendi jus belli & in civitate actio. Ante introducta igitur dominia & imperia ſtatus obtinebat originarius, qui deinde dominiorum & imperiorum introductione immutatus: id quod jure fieri potuit, quia ratio hujus immutationis in ipſo ſtatu originario continetur pro præſenti hominum ſtatu; quemadmodum ſuo loco videbimus. Si homines eſſent integri (§. 75.), in ſtatu originario perſtitiſſent. Enimvero cum corruptos eſſe, ex parte ſaltem, videamus (§. *cit.*): utilitas communis ſuaſit, ut ab eo recederent, & ipſa obligatio connata juſſit.

§. 130.

Æqualitas hominum in ſtatu originario.

In ſtatu originario homines omnes æquales ſunt. Etenim ſtatum originarium homo natura habet (§. 129.). Sed natura homines omnes æquales ſunt (§. 81.). Ergo in ſtatu originario homines omnes æquales ſunt.

Poterat idem ex ipſa notione ſtatus originarii oſtendi hoc modo. In ſtatu originario jura & obligationes ſunt connata (§. 128.). Enimvero jus connatum omnium hominum idem eſt (§. 31.) & obligatio connata eadem eſt (§. 80.). Quamobrem cum homines æquales ſint, quorum eadem ſunt jura & obligationes eædem (§. 78.); in ſtatu originario homines omnes æquales ſunt.

Quodſi adeo in ſtatu originario perſtitiſſent homines, omnimoda omnium fuiſſet æqualitas. Non plus juris competiiſſet uni, quam alteri, & tantum fuiſſet jus unius cujuſque, quantum alterius. Non plures fuiſſent obligationes unius, quam alterius, nec unus magis obligatus fuiſſet in eodem caſu alteri, quam alius quicunque ipſi. Enimvero poſtquam a ſtatu originario receſſere, inæquales facti ſunt tum quoad jura, tum quoad obligationes, introducto ſcilicet dominio & imperio: qua ipſa etiam de cauſa jus ſe ſuaque tuendi immutatum.

§. 131.

Suum quid ſit.

Suum dicitur, in quod homini cuidam ſoli jus perfectum competit.

Ita dominium jus perfectum eſt, quemadmodum ſuo oſtendetur loco. Res igitur tua eſt, in qua dominium tibi competit. Quomodo idem valeat de rebus incorporalibus, quæ dicuntur; ſuo oſtendetur loco.

§. 132.

Digitized by Google

§. 132.

Quoniam tuum non eſt, in quod tibi jus perfectum minime competit (§. 131.), jus vero imperfectum perfectum non eſt (§. 235. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *tuum non eſt, ad quod imperfectum tantummodo jus habes.* *Quid noſtrum non ſit.*

Jus imperfectum eſt egeno ad hoc, ut Titius locuples, a quo petit, ipſi det eleemoſynam (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque adeo jus quoddam imperfectum habet ad id, quod eſt Titii. Enimvero hoc dicere nequit ſuum: non ante dicere poteſt ſuum, quam a Titio ipſi datum fuerit.

§. 133.

Jus, quod quis in ſe vel perſonam quandam alteram habet, *Poteſtas* dicitur. *Quid ſit poteſtas.*

Hine jus, quod pater habet in liberos, dicetur ſuo loco poteſtas patria, & jus, quod civitati eſt in ſingula ejus membra, poteſtas civilis, Quale vero ſit hoc jus, inferius demonſtrabitur.

§. 134.

Subjectus dicitur *alteri* ſeu *poteſtati alterius*, in quem alteri poteſtas competit, ſeu in quem alteri jus competit. *Subjectio quid ſit.*

Ita filius dicitur ſubjectus patri, quatenus patri poteſtas, vel jus in ipſum competit.

§. 135.

Sui juris dicitur, qui alterius cujuſdam poteſtati ſubjectus non eſt. Vocatur etiam *Liber*, ut adeo *Libertas* ſit poteſtas in ſeipſum, *Libertas quid ſit.*

Florentinus l. 4. ff. *de ſtatu hom.* Libertatem definit, quod ſit *naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi, aut jure prohibetur.* Nimirum homini nullum competit jus in ſe niſi in actiones ſuas, quemadmodum deinceps oſtendetur. Quodſi ergo liber eſt, quatenus nemini jus in ipſum competit; actiones ſuas determinare poteſt ut ipſi libet, non vero determinare poteſt ut ipſi libet, non vero determinare tenetur ad nutum alterius hominis. Atque hoc jus natura habet, ac ideo naturalis dicitur facultas. Nec obſtat, quod vi prohiberi poſſit, ne agat, quia vi non tollitur jus, ſed tantummodo exercitium juris, quamdiu vis durat. Neque etiam obſtat, quod jure prohibeatur, quia nolle, quod prohibitum eſt, uti libertatem voluntatis intactam relinquit, ita nec juri in actiones noſtras officit, quoniam libertas non tollit obligationem naturalem recte agendi, ſed tantummodo neceſſitatem phyſicam actiones ſuas ad alterius nutum componendi. Nihil adeo in definitione *Florentini* habetur, quod definitioni noſtræ repugnet; ſed tantummodo eidem inſeruntur, quæ in Juris Naturæ ſyſtemate non ſumenda, ſed demonſtranda, veluti quod libertas natura nobis competat, quod jus, in quo conſiſtit, non extendatur ultra actiones liberas, quod idem non tollat obligationem naturalem, nec in licentia agendi conſiſtat. In Jure civili, ubi definitiones vim legum obtinent, hoc tolerari poteſt ubi magis conſulitur perſpicuitati, quam rigori Logicæ, quem exigunt demonſtrationes. Nimirum in Jure civili ſupponitur ſyſtema Juris naturalis, ex quo adeo ad formandas notiones, quæ definitionum loco inſervire debent in legibus applicandis, ſumi poſſunt, quæ ſumere libet, ut quilibet ſtatim intelligat, quid ad hoc genus, vel ad hanc ſpeciem entium moralium referri debeat.

§. 136.

Status libertatis eſt, qui determinatur per jus libertatis. Unde *qui in ſtatu libertatis eſt, alterius cujuſdam poteſtati ſubjectus non eſt* (§. 135.). *Status libertatis quinam ſit.*

Digitized by Google

Libertas jus quoddam eſt (§ 135.). Quemadmodum itaque per diverſa jura, quæ competere poſſunt hominibus, diverſi ejuſdem determinantur ſtatus morales (§. 124.); ita per jus libertatis determinatur ſtatus libertatis; in quo qui vivunt liberi ſunt; nec alterius hominis cujuſcunque poteſtati ſubjecti. An ſtatus hic conſiſtat cum ſtatu civili, an vero per hunc tollatur, an tantummodo limitetur, ſuo demum conſtabit loco.

§. 137.

Jus in actiones liberas quale ſit.

Jus in actiones ſuas habere dicitur, qui ſalva obligatione ſua facere poteſt, quod libet. *In alterius vero actiones jus habet*, ad cujus voluntatem alter actiones ſuas componere obligatur. *Quamobrem ſi tibi jus eſt in actiones meas, ego facere teneor, quod tu vis ſalva omni obligatione, qua teneor, minime autem facere licet, quod libet.*

Si tibi jus eſt in actiones meas & tu jubes, ut accendam candelam, cum hoc nulli obligationi repugnet, faciendum eſt, non vero licet facere, quod libet. Similiter ſi jubes ut maneam domi, nec exire obligatus ſum, exire non licet, quamvis mallem. Enimvero ſi jubes furari, vel occidere alterum, hoc faciendum non eſt, quia obligor non furari, nec occidere alterum, adeoque tibi nullum jus competit quoad haſce actiones, nec ego tibi obligor actiones meas hoc in caſu ad voluntatem tuam componere. Quodſi ergo mihi jus eſt in actiones meas, ſi vis, ut candelam accendam, facere licet, quod libet. Poſſum candelam accendere & non accendere, poſſum interea facere aliud quidvis, ad quod omittendum non obligor. Similiter ſi tu vis me manere domi, quamvis hoc nulli repugnet obligationi meæ, exire licet, non manendum domi, ubi exire potius, quam domi manere malo.

§. 138.

Quanam liber homo facere poſſit.

Qui liber ſeu ſui juris eſt, is facere poteſt, quod ſalva obligatione ſua facere libet. Qui enim liber ſeu ſui juris eſt, is alterius poteſtati ſubjectus non eſt (§. 135.), adeoque alteri jus nullum in ipſum, conſequenter nec in actiones ſuas competit (§. 134.). Quamobrem nec facere tenetur, quod vult alter ſalva obligatione omni ejus, conſequenter facere poteſt, quod ſalva obligatione facere libet.

Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 137.); propoſitionem præſentem illuſtrant. Notandum vero, quando de jure alterius in actiones tuas liberas ſermo eſt, duplicem ſpectari obligationem. Altera eſt, qua ipſi teneris vi juris eidem competentis; altera vero, qua alias teneris, veluti quod obligatus ſis ad furtum vel homicidium non committendum, ad parentes honorandos, ad gratias benefactoribus rependendas. Plus alteri juris non eſſe poteſt, quam permittunt obligationes, a quibus liberari nequis, neque adeo juri alterius plus reſpondet obligationis, quam iſtud permittit.

§. 139.

Alienum quid ſit.

Alienum eſt, in quod non tibi, ſed alteri cuidam ſoli jus perfectum competit.

Ita ſi Titius habeat dominium in re quadam, ea ipſius eſt, non tua (§. 131.); tui igitur reſpectu eſt aliena. Similiter imperium, quod Rex Galliæ habet, eſt alienum reſpectu Regis Britanniæ, cui in Britannos imperium eſt.

§. 140.

Impoſſibile, ut quid ſimul ſit ſuum & alienum.

Quod alienum eſt, ſuum non eſt, & quod ſuum eſt, non eſt alienum. Si quod enim ſit alienum, in id tibi nullum jus competit perfectum (§. 139.). Sed in quo homini non competit jus perfectum, id ſuum non eſt (§. 131.). Quod igitur alienum eſt, ſuum non eſt. *Quod erat unum.*

Si

Si quod ſuum eſt, in id homini huic ſoli competit jus perfectum (§. 131.), adeoque non alteri. Enimvero in quod alteri ſoli non competit jus perfectum, id alienum non eſt (§. 139.). Ergo quod ſuum eſt, alienum eſſe nequit. *Quod erat alterum.*

Nimirum impoſſibile eſt, ut aliquid ſimul ſit ſuum & alienum. Exempla modo in medium allata (*not.* §. 139.) propoſitionem præſentem illuſtrant.

§. 141.

Quinam ſit alieni juris.

Alieni juris eſt, qui poteſtati alterius ſubjectus eſt, ſeu in quem alius jus perfectum habet.

Ita liberi, quamdiu poteſtati patris ſubjecti, alieni juris ſunt, non ſui.

§. 142.

Homo alieni juris quid facere teneatur.

Qui alieni juris eſt, is facere tenetur quod vult alter ſalva omni illius obligatione, non vero ei licet facere, quod libet. Etenim qui alieni juris eſt, in eum alteri jus perfectum competit (§. 141.), conſequenter eidem quoque eſt jus in actiones illius. Quoniam itaque is, in cujus actiones alteri jus eſt, facere tenetur, quod vult alter ſalva ipſius omni obligatione, non vero facere ei licet, quod libet (§. 137.; qui alieni juris eſt, is facere tenetur quod vult alter ſalva omni illius obligatione, non vero ei licet facere, quod vult.

Exempla, quæ dedimus ſupra (*not.* §. 137.), propoſitionem præſentem illuſtrant. Notandum vero, quando nos ſalva obligatione noſtra quid fieri dicimus, id idem eſſe, quod jure non prohiberi dicitur in Jure Romano (*not* §. 135.).

§. 143.

An in ſtatu originario quis ſit poteſtati alterius ſubjectus.

In ſtatu originario homo nullus poteſtati alterius ſubjectus eſt. Pone enim, ſi fieri poteſt, in ſtatu originario Titium poteſtati Caji ſubjectum eſſe. Quoniam poteſtati alterius ſubjectus eſt, in quem alteri jus competit (§. 134.); Titius jus in Cajum, adeoque & actiones ipſius habet, adeoque Cajus facere tenetur, quod vult Titius ſalva hujus omni obligatione, minime autem facere ipſi licet, quod libet (§. 137.). Quoniam in ſtatu originario homines omnes æquales ſunt (§. 130.), æqualium vero eadem ſunt jura (§. 78.); Cajus idem jus habet in Titium ejuſque actiones, quod habet Titius in Cajum & actiones ejus. Quamobrem ubi Titius jubet Cajum hoc facere, Cajus vero vult ut a juſſu abſtineat, Titius nolle tenetur ut Cajus hoc faciat (§. 137.). Juris adeo Titii in Caji actiones effectus nullus eſt. Et idem eodem modo patet, ſi quod aliud quodcunque jus fingatur Titii in Cajum, vi cujus quodcunque Cajo facere poſſit (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam adeo jus nullum eſt, cujus nullus unquam eſſe poteſt effectus, ſeu quo nihil efficitur; in ſtatu originario jus nullum homini uni eſſe poteſt in alterum, conſequenter homo nullus poteſtati alterius ſubiectus eſt (§. 134.).

Patet adeo in ſtatu originario jus nullum hominis unius in alterum concipi poſſe; ſed, qualecunque demum illud eſſe fingas, cum eodem pugnare & tanquam contradictorium (§. 28 *Ontol.*) inter ea referendum eſſe, quæ impoſſibilia ſunt (§. 79. *Ontol.*).

§. 144.

Quales ſint homines in ſtatu originario. Quoniam ſui juris ſeu liber eſt, qui alterius poteſtati ſubjectus non eſt (§. 135.), in ſtatu autem originario homo nullus poteſtati alterius ſubjectus (§. 143.); *In ſtatu originario homo omnis ſui juris, ſeu liber eſt.*

In hunc ſtatum quadrat definitio libertatis, quam dedit *Florentinus*, ſupra allata (*not.* §. 135.), ſi per jus, cujus in ea ſit mentio, intelligas ſolas leges naturales: quodſi enim vocabulum extendas etiam ad civiles, eidem quoque locus eſt in ſtatu civili.

§. 145.

Qualis ſit hic ſtatus. Quia homo in ſtatu originario liber eſt (§. 144.), ſtatus autem libertatis eſt, in quo homini libertas competit (§. 136.); *ſtatus originarius ſtatus libertatis eſt.*

Non tamen cum ſtatu libertatis prorſus idem eſt: libertas enim confert *liberum* omnium *jurium exercitium*, independens ſcilicet a voluntate alterius. *Juris* quippe *exercitium* in hoc conſiſtit, ut facias, quod jure tuo facere potes (§. 156 *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*). Per ipſa vero jura illa determinatur ſtatus originarius.

146.

Status libertatis unde nam ſit. Cum ſtatus originarius ſit ſtatus libertatis (§. 145.), ſtatum vero originarium natura habeat homo (§. 129.); *ſtatum* quoque *libertatis natura habet*, conſequenter quia hic per libertatem determinatur (§. 136:, *natura homines omnes liberi ſunt.*

Inde eſt, quod *Florentinus* l. 4. *ff. de ſtatu homin.* ſervitutem contra naturam eſſe dicat, etſi eam natura non diſſentiente, uti ita loqui liceat, introductam fuiſſe ſuo demonſtraturi ſimus loco. Hinc etiam eſt, quod homines omnes liberi naſci dicantur. Non eſt, quod excipias, filium eſſe ſub poteſtate parentum, quam primum natus eſt, adeoque non ſui eſſe juris, neque adeo natura liberum. Patebit enim ſuo loco, eidem natura competere libertatem, quamdiu vero hoc jus per ætatem ipſemet nondum exercere poteſt, exercitium ejus eſſe parentum.

§. 147.

An tollatur dominiorum introductione. *Introductione dominii rerum non tollitur ſtatus libertatis.* Etenim cum dominium rerum ſit jus quoddam in rebus nobis competens (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*); ſi dominia introducuntur, jus equidem tibi in res acquiritur, non vero ideo alii jus acquirunt in actiones tuas, ut non facere liceat, quod libet, ſed faciendum ſit, quod vult alter (§. 137.). Quoniam igitur liber eſt, in quem alteri jus nullum perfectum competit (§. 134. 135.); introducto dominio rerum non deſinis eſſe liber, conſequenter cum ſtatus libertatis non tollatur, quamdiu homines liberi manent (§. 136.); introductione dominii rerum non tollitur libertas.

Quamvis itaque ſtatus originarius ſit ſtatus libertatis (§. 145.) introductione autem dominiorum, quæ ſtatum adventitium inducunt (§. 128.), originarius immutetur quoad jus ad res hominibus natura competens; nihil tamen immutatur quoad libertatem, ſed jus potius hoc ad ipſum dominii exercitium extenditur: id quod plenius conſtabit ſuo loco.

§. 148.

§. 148.

Quale jus in actiones ſuas homini competere nequeat.

Nemo hominum habet jus ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet. Etenim homines omnes lege naturali obligantur ad certas actiones committendas, alias vero omittendas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & hæc obligatio, quæ ex lege naturæ venit, neceſſaria eſt atque immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Neceſſe adeo eſt ut illas committant, has vero omittant (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec fieri poteſt, ut ipſis permiſſum ſit illas omittere, has vero committere (§. 291. *Ontol.*). Quamobrem cum facultas agendi & non agendi moralis jus ſit (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nemo hominum jus habet ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet.

Nimirum jus ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet, tollit omnem obligationem & cum ea conſiſtere nequit. Nec cum eodem conſiſtit lex naturæ. Referendum adeo inter ea, quæ eſſe minime poſſunt, adeoque contradictionem involvunt (§. 79 *Ontol.*).

§. 149.

Jus fictum quodnam ſit,

Jus fictum eſt, quod ſumitur, cum eſſe nequeat.

Jus fictum eſt ſpecies entis ficti, quod definivimus in philoſophia prima (§. 140. *Ontol.*), ad cujus imitationem definitio iſtius facta. Nimirum ſumitur quaſi detur iſtiuſmodi jus, cum tamen impoſſibile ſit, ut detur.

§. 150.

Licentia quid ſit.

Licentia eſt jus ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet. Quoniam itaque nemo hominum habere poteſt jus ſine ulla reſtrictione faciendi quod libet (§. 148.), jus vero fictum eſt, quod dari ſumitur, cum eſſe nequeat (§. 149.); *licentia jus fictum eſt, nec ulli hominum competere poteſt.*

Fingunt licentiam athei, Deum eſſe negantes (§. 411. *p. 2. Theol. nat.*) & Deiſtæ ſomniantes quaſi Deus non curet res humanas (§. 429. *part. 2. Theol. nat.*). ubi honeſtatem & turpitudinem actionum humanarum intrinſecam minime agnoſcunt. Et libertatem in licentiam vertere dicuntur, qui ſomniant, vi illius hominem ſine ulla reſtrictione facere poſſe quod libet, quaſi ab omni obligatione ſolutus ſit, qui liber eſt.

§. 151.

An Deus licentiam cuidam dare poſſit.

Deus licentiam vivendi nemini dare poteſt. Etenim Deus velle nequit, ut homo ſuo vivat arbitratu (§. 281. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut ſine ulla reſtrictione faciat quod libet. Quamobrem nec ulli hominum dare poteſt jus faciendi ſine ulla reſtrictione, quod libet (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero jus faciendi ſine ulla reſtrictione, quod libet, licentia eſt (§. 150.). Deus igitur nemini hominum dare poteſt licentiam vivendi.

Qui cum *Carneade* ſentiant, quaſi homines utilitati ſibi ſanxerint jura; iis natura licentiam competere ſomniant. Et niſi fuerint athei affirmare tenentur, Deum licentiam vivendi induſiſſe hominibus. Immo non procul ab hac ſententia abſunt, qui honeſtatem ac turpitudinem intrinſecam actionum tollunt: concedere enim tandem coguntur, Deum homini licentiam vivendi concedere potuiſſe, ſiquidem voluiſſet. Sed hoc diſertius urgere nolo, ne moleſtis conſequentiis onerare velle videar illorum opinionem, qui jus naturæ omne a voluntate Dei unice derivant.

§. 152.

Digitized by Google

§. 152.

Independentia actionum hominis liberi a voluntate alterius.

Qui liber eſt, ejus actiones independentes ſunt a voluntate alterius & contra. Etenim qui liber eſt, in eum, conſequenter actiones ipſius, alteri nullum jus competit (§. 134. 135.), conſequenter easdem ad voluntatem alterius componere minime tenetur (§. 137.). Quoniam itaque ratio actionum, quas committit, vel omittit, non datur in voluntate alterius (§. 56. *Ontol.*); actiones ejus a voluntate alterius independentes ſunt (§. 851. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Quodſi actiones tuæ a voluntate alterius independentes ſunt, in hac non datur ratio, cur eas committere vel omittere debeas (§. 851. *Ontol.*), adeoque cur eas committere vel omittere debeas non intelligitur per hoc, quod alter velit (§. 56. *Ontol.*). Non igitur actiones tuas ad voluntatem alterius componere obligaris (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter alter in eas jus minime habet (§. 137.), atque adeo liber es (§. 134. 135.). *Quod erat alterum.*

§. 153.

Libertatis definitio alia.

Hinc *Libertas* definiri poteſt, quod ſit independentia hominis ſeu actionum ipſius a voluntate alterius hominis cujuſcunque. Ut adeo *homo liber non dependeat in agendo ab ullo alio homine niſi a ſeipſo.*

Hinc clarius patet, quomodo libertas conſiſtere poſſit cum obligatione, quæ a lege eſt; facere enim poteſt, qui liber eſt, quod libet, reſpectu hominum aliorum, ita ut nemini ſit jus impediendi, quod facere libet, modo non violet jus alterius: quod lege prohibitum eſſe conſtat (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Et huc imprimis reſpicit *Florentinus*, quando in definitione libertatis addit, *niſi ſi quid jure prohibetur* (*not.* §. 135). Etſi actiones tuæ non dependeant a voluntate ullius hominis alterius, hoc tamen minime obſtat, quo minus voluntas tua, a qua dependent, legi adſtricta ſit, ne libertas in licentiam vertatur (§. 150.). Atque hæc ipſa notio communis libertatis eſt, quæ hominum animis inhæret. Quoties enim quis ſibi jus quoddam arrogat in actiones alterius, extemplo reſpondet, quod ſibi imperare non ſit ipſius, ſed quod ſibi liceat facere, quod libet. Ad libertatem adeo provocans allegat independentiam ſuam in agendo a voluntate alterius.

§. 154.

Naturalis libertas quænam ſit.

Libertas naturalis dicitur, quæ homini natura competit.

Videbimus ſuo loco dari etiam libertatem civilem, quæ naturali, de qua hic nobis ſermo eſt, opponitur, quemadmodum ſtatus naturalis opponitur civili. Sed civilem intelligere non datur, antequam notionem civitatis explicavimus.

§. 155.

Qualis ſit libertas in ſtatu originario.

Libertas in ſtatu originario naturalis eſt. Etenim libertas, quæ in ſtatu originario homini eſt (§. 144.), natura ei competit (§. 145. 146.). Sed libertas, quæ homini natura competit, naturalis eſt (§. 154.). Libertas itaque in ſtatu originario naturalis eſt.

Quicquid igitur hactenus de jure libertatis demonſtravimus, id intelligendum non eſt niſi de libertate naturali. Hanc vero inſpicere tenemur, ut, quid ſibi velit civilis, & quantum valeat poteſtas aliena, cui quis ſubjicitur, recte intelligatur. Quemadmodum enim ſtatus civilis ex naturali derivatur, ita etiam libertas civilis a naturali. Et poteſtas omnis, cui quis ſubjicitur, tantundem valet, quantum libertas naturalis vi legis naturalis quoad exercitium limitari vel reſtringi poteſt.

§. 156.

§. 156.

Quouſque permittendum, ut quis ſuum in determinandis actionibus ſequatur judicium.

Vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil facit. Etenim ponamus alterum in determinanda actione ſua ſequi potius debere tuum, quam ſuum judicium. Facere igitur tenetur, quod tu vis. Quoniam igitur per voluntatem tuam intelligitur, cur hoc facere debeat; ratio actionis ab ipſo committendæ vel omittendæ continetur in voluntate tua (§. 56. *Ontol.*), adeoque actio ipſa dependet ab eadem (§. 851. *Ontol.*). Enimvero qui in agendo dependet ab alio, non a ſe ipſo, liber non eſt (§. 153.). Vi adeo libertatis naturalis permittendum, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium. *Quod erat primum.*

Enimvero nemo hominum habet jus impediendi alterum, quo minus jure ſuo naturali utatur (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum contra jus alterius ſit, quo ejus uſus quomodocunque impediatur vel jus ipſum tollatur, aut diminuatur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nemo ferre obligatur, ut alter contra jus ſuum quid faciat, quin tu potius obligaris, ne quid facias. Quoniam itaque qui liber eſt, facere tantummodo poteſt, quod ſalva obligatione ſua facere libet (§. 138.); vi libertatis naturalis non permittendum, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quoties contra jus tuum quid fit, conſequenter vi ejuſdem tantummodo permittendum, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil fit. *Quod erat alterum.*

Nimirum quando quid facit alter contra jus tuum, jure hoc facere prohibetur, adeoque ſi hoc agat, non tuetur ipſum jus libertatis, quippe cum hæc actio eodem exemta ſit. Propoſitio autem præſens probe notanda eſt, cum uſum habeat in demonſtrandis aliis, quæ magni momenti ſunt.

§. 157.

Quando actionis dijudicatio alterius conſcientiæ relinquenda.

Quoniam conſcientiæ eſt judicare de actionibus, utrum committendæ ſint, an omittendæ (§. 417. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Qui liber eſt, ejus conſcientiæ relinquendum, quid agat, ſeu utrum actionem quandam committere, an omittere velit* (§. 156.).

Qui contra faciunt, jus ſibi in conſcientiam alterius arrogant, quale ipſis minime competit in ſtatu libertatis. Etenim ſi ponas tibi hoc jus competere, quod rectius noveris, quid fieri debeat; alteri non permittis, ut ſuum in agendo ſequatur judicium: id quod libertati repugnat (§. 156.).

§. 158.

Quando quis actionum ſuarum rationem nulli reddere tenetur.

Similiter quoniam vi libertatis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil facit (§. 156.); *Qui liber eſt nulli hominum rationem reddere tenetur actionum ſuarum*, conſequenter *nulli competit jus hoc exigendi, quamdiu ſcilicet nihil fit contra jus tuum.*

Nihil igitur ad te in ſtatu libertatis, utrum recte agat alter, nec ne, modo non faciat, quod tibi nocet.

§. 159.

An libertas obligationem tollat.

Libertas non tollit obligationem naturalem. Etenim obligatio naturalis neceſſaria & immutabilis eſt (§. 141. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nihil

hil eſt, quod eam tollere poſſit (§. 279. 291. *Ontol.*), conſequenter nec libertas eandem tollere poteſt.

Idem clarius oſtenditur per indirectum. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, libertatem tollere obligationem. Quodſi obligatio tollitur, mutabilis eſt (§. 290. *Ontol.*), neque neceſſaria (§. 279. *Ontol.*). Quod cum ſit abſurdum (§. 141. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); libertas obligationem naturalem tollere nequit.

Hinc vides, cur in anterioribus, quoties de jure in actiones ſuas ſermo eſt, ſemper ſuppoſuerimus, voluntatem non eſſe debere contrariam obligationi, dum liber facit, quod libet. Unde qui libertatem contra obligationem naturalem extendunt, eam in licentiam vertunt (§. 150.). Et ipſa præſens propoſitio oſtendit, cur eum licentia non ſit confundenda libertas. Liber quis eſt non reſpectu legis naturalis, cui unuſquiſque actiones ſuas conformare debet, ſed reſpectu aliorum hominum, quibus actionum ſuarum rationem reddere minime tenetur, ſive recte agat, ſive non.

§. 160.

An tollat jus alterius. Quoniam *libertas non tollit* obligationem naturalem (§. 159.), nec tollit eam, qua teneris alteri, conſequenter nec *Jus alterius* (§. 180. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter *qui liber eſt, ei permiſſum non eſt, ut quid faciat contra jus alterius.*

Quoniam obligatio non deſinit eſſe naturalis, quia contracta eſt, modo lege naturali non repugnante fuerit contracta: ita nec jus eidem reſpondens naturale eſſe deſinit, quod ſit acquiſitum, immo nec ullum jus acquiſitum aliud, quod lege naturæ conſentiente acquiſitum. Probe hæc notanda ſunt, ne, quæ hic de libertate demonſtrantur, arctioribus limitibus conſtringantur, quam par eſt. Ex præſente autem propoſitione intelligitur, cur liber nil facere poſſit contra jus alterius. Quoniam adeo in ſtatu libertatis ſalva eſt omnis obligatio, ſalvum eſt jus omne inde originem ſuam trahens (§. 23.); *Cicero* dixit, legum ſervitutem eſſe ingenuorum hominum libertatem.

§. 161.

Ingenuus quinam ſit. *Ingenuus* eſt, qui liber naſcitur, ſeu qui ſtatim, ut natus eſt, liber eſt.

Hoc nomine in Jure Romano appellantur §. 1. *Inſtit. de ingenuis*, qui naſcendi ſorti libertatem debent. Patebit enim ſuo loco, ſervitute perſonali introducta, alio adhuc modo libertatem acquiri poſſe.

§. 162.

Quinam ſint in ſtatu originario. *In ſtatu originario homines omnes ingenui ſunt.* Etenim in ſtatu originario homo omnis liber eſt (§. 144.) & quidem natura (§. 146.), conſequenter ſtatim ut natus eſt. Enimvero qui ſtatim, ut natus eſt, liber eſt, is ingenuus eſt (§. 161.). Ergo in ſtatu originario homines omnes ingenui ſunt.

Libertati naſcendi ſorti tribuendæ non repugnare poteſtatem patriam, ſuo demonſtrabitur loco.

§. 163.

An in eodem detur hominum libertorum differentia. *In ſtatu originario inter homines liberos nulla datur differentia.* Omnes enim ſunt ingenui (§. 162.), adeoque ſtatim, ut nati ſunt, liberi (§. 161.), conſequenter non demum ullus eorum facto quodam humano interveniente libertatis particeps factus eſt. Inter homines adeo liberos in ſtatu originario nulla datur differentia.

Non

Digitized by Google

Non tamen differentiis eorum ; quæ in Jure Romano occurrit, tota juris poſitivi eſt. Quemadmodum enim in ſtatu quoque naturali introduci poſſunt dominia, quæ reguntur non-niſi lege naturali; ita nec repugnat, ut introducatur ſervitus, quæ eadem lege regitur, & ut ſervi ex ſervitute in libertatem reſtituantur. Qui vero eandem ſic recuperarunt, ipſa etiam naturæ lege quoad jura & obligationes ab hominibus, qui nunquam in ſervitute fuerunt, aliquo modo differunt.

§. 164.

Licentia cum lege naturæ pugna.

Si licentia datur, lex nulla eſt, neque lex naturæ ulla. Etenim ſi licentia datur, homo ſine ulla reſtrictione facere poteſt, quod libet (§. 150.), conſequenter neceſſe non eſt, ut hoc potius modo actiones ſuas determinet, quam alio. Nulla igitur datur obligatio actiones haſce committendi, alias vero omittendi (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam lex ad agendum hominem obligat (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi datur licentia, lex nulla datur, conſequenter nulla quoque naturæ lex eſt.

Statum licentiæ fingunt Epicurei, qui negant intrinſecam actionum honeſtatem & turpitudinem, atque obligationem divinam ad alias actiones committendas, alias varo omittendas (§. 717. *part.* 2. *Theol. nat.*), ſibi licere ſomniantes, ut actiones ſuas ex ſuo arbitratu determinent, niſi quatenus lege civili prohibentur (§. 718. *p.* 2. *Theol. nat.*). Statum quoque licentiæ fingunt in Academiis juvenes, quem honorifico libertatis academicæ titulo ornant. Intereſt itaque, ne licentia cum libertate confundatur. Ceterum ex propoſitione præſente liquet, cur alibi *Licentiam vivendi* definiverimus per determinationem actionum ad libitum, ſeu prouti libet, nulla prorſus habita legis naturalis & divinæ ratione (§. 560. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*), magis reſpicientes ad factum, quod dari contra experientiam negari haud quaquam poteſt, quam ad jus, quale fingitur, cum non ſit (§. 150.). Quoniam vero hic de jure quæſtio eſt, nimirum num cuidam jus eſſe poſſit actiones ſuas ſimpliciter, prouti libet, determinandi; ipſum quoque jus, quod fingitur, nomine aliquo inſignire debuimus, quod adeo Licentiam ſimpliciter appellavimus.

§. 165.

Exlex quinam ſit.

Exlex dicitur, qui nulla lege tenetur. Quamobrem cum licentia poſita legi nullus locus ſit (§. 164.); *cui licentia competit, is exlex eſt, & ſi quis exlex prorſus eſt, ei licentia competit.*

Exlex ſubinde quis dicitur cum reſtrictione ad certas tantummodo leges: quod licentiam minime infert. In hoc igitur caſu propoſitio non poteſt converti. Sed ab hac inconſtantia loquendi in Jure naturali abſtinendum.

§. 166.

An homo ullus ſit exlex.

Nemo hominum exlex eſt. Etenim nulli hominum licentia competere poteſt (§. 150.), nec Deus licentiam ulli dare poteſt (§. 151.). Quamobrem cum exlex eſſe nequeat, cui licentia non competit (§. 165.); nemo hominum exlex eſt.

§. 167.

Cur id repugnet eſſentiæ ac naturæ hominis.

Eſſe exlegem repugnat eſſentiæ atque naturæ hominis. Etenim poſita hominis eſſentia atque natura ponitur lex naturæ (§. 136. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & obligatio, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem fieri nequit, ut ullus hominum ab hac obligatione liberetur (§. 279. 291. *Ontol.*) & ipſi liceat actiones ſuas aliter, quam juxta legem naturæ determinare (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque exlex non eſt, qui lege tenetur (§. 165.); eſſe exlegem eſſentiæ atque naturæ hominis omnino repugnat.

Sunt qui ſumunt, non convenire homini, ut vivat ſine lege, conſequenter eſſe ex legem, atque hinc inferunt, ipſum habere debere ſuperiorem; adeoque dari ſuperiorem. Sed nec recte ſumunt, quod probari debet; nec ex eo, quod ſumunt, recte inſerunt, quæ hinc colligunt, quemadmodum ſatis intelligunt, qui juris naturæ originem perſpectam habent.

§. 168.

An homo liber ſit exlex. *Qui liber eſt, exlex non eſt*. Libertas enim non tollit obligationem naturalem (§. 159.), conſequenter nec legem (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui adeo liber eſt, lege adhuc tenetur. Quamobrem cum exlex non ſit, qui lege tenetur (§. 165.); nec qui liber eſt, exlex eſt.

Eſſe liberum convenit naturæ humanæ (§. 146.), ſed eſſe exlegem eidem repugnat (§. 167.). Horum igitur unum minime ponitur, poſito altero, quin potius poſito priori ſimul tollitur poſterius. Nimirum poſita eſſentia atque natura humana ponitur libertas, tollitur autem independentia actionum a lege naturali.

CAPUT II.

De Officiis Hominis erga ſeipſum & cum iis connexis Juribus.

§. 169.

Officiorum erga ſeipſum ſpecies. HOminem conſtare ex anima & corpore, atque rebus aliis aliorumque hominum auxilio indigere, obvia experientia conſtat. Quamobrem cum officia erga ſeipſum ſint, quæ homo ſibimetipſi debet (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officia hominis erga ſeipſum vel reſpiciunt animam, vel corpus, vel ſtatum externum, ad quem ſpectant res, quibus indiget, & auxilium hominum aliorum, quo opus habet. Unde officia hominis erga ſeipſum vel pertinent ad animam, vel ad corpus, vel ad ſtatum externum. *Officium* adeo *erga animam* eſt, quod homo ſibimetipſi debet quoad animam; *officium erga corpus*, quod ſibimetipſi debet quoad corpus; *officium reſpectu ſtatus externi*, quod ſibimetipſi debet quoad ſtatum externum.

Non inventa ſunt nomina ſpecialia, quibus hæc officia a ſe invicem diſtingui poſſint, nec fert linguæ latinæ genus, ut per compoſitionem formentur, quemadmodum vernacula, in qua commode officia arga animam dici poſſunt Seelen-Pflichten / officia erga corpus Leibes-Pflichten / officia reſpectu ſtatus externi Zuſtands-Pflichten. Lingua enim Germanica ad philoſophandum magis commoda non modo quam Latina, verum etiam quam aliæ Europææ. Præterquam quod vocabula compoſita admodum apte conduntur, ſimplicium quoque tantus apparatus eſt, ut, quæ propter affinitatem facile confunduntur, & vulgo confundi ſolent, non repugnante uſu loquendi ſuis peculiaribus nominibus diſtinguantur, quemadmodum determinatis differunt notionibus. Dantur etiam phraſes, quibus determinatas notiones exprimere licet, ut nihil peregrini, quod ex accidente ſupervenit, connotent. Ipſæ adeo diſtinctiones metaphyſicæ Scholaſticorum ſalva puritate Linguæ noſtræ Germanice redduntur. Fidem oculatam dedimus in Metaphyſica Germanica aliiſque philoſophiæ partibus, veluti in philoſophia morali, ubi diſtinctiones conſcientiæ, quas dederunt Scholaſtici, quorum nomina retinuimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis capite quinto, vocabulis Germanicis illæſa Linguæ puritate expreſſimus.

§. 170.

Neceſſitas conjunctionis omnium. *Officia erga animam & corpus atque quoad ſtatum externum ab unoquoque homine ſunt conjungenda*. Lex naturalis nos obligat ad committendas actiones, quæ

quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligatio naturalis ſit, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), obligatio autem naturalis ſit neceſſaria & immutabilis (§. 130. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); fieri non poteſt, ut quis tantummodo rationem habeat animæ, non vero corporis, aut animæ & corporis, non vero ſtatus externi, vel contra, ſed non minus facere tenetur, quæ ad perfectionem animæ ac corporis, quam quæ ad perfectionem ſtatus externi tendunt. Quoniam itaque officia ſunt actiones juxta legem naturalem præceptivam & prohibitivam determinatæ (§. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); officia erga animam & corpus atque quoad ſtatum externum ab unoquoque hominum ſunt conjungenda.

Non opus eſſet hoc demum demonſtrari, niſi quotidie tantum non ab omnibus in eo peccaretur. Urgetur a Chriſto integræ legis cuſtodia: quidni ergo & nos recte feciſſe dicendi ſumus, quod idem quoad officia erga ſeipſum inculcemus, cum contraria plerorumque animos occupaverit opinio?

§. 171.

Quinam hic in re peccent.

Quoniam officia erga animam ac corpus & quoad ſtatum externum conjungenda ſunt (§. 170.); *qui cum neglectu officiorum ceterorum uni ſatisfacere ſtudent, peccant* (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Non* igitur *cura habenda animæ cum neglectu corporis ac ſtatus externi, nec corporis cum animæ ac ſtatus externi neglectu, nec denique ſtatus externi cum neglectu animæ ac corporis.*

Nihil frequentius, quam ut homines uni officiorum erga ſeipſum ſtudeant cum neglectu ceterorum. Hinc videas alios curam gerere animæ, cui perficiendæ ſtudent, corpus vero negligunt, nec ſtatus ſui externi ullam rationem habent. Videas vero alios, qui corpori ſoli omnem curam impendunt, de anima ſtatuque externo parum ſolliciti. Videas denique haud paucos, quibus ſolus ſtatus externus curæ cordique eſt, de iis, quæ ad animam vel corpus ſpectant, parum cogitantibus. Fieri etiam poteſt, ut quis de duobus tantummodo officiis cogitet, tertium vero inſuper habeat. Cumque officia unius generis plura ſint, horum quoque alia curare, alia negligere poteſt, qui contra omnium conjunctionem peccat.

§. 172.

Quemnam uſum facultatum facere teneamur.

Omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur. Etenim lex naturæ nos obligat, ut actiones noſtras juxta eandem determinemus (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & ut actiones juxta eam determinatæ ſint rectæ (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter neceſſe eſt ut nullus in aliqua actione notetur defectus rectitudinis, qui evitari poteſt (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum hoc fiat, ubi ab omni culpa liberi fuerimus (§. 696. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); hoc fieri autem minime poſſit, niſi omnem faciamus facultatum noſtrarum uſum, quem in ſervanda lege naturæ habere poſſunt, & ut facere poſſimus omnem demus operam (§. 642. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); omnem facultatum noſtrarum uſum facere tenemur, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur.

Pauci ad hanc obligationem animum advertunt, multo minus ejus vim capiunt, etſi Chriſtus *Luc.* X. 27. eam urgeat, dum Deum diligi jubet ex toto corde, tota anima, omnibus viribus & omni mente. Hinc videas, quam parum ſint ſolliciti de uſu facultatum ſuarum in actionibus legi naturali conformandis. Quoniam facultatum animæ uſus ex Pſychologia addiſcendus, quam neceſſaria ſit Pſychologiæ cognitio, ſiquidem obligationi huic ſatisfacere velis, patet.

§. 173.

Quinam uſus fieri debeat facultatum ad officia erga ſeipſum praſtanda.

Quoniam lex naturæ præcipit, ut nos, adeoque animam & corpus noſtrum, ſtatumque noſtrum perficiamus (§. 167. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), prohibet vero, ne animam corpuſque noſtrum atque ſtatum noſtrum imperfectiorem reddamus (§. 168. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), omnem autem facere tenemur uſum facultatum noſtrarum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.); *omnem* omnino *facere tenemur uſum facultatum noſtrarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur.*

Probe hoc notari velim, ne videamur obligationem hominis quoad officia erga ſeipſum in nimium extendiſſe: tum etiam ne ignoremus, quæ ad ea explenda requiruntur, ne in iis aliqua nobis tribui poſſit culpa. Quomodo autem uſum iſtum conſequamur, ne quid in adimplendis officiis noſtris deſiderari in nobis patiamur; in Philoſophia morali docebimus. Theoria enim hujus loci eſt: praxis ad philoſophiam moralem pertinet.

§. 174.

Non uſus facultatum in ſervanda L. N. prohibitus.

Quia uſus *facultatum noſtrarum in ſervanda lege naturæ* præceptus (§. 172.); *non uſum probibitum eſſe patet* (§. 734. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 28. *Ontol.*): quæ cum privativa ſit actio (§. 24. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *non uſus facultatum noſtrarum in ſervanda lege naturæ peccatum eſt* (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Peccatum hoc ex eorum numero eſt, quæ vulgo non ignoſcuntur. Tanto igitur majorem attentionem meretur.

§. 175.

Quænam in poteſtate noſtra ſint.

In poteſtate noſtra eſſe dicuntur, quæ facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio conſequi, vel evitare poſſumus. In eadem vero *non eſſe* dicitur, quod facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio conſequi vel evitare minime valemus.

Maximi momenti eſt, in omni Philoſophia practica ea, quæ in poteſtate noſtra ſunt, diſtingui ab iis, quæ in eadem non ſunt. Stoici totam praxin moralem ex hac differentia derivarunt, quemadmodum videre eſt ex *Epicteti* Enchiridio. Quamvis vero imperfecta ſit, quæ hinc deducitur; regulæ tamen, quæ dantur, optimæ ſunt & ſcopo, qui intenditur, ſatisfaciunt.

§. 176.

Num obligemur ad ea, quæ in poteſtate noſtra non ſunt.

Nemo obligatur ad ea conſequenda, vel vitanda, quæ in poteſtate ſua non ſunt. Quæ enim in poteſtate alicujus non ſunt, ea facultatum, virium ac rerum ſuarum uſu, aliorumque ope ac auxilio conſequi, vel vitare minime valet (§. 175.). Quicquid igitur agat, impoſſibile eſt, ut ea conſequatur, vel vitet. Sed nemo obligatur ad impoſſibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo nemo obligatur ad ea conſequenda, vel vitanda, quæ in poteſtate ſua non ſunt.

Principium hoc utiliſſimum in multis cum theoriæ, tum praxeos capitibus. Cavendum tamen; ne in abuſum trahatur in præjudicium vel veritatis, vel vitæ.

Digitized by Google

§. 177.

Quinam ad plura præſtanda obligetur.

Si cui amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus, & auxilium alienum majus; is ad plura præſtanda obligatur, quam alter. Cui enim amplior eſt facultatum, virium ae rerum uſus, & auxilium alienum majus, is plura præſtare poteſt, quam alter: quod per ſe patet. Enimvero quilibet obligatur omnem facere facultatum ſuarum uſum, conſequenter etiam uti auxilio alieno, quod præſto eſt, ſi quidem legem naturæ ſervare velit (§. 172.). Quare cui amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus & auxilium alienum majus, is ad plura præſtanda obligatur.

Conſonum hoc eſt doctrinæ Chriſti, optimi juris naturalis interpretis, qui diſerte *Luc.* XII. 48. Omni, inquit, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Cui enim multum datum eſt, ei amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus & auxilium alienum majus. Quod vero ibidem loquatur de obligatione, qua is tenetur, ex contextu liquet.

§. 178.

Cujuſnam major ſit obligatio.

Quoniam is ad plura præſtanda obligatur, quam alter, cui amplior eſt facultatum, virium ae rerum uſus alienumque auxilium majus (§. 177.), major vero obligatio eſt, quæ ad plura extenditur (§. 91.); *cui amplior facultatum, virium ac rerum uſus eſt, alienumque auxilium majus, ejus major eſt obligatio, quam alterius.*

§. 179.

Idem ulterius expenditur.

Quamobrem cum plura in ejus poteſtate ſint, cui amplior facultatum, virium ac rerum uſus eſt alienumque auxilium majus (§. 175.); *cui plura in poteſtate ſunt, ejus major eſt obligatio.*

Non eſt, quod objicias, hoc repugnare ei, quod ſupra demonſtravimus, quod natura nemini hominum plus obligationis, quam alteri, nec major ſit unius obligatio, quam alterius (§. 92.). Neque enim omnis uſus facultatum & virium homini natura ineſt, ſed demum exercitio acquiritur, nec res alienumque auxilium homo natura habet. Cum igitur ibi ſermo ſit de obligatione connata (§. 34.), hic de contracta (§. 39.); pugna tantum apparens eſt, minime autem vera. Nimirum obligatio omnium connata eadem (§. 80.), & vi ejuſdem quilibet tenetur ad omnem facultatum & virium uſum conſequendum. Enimvero cum diſpoſitiones naturales, quas uſus facultatum acquirendus ſupponit, omnibus eædem non ſint, nec omnium eadem ſit occaſio eum acquirendi uſum, qui per illas acquiſitu poſſibilis: obligationes contractæ diverſæ evadunt (§. 18.). Atque harum quæ ſpecie eadem eſt, ſi tanquam connata ſpectetur, diverſi gradus obligationes producit, quatenus obligatio ad uſum facultatum, virium & alieni auxilii contracta eſt. Niſi hic confundere volueris, quæ diverſa ſunt, acumine opus eſt, quale etiam requiritur in aliis jurium & obligationum capitibus. Niſi jura & obligationes methodo demonſtrativa tradantur, vix fieri poteſt, ut in iis diſtinguendis ſatis ſimus acuti.

§. 180.

Quousque perfectioni noſtræ ſtudere debeamus.

Unuſquiſque operam dare debet, ut eam conſequatur animæ, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in poteſtate ipſius poſitum. Etenim unuſquiſque omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, qui ad perfectionem animæ, corporis atque ſtatus externi ſui requiritur (§. 173.), non tamen obligatur ad ea conſequenda, quæ in poteſtate ſua non habet (§. 176.). Operam igitur dare debet, ut eam conſequatur animæ, corporis ac ſtatus ſui externi perfectionem, quæ in poteſtate ipſius poſita.

Non definite licet a priori quousque in ſe ac ſtatu ſuo perficiendo progredi detur. Neque enim idem facultatum uſus conceditur omnibus, neque omnes experiuntur eundem fortunæ favo-

vorem. Quamobrem unuſquiſque facere debet, quod poteſt, ne quid in ejus diligentia deſiderari queat. Tendendum eſt ad ſummum, etſi ſubſiſtendum in eo gradu, ultra quem progredi nobis minime datur.

§. 181.

Opera in bonis acquirendis col-locanda.

Quilibet operam dare debet, ut ea conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ in poteſtate ipſius ſunt. Operam enim dare debet, ut eam conſequatur animæ, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in poteſtate ipſius poſitum (§. 180.). Sunt vero bona animi, quæ animam; bona corporis, quæ corpus; bona denique fortunæ, quæ ſtatum noſtrum externum perficiunt (§. 556. *Pſych. empir.*). Quilibet itaque operam dare debet, ut ea conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ in poteſtate ipſius ſunt.

Equidem *Epictetus* in Enchiridio c. 1. poteſtati noſtræ tantummodo ſubjicit liberas noſtras actiones, opinionem, appetitionem, averſationem, deſiderium; eidem vero ſubducit ea, quæ ipſi non agimus, omnia, corpus, pecuniam, gloriam, imperia, conſequenter ſi ipſum audias, in poteſtate noſtra tantummodo eſſe videntur bona animi, non vero bona corporis ac fortunæ: non tamen ſatis accurate hæc dicuntur. Etſi enim bona animi magis in poteſtate ſint, quam corporis ac fortunæ bona, nec tamen illa prorſus poteſtati noſtræ ſubeſſe, nec hæc eidem prorſus ſubduci quotidie experimur. Immo ſi mentem Philoſophi clarius inſpicias, a nobis non prorſus diſſentientem facile deprehendes, ſcilicet ex uſu facultatum noſtrarum potiſſimum æſtimanda eſſe, quæ ſunt in poteſtate noſtra. Interprete nimirum *Simplicio* ea in poteſtate noſtra eſſe dicit, quæ nec ab alio habemus, nec ab ullo alio impediri poſſunt.

§. 182.

Quibuſque ab imperfectione cavere nobis debeamus.

Cavendum unicuique eſt, ut omnem evitet animæ, corporis & ſtatus externi imperfectionem, quantum in poteſtate ſua eſt. Unuſquiſque enim omnem facere tenetur uſum facultatum ſuarum, qui ad arcendam imperfectionem animæ, corporis & ſtatus externi requiritur (§. 173.), ad ea tamen vitanda nemo obligatur, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 176.). Cavendum igitur unicuique eſt, ut omnem evitet animæ, corporis & ſtatus externi imperfectionem, quantum in poteſtate ſua eſt.

Quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 180.), mutatis mutandis huc quoque trahenda ſunt.

§. 183.

Opera in malis avertendis col-locanda.

Quilibet operam dare debet, ut ſibi caveat a malis animi, corporis ac fortunæ; quantum in poteſtate ſua eſt. Cavendum quippe unicuique eſt, ut omnem evitet animæ, corporis & ſtatus externi imperfectionem, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 182.). Sunt vero mala animi, quæ animam faciunt imperfectiorem; mala corporis, quæ corpus imperfectioni obnoxium reddunt; mala denique fortunæ, quæ ſtatum noſtrum externum imperfectiorem faciunt (§. 567. *Pſych. empir.*). Quilibet adeo operam dare debet, ut ſibi caveat a malis animi, corporis ac fortunæ, quantum in poteſtate ſua eſt.

Quæ obſtant, quominus conſequamur omnem perfectionem animæ, corporis atque ſtatus externi, quem intendimus & ad quam tanquam ad metam contendimus (*not.* §. 180.); ea quoque in cauſa ſunt, quo minus omnem imperfectionem evitemus, quam procul a nobis abeſſe mallemus. Obligamur ad omnem faciendum facultatum noſtrarum uſum, quem facere datur, conſequenter ad utendum alieno auxilio, quo potiri poſſumus; & dum hoc facimus, obligationi noſtræ ſatisfacimus. Quoniam tamen multæ dantur cauſæ impedientes effectum, qui ſperari poterat, a nobis minime tollendæ: voti noſtri ut ſemper compotes reddamur fieri nequit.

§. 184.

§. 184.

Si qua dantur ad perfectionem hominis ſtatuſque ejuſdem promovendam neceſſaria, quæ non in omnium poteſtate ſunt; ad ea conſequenda non obligantur niſi ii, quorum in poteſtate iſta ſunt. Quilibet enim operam dare debet, ut eam conſequatur animæ, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in poteſtate ipſius poſitum (§. 180.), nemo autem obligatur ad conſequenda ea, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 176.). Quamobrem ſi qua dantur ad perfectionem hominis ſtatuſque ejuſdem promovendam neceſſaria, quæ non in omnium poteſtate ſunt, ad ea conſequenda non obligantur omnes, ſed tantummodo illi, quorum in poteſtate ea ſunt, ſeu, quod perinde eſt, non obligantur niſi ii, quorum in poteſtate iſta ſunt.

Quænam obligationes non teneant ſingula humani generis individua.

Propoſitio hæc probe notanda venit, tum ne quæ de obligationibus hominis in genere ſpectati, non attenta differantia individuorum, demonſtrabuntur, intempeſtive facta applicatione ad ſingula individua, per inſtantias eodem minime ſpectantes abſurditatis arguantur, tum quia in ſequentibus hoc principio in aliis demonſtrandis habebimus opus.

§. 185.

Dantur adeo obligationes, quibus genus humanum tenetur, ſed non tenentur ſingula ejus individua, verum hi tantummodo hominum, qui iiſdem ſatisfacere valent (§. 184.),

Obligationum naturalium diſcrimen ſingulare.

Obligatio naturalis ponitur poſita hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 129 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum nullum corpus, adeoque nec ullum corpus humanum alteri ſimile ſit (§. 246. *Coſmol.*), neque ſimilis ſit anima ullius hominis animæ hominis alterius (§. 524. *Pſych. rat.*); dantur etiam differentiæ numericæ, quibus individuum unum differt ab altero (§. 239. *Ontol.*). Et quamvis ad eaſdem animum hactenus non attenderint philoſophi, differentiam numericam nonniſi in numero quærentes, quaſi duo individua ejuſdem ſpeciei tantummodo ſint idem ens bis poſitum, quemadmodum poſitis duabus unitatibus, quarum una ab altera non differt, conficitur binarius: experientia tamen abunde loquitur contrarium. Videmus equidem hominibus ſingulis eadem eſſe organa, ſi corpus ſpectes; eaſdem facultates, ſi ad animam reſpicias; non tamen eadem eſt eorundem organorum in ſingulis diſpoſitio, nec diſpoſitiones naturales facultatis cognoſcitivæ, nec inclinationes naturales appetitus & reclinationes naturales averſationis in ſingulis hominibus eædem ſunt. Etſi quæ eædem deprehenduntur, mirum quantum tamen gradibus differunt. Unde eſt, ut, etſi eorum, quæ extra nos ſunt, rationem nullam habeas, non tamen omnia omnium in poteſtate ſint. Quamobrem poſita eſſentia & natura hujus hominis non implicat poni obligationes, quæ poſita eſſentia & natura hominis alterius non ponuntur. Quoniam enim per eſſentiam atque naturam hominis intelligitur, cur in ipſum cadant hæ obligationes (§. 129. *part. 1. Phil. pract. univ. &* §. 56. *Ontol.*); quidni per ea, quæ eſſentiam atque naturam hominis in individuis quoad nonnulla diverſam faciunt, etiam intelligatur, diverſas eſſici obligationes ex hoc fonte manantes? Totus fallor, aut Chriſtus huc reſpexit, dum diverſitatem obligationis urſit (*not.* §. 177.). Quæ hactenus dicta ſunt, probe perpendi velim, ne quis per præcipitantiam a veritate aliena judicet, quæ cum eadem conſentiunt, propterea quod inaudita loqui videar. Exemplum do intellectu facillimum. Nemo diffitebitur totum humanum genus obligari ad ſpeciei ſuæ conſervationem ejuſque adeo propagationem. Nemo autem affirmaverit hac obligatione teneri ſingula individua, ita ut peccare dicendus ſit, qui eidem ſatisfacere minime ſtudet. Quamvis enim hic multum tribuendum ſit colliſioni obligationum; videbimus tamen ſuo loco hanc rem totam minime conficere.

§. 186.

Communes ſunt *obligationes*, quarum ratio ſufficiens in natura & eſſentia hominis continetur, quatenus ea omnium hominum communis eſt. *Propriæ* autem ſunt, quarum ratio ſufficiens non continetur niſi in eſſentia atque natura hominis, quatenus eidem inſunt determinationes, quibuſdam hominum individuis aut uni eorum propriæ.

Obligationum communium & propriarum differentia.

Que-

Digitized by Google

Quemadmodum differentia ſpecifica hominum atque brutorum non minus ad eſſentiam atque naturam hominum ſpectat, quam determinationes hominum atque brutorum communes; ita quoque determinationes, quibus quidam homines, vel homo unus a ceteris differt, non minus ad eſſentiam atque naturam quorundam hominum, vel unius hominis pertinet, quam determinationes omnium hominum communes ad eſſentiam atque naturam hominum omnium. Et ſicuti ex eſſentia & natura hominum & brutorum communi reſultat lex naturæ communis, ex eſſentia autem atque natura hominum propria, ſeu differentia ſpecifica eſſentiæ ac naturæ humanæ ab eſſentia & natura brutorum lex naturæ propria (§ 162. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ita quoque ex differentia eſſentiæ atque naturæ quorundam hominum ſeu hominis unius ab eſſentia & natura ceterorum reſultat lex naturæ quorundam hominum vel unius hominis propria, conſequenter obligatio propria. Niſi hoc verum eſſet, nec unus hominum ad plura obligaretur, quam alter: quam tamen obligationis diverſitatem urget ipſe Chriſtus (*not.* § 177.).

§. 187.

Quomodo obligatio propria oriatur. Quoniam obligatio propria rationem ſufficientem non continet niſi in eſſentia atque natura hominis, quatenus eidem inſunt determinationes quibusdam hominum aut uni eorum propriæ (§. 186.), poſita vero ratione ſufficiente ponitur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118. *Ontol.*); *poſita quorundam hominum vel unius eſſentia atque natura, ponitur obligatio propria*, conſequenter cum leges particulares ſint, quæ quoſdam tantum homines, vel unum ſaltem obligant (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *poſita quorundam hominum vel unius eſſentia atque natura, ponitur lex naturæ particularis.*

Nemo non admittit alia eſſe officia divitum, alia pauperum propter differentiam ſtatus externi. Quidni ergo & officia hominis variari debent propter differentiam determinationum intrinſecarum, quæ ad eſſentiam atque naturam ſpectant.

§. 188.

Quousque extendatur. Quoniam obligatio propria non ponitur, niſi poſita eſſentia atque natura quorundam hominum vel unius hominis (§. 187.); *obligatione propria tantummodo tenentur quidam homines, vel unus eorum tenetur*, conſequenter *& ad omnes promiſcue extendi nequit.*

Abſonum itaque eſt, ubi demonſtrantur iſtiuſmodi obligationes, eas inſtantiis infringere velle deſumtis ab iis, ad quos non ſpectant. Etenim num aliqua obligatio ad ſe pertineat, quilibet experiri poterit: tentanti enim conſtabit, utrum in poteſtate ſua poſitum ſit, ut eidem ſatisfaciat, nec ne. Quoniam enim differentiæ iſtæ nobis perſpectæ non ſunt, unde obligationes propriæ dependent; a priori non communde quis convincetur, quod ad eum aliqua illorum pertineat. Ne tamen ſtatim colligat eam ad ſe non pertinere, igitur exeutiendæ ſunt vires, ut experiatur quantum valeant.

§. 189.

Quomodo oriatur obligatio communis & quousque extendatur. Ex adverſo quoniam obligatio communis rationem ſufficientem in eſſentia atque natura hominum omnium communi habet (§. 186.); *poſita eſſentia atque natura hominum omnium communi, ponitur obligatio communis* (§. 118. *Ontol.*), conſequenter *obligatione communi tenentur homines omnes ſive abſolute, ſive ſub eadem conditione ſuperveniente*, prouti ſcilicet vel de obligatione abſoluta, vel hypothetica ſermo fuerit.

Non eſt, quod objicias, obligationes proprias etiam de homine prædicari ſub conditione illarum determinationum, quæ eſſentiæ atque naturæ ejuſdem propriæ ſunt; conſequenter non opus eſſe, ut propriæ a communibus diſtinguantur. Etenim in præſenti corollario ſupponitur conditio, quæ non minus in hoc homine, quam in alio quocunque locum habere poteſt, nec neceſſario eidem tantummodo convenit. Determinationes vero, quæ differentiam quoad eſſentiam & naturam quorundam, vel unius hominum conſtituunt, ceteris competere nequeunt, ſalva eorundem eſſentia atque natura.

§. 190.

§. 190.

Neceſſitas cognitionis perfectionis ac imperfectionis humanæ ac ſtatus ejus externi.

Homo cognoſcere tenetur perfectiones ac imperfectiones animæ, corporis & ſtatus externi humani. Obligatur enim ad animam, corpus ſtatumque ſuum externum perficiendum & ad imperfectionem vitandam (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut norit, quænam ſint animæ, corporis atque ſtatus externi perfectiones ac imperfectiones. Quoniam itaque ad ea facienda obligamur, quæ a nobis fieri neceſſe eſt (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); homo utique cognoſcere tenetur perfectiones ac imperfectiones animæ, corporis & ſtatus hominum externi.

Nemo non videt, ſermonem hic eſſe de theoria perfectionum & imperfectionum, quæ in animam, corpus & ſtatum hominum externum cadunt, cujus deinde applicatione ad ſeipſum intelligit, quarum perfectionum ipſemet capax ſit quoad animam atque corpus, & ad quamnam perfectionem perducendus ſit ſtatus ſuus externus, & quibuſnam imperfectionibus vel obnoxia jam ſit, vel fieri poſſit anima ipſius, quænam corpori ſtatuique externo accidere queant, & quibuſnam tam corpus, quam ſtatus externus actu laboret. Non confundenda eſt cognitio generalis cum ſingulari, ne in ſubſecuturis demonſtrationibus male ratiocineris.

§. 191.

Quinam uſus facultatum noſtrarum cognoſci debeat.

Homo cognoſcere tenetur uſum facultatum humanarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum externum atque inde arcendum imperfectionem requiritur. Omnem enim facere tenetur uſum facultatum ſuarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum externum atque inde arcendam imperfectionem requiritur (§. 173.). Neceſſe igitur eſt, ut norit, quinam facultatum humanarum uſus fieri poſſit in anima, corpore & ſtatu externo perficiendis atque inde imperfectionibus arcendis. Quare cum ad hoc faciendum obligemur, quod a nobis fieri neceſſe eſt (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quin homo cognoſcere teneatur uſum facultatum humanarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum externum atque inde arcendam imperfectionem requiritur, dubitandum non eſt.

Loquimur & hic de theoria uſus facultatum humanarum in promovendis perfectionibus animæ, corporis ac ſtatus externi, & arcendis imperfectionibus, ut adeo, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque mutandis mutatis trahenda ſint. Per ſe autem patere puto, quando hic de neceſſitate ſermo eſt, non intelligi niſi neceſſitatem moralem, minime autem phyſicam, cum id, de quo loquimur, aliam neceſſitatem non admittat: id quod & in ſequentibus tenendum. Etenim præter neceſſitatem ad ambages delaberemur, ſi, quoties de neceſſitate morali ſermo eſt, demonſtrare vellemus, non aliam niſi moralem neceſſitatem hic poſſe intelligi.

§. 192.

Obligatio ſeipſum cognoſcendi.

Homo ſeipſum cognoſcere tenetur, qua animam, corpus & ſtatum externum. Omnem enim facere tenetur uſum facultatum ſuarum, qui ad perficiendum animam, corpus atque ſtatum externum & ad arcendam inde imperfectionem requiritur (§. 173.). Neceſſe igitur eſt, ut norit, quænam ſint facultates animæ, quænam corporis vires, & quinam tam illarum, quam harum uſus ad perfectionem iſtam promovendam, imperfectionem vero arcendam, quænam perfectio adhuc ſibi deſit, & quanam imperfectione adhuc laboret, ſive ipſe qua animam & corpus, ſive ſtatus ſuus externus, immo & in quam imperfectionem ſe ſtatumque ſuum præcipitem dare poſſit. Quoniam itaque homo ex anima atque corpore conſtat ſtatuſque externus ad ipſum pertinet; neceſſe omnino eſt, ut ſeipſum cognoſcat qua animam, corpus & ſtatum externum,

conſequenter ſeipſum qua animam, corpus & ſtatum externum cognoſcere tenetur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Pervulgatum eſt præceptum: *Noſce teipſum*. Non tamen id cum propoſitione prorſus coincidit, ſive mentem ejus, ſive finem, ob quem commendatur, ſpectes. Nimirum ſi quis ex aliis perſtringendis voluptatem capit, qui vel eandem cenſuram meretur, vel aliis obnoxius eſt, quæ reprehenſionem incurrunt; eum ſeipſum noſcere jubemus eo fine, ut in ruborem detur ſuamque agnoſcat in cenſendis aliis temeritatem. Senſus igitur hujus præcepti multo reſtrictior eſt quam propoſitionis præſentis, & alius prorſus ejuſdem uſus, quam qui hic expetitur. Nos enim commendamus cognitionem ſui ipſius eo fine, ut officiis erga noſmetipſos, quantum in poteſtate noſtra eſt, ſatisfaciamus & ex aſſe ſatisfacere ſtudeamus. Hunc conſecuturis multo ampliori & accuratiori ſui ipſius cognitione opus eſt, quam quæ ſufficit ad redarguendam temeritatem in cenſendis aliis. Præterea probe notandum eſt propoſitionem præſentem urgere obligationem quandam naturalem eamque univerſalem (§ 11.), adeoque ad Jus naturæ ſpectare (§. 1.), cum pervulgatum iſtud præceptum magis pertineat ad philoſophiam moralem, utpote præſcribens remedium adverſus temerarias aliorum reprehenſiones & culpationes.

§. 193.

Obligatio cognoſcendi alios. *Homo obligatur cognoſcere perfectiones & imperfectiones animæ ac corporis ſtatuſque externi aliorum & uſum, quem faciunt, facultatum in illis promovendis, his vero arcendis, itemque non uſum & abuſum, quo illarum jacturam faciunt, in haſce vero incidunt.* Obligatur enim cognoſcere ſeipſum quoad animam & corpus ſtatumque ſuum externum (§. 192.), & tenetur cognoſcere perfectionem corporis & animæ ſtatuſque ſui externi (§. 190.), una cum uſu facultatum humanarum, qui ad perficiendum animam, corpus atque ſtatum externum requiritur (§. 191.). Enimvero nemo eſt qui neſciat, dum videmus perfectiones & imperfectiones aliorum & uſum facultatum, quem faciunt in illis promovendis, his vero arcendis, itemque non uſum & abuſum earundem, quo illarum jacturam faciunt, hiſce vero obnoxii fiunt; nos non modo cognoſcere, quarum perfectionum homo ſit capax & quibus imperfectionibus laborare poſſit, & quinam fieri debeat facultatum uſus, ut iſtis potiamur, haſce vero evitemus, vel ab iiſdem liberemur; verum etiam quænam perfectiones nobis adhuc deſint, quibus imperfectionibus adhuc laboremus, & quonam adhuc careamus facultatum noſtrarum uſu, quinam nobis familiaris ſit non uſus & quemnam committamus abuſum. Quamobrem patet hominem obligari, ut cognoſcat perfectiones ac imperfectiones animæ ac corporis ſtatuſque externi aliorum & uſum, quem faciunt, facultatum ſuarum in illis promovendis, hiſce vero arcendis, itemque non uſum & abuſum, quo illarum jacturam faciunt, in haſce vero incidunt.

Quodſi tibi adhuc deſit quidpiam perfectionis, quodſi nondum conceſſus aliquis facultatum tuarum uſus, quodſi ignores, quomodo eum facere debeas in dato caſu; a poſteriori non aliunde hæc addiſcere datur, niſi quatenus animum advertis ad alios eorumque actiones, & attenta mente conſideres, quæ in iis obſervantur. Similiter ſi qua adhuc imperfectione labores, non rectius, nec facilius eam in teipſo animadvertes, quam ubi eandem obſervas in alio. Si quis tibi familiaris ſit facultatum non uſus, vel etiam abuſus, eum non rectius addiſces, quam ubi eundem in aliis notaveris. Obligatio adeo præſens cum obligatione teipſum cognoſcendi arctiſſimo vinculo cohæret. Non licet excipere, curandum tibi eſſe quod tuum eſt: aliena ad te non ſpectare. Neque enim niſi tui gratia de aliorum cognitione ſollicitus eſſe debes. Tua intenditur emendatio, dum inquiris, quantum alii profecerint, quanto adhuc intervallo a meta diſtent, ad quam omnes tendere debemus.

§. 194.

Obligatio cognoſcendi alios. *Homo alios quoque cognoſcere tenetur qua animam, corpus atque ſtatum illorum externum.* Etenim cognoſcere tenetur perfectiones ac imperfectiones animæ & cor-

corporis ſtatuſque externi aliorum & uſum, quem faciunt, facultatum ſuarum in illis promovendis, hiſce vero vitandis, itemque non uſum & abuſum, quo illarum jacturam faciunt, in has vero incidunt (§. 193.). Quoniam vero alios qua animam, corpus atque ſtatum externum cognoſcit, qui ea, quæ modo diximus, cognoſcit; homo alios quoque cognoſcere tenetur qua animam, corpus atque ſtatum illorum externum.

Equidem cum vulgo inculcatur præceptum: *noſce teipſum*, hoc ipſo prohibetur ne de aliis ſimus ſolliciti; aliud tamen obtinet in præſenti, ubi non minus præcipitur, *noſce alios*, quam *noſce teipſum*. Ratio patet ex diverſitate ſcopi, de qua paulo ante diximus (*not.* §. 192.). Atque hinc patet præcepti illius pervulgati ſenſum eſſe prorſus alium, quam fert propoſitio anterior, cognitionem ſui qua animam, corpus atque ſtatum noſtrum externum urgens.

§. 195.

Obligatio detegendi ad cognitionem hominis & ſtatus ejus ſpectantia.

Si in poteſtate tua fuerit de perfectione & imperfectione animæ, corporis atque ſtatus externi hominum, nec non de uſu facultatum humanarum in anima, corpore ac ſtatu externo perficiendo ac imperfectione vitanda detegere, quæ nondum nota ſunt; ad ea detegenda in uſum communem obligaris. Homo enim obligatur perfectionem & imperfectionem animæ, corporis & ſtatus externi (§. 192.) una cum uſu facultatum, qui ad illam promovendam, hanc vero vitandam requiritur, cognoſcere (§. 191.). Enimvero ſi qua dantur ad perfectionem hominum ſtatuſque externi eorundem promovendam, conſequenter & ad imperfectionem vitandam neceſſaria, quæ in omnium poteſtate non ſunt, ad ea conſequenda non obligantur niſi ii, quorum in poteſtate ſunt (§. 184.) & unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre obligatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet, & quæ is per ſe facere non poteſt (§. 222. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quare ſi in poteſtate tua fuerit de perfectione ac imperfectione animæ, corporis atque ſtatus externi hominum, nec non de uſu facultatum humanarum in anima, corpore ac ſtatu externo perficiendo & imperfectione vitanda detegere, quæ nondum nota ſunt; ad ea detegenda in uſum communem obligaris.

Videmus adeo ſtudendum eſſe cognitioni hominum non ſolum, ne tu tibi deſis; verum etiam ut proſis aliis. Quamobrem non modo peccat, qui in cognitione ſui ipſius ſe negligentem præſtat; verum etiam qui ſui tantum rationem habet, de aliis vero ſollicitus non eſt, immo invidia in alios ductus arcanam cognitionem aliis propalare non vult. Eorum propria eſt hæc obligatio, quibus excellentiores animi dotes conceſſæ, quarum vi præſtare poſſunt quod negatur aliis. Qui hoc faciunt, obligationi communi hominum ad mutua auxilia demum ſe ſatisfeciſſe intelligant (§. 221. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Elucet hinc providentia divina, qua cautum eſt, ut, cum omnes omnia non poſſint, dum quilibet facit, quod in poteſtate ſua eſt, in univerſum omnibus conſulatur. Atque hoc pacto totum humanum genus arctiſſimo vinculo colligatur, ut homo unus prodeſſe poſſit ceteris & unus indigeat alterius auxilio, quod quomodo ſibi comparare teneatur, docebimus inferius ſuo loco. Ceterum ex propoſitione præſente tanquam ſpecimine quodam intelligitur, quomodo intelligenda ſint, quæ non attenta differentia particulari vel numerica hominum brevitatis gratia de homine ſimpliciter demonſtrabuntur, ne in perverſum ſenſum trahantur.

§. 196.

Obligatio cognoſcendi ea, quæ in uſum cognitionis ſui ipſius ab aliis detecta,

Quæ ab aliis de perfectione & imperfectione animæ, corporis ac ſtatus externi hominum, nec non de uſu facultatum humanarum in anima, corpore ac ſtatu externo perficiendo & imperfectione vitanda detecta ſunt; ea tibi perſpecta reddere teneris. Homo enim ſeipſum cognoſcere tenetur qua animam, corpus & ſtatum externum (§. 182.), conſequenter ea, quæ ad perfectionem & imperfectionem animæ, corporis ac ſtatus externi ſui & ad uſum facultatum ſuarum in anima, corpore ac ſtatu externo perficiendo atque imperfectione vitanda requirun-

Digitized by Google

runtur. Quoniam adeo quæ ab aliis detecta ſunt cognoſcere valet, qui ea ipſemet detegere haud quaquam potuit, nec fruſtra obligari cenſendus eſt ad ea in uſum communem detegenda, qui hoc facere poteſt (§. 195.); quæ ab aliis de perfectione & imperfectione, animæ corporis ac ſtatus externi hominum, nec non de uſu facultatum humanarum in anima, corpore ac ſtatu perficiendo & imperfectione vitanda detecta ſunt, ea tibi utique perſpecta reddere teneris.

Nihil hic difficultatis eſt, modo vim obligationis cognitionis tui ipſius rite perceperis. Nimirum non eſt, quod dubites, te obligari ad omnem cognitionem acquiſitu poſſibilem acquirendam. Cum igitur tibi acquirere poſſis cognitionem eorum, quæ ab aliis detecta ſunt, quamvis eadem per te detegere non potuiſſes; nec dubium ſupereſſe poteſt ullum, quin ad ea cognoſcenda, quæ in uſum tuum ab aliis detecta ſunt, obligeris.

§. 197.

Obligatio tentandi facultatum ſuarum uſum. *Quilibet homo obligatur ad tentandum facultatum uſum omnem, quem ad perfectionem quandam acquirendam, vel imperfectionem vitandam facere cognoſcit.* Tenetur enim omnem facere facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus atque ſtatum externum & vitandam imperfectionem requiritur (§. 173.). Quamobrem cum non ante certus eſſe poſſit, num eum facere poſſit, quem ad perfectionem quandam acquirendam, vel imperfectionem vitandam prodeſſe cognoſcit, quam eundem facere tentavit; quilibet omnino homo obligatur ad tentandum omnem facultatum uſum, quem ad perfectionem quandam acquirendam vel imperfectionem vitandam facere cognoſcit.

Nemo certus eſſe poteſt, niſi convincatur (§. 982. *Log.*), ſive a poſteriori ope experientiæ (§ 985. *Log.*), ſive a priori vi demonſtrationis (§. 590 *Log.*). A priori vix fieri poteſt, ut convincaris, quouſque extendatur facultatum ſuarum uſus: neque enim datur hactenus theoria adeo exaſciata, ex qua principia demonſtrandi peti poſſunt de uſu facultatum humanarum pro diverſitate hominum & circumſtantiarum, in quibus ponuntur. Hinc videas alios plus ſperare de facultatibus ſuis, quam in iis eſt, alios ſtatim de iiſdem deſperare. Utrumque nocet. Illi nimis audaces ſe probant, & ſibi perfeciſſe videntur, quod quale ſit nondum intelligunt; hi nimia timiditate deterrentur, ne conſequi ſtudeant, quod poterant. Reſtat igitur ut a poſteriori convincaris, quantum valeat facultatum tuarum uſus. Tentandum eo fine, quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

§. 198.

Uſus facultatum animæ in quo conſiſtat. *Uſus facultatum animæ conſiſtit in eliciendis actibus.* Sunt enim facultates animæ potentiæ agendi (§. 29. *Pſych. empir.*). Ergo uſus facultatum animæ non conſiſtit niſi in eliciendis actionibus (§. 716. *Ontol.*).

Nimirum quatenus Deus animas creavit (§ 780. *part. 1. Theol. nat.*) hiſce facultatibus præditas, hæ ipſarum actiones poſſibiles ſunt, conſequenter facultates uſum hunc habere poſſunt ac debent, ut illæ actu eliciantur.

§. 199.

Uſus facultatum ſuperiorum unde nam ſit. *Uſus facultatum ſuperiorum animæ, intellectus ac voluntatis liberæ, non ineſt homini natura, ſed exercitio acquiritur.* Conſtat a poſteriori infantes in lucem editos nullum prorſus facere intellectus ac voluntatis liberæ, ab ipſo quippe pendentis (§. 275. 880. *Pſych. empir.*), uſum & eundem denegari hominibus inter bruta educatis docent exempla hominum inter urſos educatorum, ad quæ provocavimus (§. 461. *Pſych. rat.*). Immo unuſquiſque, niſi amplius recordetur eorum, quæ in ſe facta ſunt, in infantibus experiri poteſt, in iis non ante ſeſe exerere intellectus uſum, niſi actibus ſæpe elicitis, adeoque prævio exercitio

(§. 595

(§. 195. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque natura non ineſt homini, ſed demum acquiritur, quod ſine prævio exercitio eidem non inexiſtit (§. 32.); uſum facultatum ſuperiorum, intellectus ac voluntatis liberæ, homini non natura ineſſe, ſed demum acquiri exercitio evidens eſt.

Loquimur hic de omni uſu facultatum ſuperiorum: cum enim pateat, quanto exercitio opus ſit, ut varios intellectus ac voluntatis uſus conſequamur, & quam difficile haud raro ſit eos conſequi, nemo eſt qui negare auſit, uſus iſtos demum eſſe acquirendos, minime autem a natura datos. Quamobrem cum uſus facultatum ſuperiorum homines potiſſimum a brutis diſtinguat, ita ut inter hominem, qui inter bruta educatur, atque bruta quoad uſum facultatum animæ nulla intercedat differentia; non minus vere, quam argute dicitur, neminem hominum naſci, ſed fieri. Neque enim homo, qualis eſt, quando naſcitur, a brutis differt niſi in eo, quod commercio aliorum hominum & inſtitutione uſus ad uſum facultatum ſuperiorum perduci poſſit, ad quem bruta facultatibus iſtis deſtituta (§. 761. 763. *Pſych. rat.*) nunquam perducere datur. Omnis adeo differentia huc redit, quod per eſſentiam & naturam animæ poſſibile ſit homines eo adduci, ut eliciant actus facultatis cognoſcitivæ & appetitivæ, quales in animabus brutorum elici impoſſibile eſt.

§. 200.

Uſus facultatum inferiorum, ſenſuum ſcilicet, imaginationis atque memoriæ, appetitus ſenſitivi & averſationis homini natura ineſt, non demum acquirendus. *Uſus inferiorum undenam ſit.* Conſtat experientia infantes ſtatim, ut nati ſunt, ſentire, videre ſcilicet, audire, olfacere, guſtu & tactu perceptibilia percipere. Exerit quoque ſeſe imaginatio & memoria, quatenus actus ſenſuum permittunt (§. 117. 175. *Pſych. empir.*). Nec minus obſervare licet actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ. Confirmant ſingula eorum exempla, quos inter urſos educatos novimus (§. 461. *Pſych. rat.*). Quamobrem cum uſus facultatum inferiorum homini inſint ſine prævio exercitio, natura vero inſit quod ſine prævio exercitio inexiſtit, non demum acquiritur (§. 195. *Pſych. empir.* & § 32. *h.*); uſus facultatum inferiorum natura ineſt homini, non demum acquirendus.

Oſtenditur etiam hoc modo. Uſus ſenſuum adeo conſpicuus eſt, ut de eo dubitari minime poſſit, nec eſſe puto ullum, qui dubitet. Enimvero infantes ſtatim, ut ex utero materno egrediuntur, vocem flebilem edunt. Hinc autor Libri, qui Sapientia Salomonis dicitur, c. VII. 3. Natus, inquit, communem aerem hauſi & in ejuſdem naturæ terram delapſus primam vocem, æque ac omnes, flebilem edidi. Vox hæc indicat averſionem ſenſitivam adeoque perceptionem moleſtiæ ex ſubita mutatione ſtatus, quem infans in utero habuit. Atque adeo patet infantem ſtatim, ut in lucem editur, non modo ſenſu percipere, quæ in organa ſenſoria agunt, verum etiam ſibi conſcium eſſe ſtatus in utero, ex quo in alium defertur ejuſdemque memorem eſſe, & ex perceptione confuſa ejus, quod moleſtum accidit, oriri averſionem. Memoria ſtatus præteriti non minus actum memoriæ (§. 175. *Pſych. empir.*), quam imaginationis indicat (§. 92. *Pſych. empir.*). Videmus adeo uſum non modo ſenſus, verum etiam imaginationis, memoriæ & averſationis ſenſitivæ ſine ullo prævio exercitio, adeoque natura ineſſe infantibus, uſum nempe imaginationis, memoriæ & averſationis, qualem fert præſens ſenſuum uſus propter hujus ab illo dependentiam ex Pſychologia empirica manifeſtam. Si quis adhuc dubitet de appetitione ſenſitiva, is animum advertat ad infantes lac maternum appetentes. Et quoniam facultates animæ inferiores homo cum brutis communes habet (§. 754. & *ſeqq. Pſych. rat.*); uſum harum facultatum conſpicere quoque licet in omni brutorum genere.

Quibus ex Pſychologia empirica dependentia facultatum ſuperiorum ab inferioribus, præſertim facultatis cognoſcitivæ ſuperioris ſive intellectus a facultate cognoſcitiva inferiori, ſenſu ſcilicet, imaginatione atque memoria fuerit perſpecta; eos fugere nequit, quod, niſi uſus facul-

facultatum inferiorum natura ineſſet, fieri haud quiquam poſſet, ut conſortio aliorum hominum & inſtitutione uſi ad uſum ſuperiorum perducerentur. Noſtrum non eſt ea hic fuſius exponere, quæ alibi ſufficienter tradita ſunt. Quoniam enim per methodi, qua utimur, leges alibi explicata & demonſtrata præſupponimus tanquam cognita & perſpecta; eodem jure, quo Aſtronomus ſupponit lectorem Geometriæ ac Trigonometriæ utriuſque gnarum, nos quoque ſupponimus lectori Juris Naturæ perſpecta eſſe, quæ in Pſychologia tradidimus.

§. 201.

Perfectio animæ in quo conſiſtat.

Perfectio animæ conſiſtit in conſenſu omnium uſuum facultatum omnium animæ tam ſuperiorum, quam inferiorum. Quod facultates ſingulæ ſuos habeant uſus & uſus unius differat ab uſu alterius, nemo eſt qui ignoret. Dantur adeo plura a ſe invicem differentia in uno ſubjecto. Enimvero conſenſus plurium a ſe invicem differentium in uno perfectio eſt (§. 503. *Ontol.*). Ergo perfectio animæ conſiſtere debet in conſenſu uſuum, qui facultatibus omnibus animæ tam ſuperioribus, quam inferioribus competit, omnium.

Poterat etiam perfectio animæ definiri per conſenſum facultatum omnium quoad uſus eorundem omnes: id quod eodem recidit. Nimirum præſens propoſitio definitionis locum tuetur. Quod vero eam demonſtrare libuerit, non inſtar definitionis nominalis ſumere; non alia de cauſa factum eſt, quam quod in Ontologia notionem generalem perfectionis dederimus, ac inde in Philoſophia practica deduxerimus obligationem fundamentalem hominis ad committendas actiones, quæ tendunt ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri. Quoniam itaque in Jure Naturæ ex iſto principio deducemus obligationes naturales hominis & jura naturalia; neceſſe omnino erat, ut oſtenderemus nos in definienda perfectione animæ a notione iſta generali perfectionis non recedere.

§. 202.

Diſtinctio inter eſſentialem & accidentalem.

Quoniam perfectio eſſentialis eſt, quæ continetur conſenſu determinationum eſſentialium; accidentalis vero, quæ dicit conſenſum determinationum accidentalium cum eſſentialibus (§. 528. *Ontol.*); facultates vero animæ homini eſſentiales ſunt (§. 66. 81. *Pſych. rat.*), habitus vero, qui acquirendi, ut uſus iſtos faciamus, ad quos anima apta eſt, ſeu qui ab iſtis facultatibus proficiſci poſſunt, accidentia ſunt (§. 779. 151. *Ontol.*); *perfectio animæ eſſentialis conſiſtit in aptitudine facultatum tam ſuperiorum, quam inferiorum quoad conſenſum omnium uſuum, quos habere poſſunt; accidentalis vero in conſenſu actuali.*

Nimirum conſenſus uſus facultatum animæ quoad uſus eorundem vel ſpectatur ut poſſibilis, adeoque potentia ineſt animæ & hactenus perfectionem eſſentialem conſtituit, vel conſideratur ut actualis, adeoque actu inexiſtit animæ, & ſic perfectionem accidentalem abſolvit. Nemo non videt hic nobis eſſe negotium cum perfectione accidentali, cum hæc ſit ea, quam acquirere tenemur, eſſentialis autem omni homini natura inſit.

§. 203.

Conſenſus facultatum uſus in quo conſiſtat.

Si uſus facultatum omnium ad determinandam actionum humanarum rectitudinem concurrit; uſus omnium conſentit. Quod ſi enim uſus cujuslibet facultatis ad determinandam actionum humanarum rectitudinem concurrit; uſus omnes ad unum quid obtinendum tendunt. Enimvero ſi uſus facultatum ſingularum ad unum quid obtinendum tendunt, inter ſe conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Conſentiunt itaque uſus ſingularum facultatum, ſi ad determinandam humanarum actionum rectitudinem concurrunt.

Quodſi objicias, nos in rectitudine actionis humanæ tantummodo reſpexiſſe ad intellectum, voluntatem ac noluntatem atque facultatem locomotivam (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*); adeoque nullam quoad animam feciſſe mentionem ſenſuum, imaginationis, memoriæ, appe-

titus

titus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, immo nec attentionis & reflexionis; facilis eſt reſponſio. Intellectus uſus nullus eſt abſque miniſterio ſenſuum & imaginationis atque memoriæ. Quamobrem ſi in operationibus intellectus nihil deſiderari debet, nec in uſu facultatis inferioris cognoſcitivæ ulla ex parte notari debet aliquis defectus. Nemo hoc ignorat, niſi qui fuerit in Logica & Pſychologia hoſpes, aut minime ſufficientem attulerit ad ſingula attentionem. Idem eodem modo manifeſtum de attentione & reflexione. Confirmitur hoc per ea, quæ prolixe tradidimus de culpa in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. Ac ideo docuimus, quomodo ſenſus & imaginatio ad conſenſum cum intellectu perducatur (§. 299. 300. 317. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva a ſenſu, imaginatione & memoria, quemadmodum voluntas & noluntas ab intellectu pendet, prouti ſatis notum eſt omnibus, qui in Pſychologia verſati ſunt; ubi quoad intellectus uſum nullus notatur defectus, appetitus quoque ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum voluntate ac noluntate conſentit (§. 580. *part. 2. Phil. pract. univ.*) Ac ideo non modo oſtendimus, quando appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali prorſus conſentiat (§. 572. *part. 2. Phil. pract. univ.*), verum etiam quomodo non minus hæc, quam ille ad conſenſum cum rationali reducatur (§. 581. *part. 2. Philoſ. pract. univ.*). Cui adeo difficultates hic ſuboriuntur, quas ſuperare nequit, is ſibi imputet, quod ad jus naturæ illotis manibus accedat.

§. 204.

Obligatio conſenſus facultatum quoad earum uſum conſequendi. *Homo obligatur ad conſenſum uſus omnium facultatum conſequendum.* Obligatur unusquiſque ad recte agendum (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligatur etiam ad faciendum uſum facultatum ſuarum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.), conſequenter ad conſequendum eum facultatum ſuarum uſum, qui ad determinandam actionum humanarum rectitudinem concurrere debet. Quoniam igitur in hoc concurſu conſenſus uſus omnium facultatum conſiſtit (§. 203.); homo obligatur ad conſenſum uſus omnium facultatum conſequendum.

Patet per ea, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 202.), nos obligationem hominum non extendere uſque ad impoſſibile, etſi non negemus ad earum, quem hic urgemus, facultatum conſenſum quoad uſum eorundem hactenus animum non attendiſſe Philoſophos in Philoſophia morali, deſtitutos quippe diſtincta ejus notione. Non tamen exiſtimandum eſt, quaſi nemo adhuc unquam de eo cogitaverit. Monuimus in notis ad Orationem de Sinarum Philoſophia practica, olim jam *Confucium* ſtuduiſſe conſenſui appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali conſequendo & eum anno ætatis ſeptuageſimo tandem fuiſſe conſecutum, conſequenter cum hunc conſequi minime detur, niſi ſenſus & imaginatio cum intellectu in repræſentando malo & bono conſentiant (§. 580. *part. 2. Phil. pract. univ.*), neceſſe eſt ut idem conſecutus fuerit conſenſum ſenſuum & imaginationis cum intellectu, etſi neutrius diſtinctam habuerit notionem, adeoque nec modum conſequendi conſenſum uſus omnium facultatum alios docere potuerit. Nec minus patet JCtos confuſam quandam hujus conſenſus notionem habuiſſe per ea, quæ de dolo & culpa tradunt, utut non ſatis finitam, quemadmodum facile judicabit qui, quæ ab iis docentur, cum noſtris contulerit, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis de dolo & culpa expoſuimus. Perviderunt adeo aliquid hujus obligationis, de qua nobis in præſenti ſermo eſt, *Confucius* atque JCti Romani, quantum luce crepera notionum confuſarum, quidni obſcurarum maxima ex parte? videre licuit. Nos vero eidem plenam lucem affundimus, notionibus confuſis ad diſtinctas eaſque determinatas revocatis: id quod nobis per univerſam philoſophiam propoſitum eſt.

§. 205.

Obligatio vitandi diſſenſus facultatum uſus. Quoniam homo obligatur ad conſequendum *omnium facultatum* uſus conſenſum (§. 204.); *ad vitandum uſus* eorundem *diſſenſum etiam obligatur.*

Diſſenſum facultatis cognoſcitivæ inferioris ac ſuperioris explicavimus jam alibi (§. 576. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quemadmodum conſenſum (§. 575. *part. 2. Philoſ. pract. univerſ.*). Conſenſum appetitus ſenſitivi & rationalis expoſuimus (§. 908. *Pſych. empir.*), averſationis vero ſenſitivæ ac rationalis (§. 915. *Pſych. empir.*), unde ſimul patet, quid ſit diſſenſus harum facultatum. Nimirum *appetitus ſenſitivus & rationalis diſſentiunt*, ſi tendunt ad diverſa objecta: *averſatio ſenſitiva & rationalis diſſentiunt*, ſi verſantur circa diverſa objecta. Ex collatione definitionum harum obvium eſt, diſſenſum cum conſenſu conſiſtere minime poſſe. Quamobrem ſi ponas homini permiſſum eſſe diſſenſum; eo ipſo tollitur obligatio ad conſequendum conſenſum: quod abſurdum (§. 204.).

§. 206.

§. 206.

Obligatio vitandi non uſus.

Eodem modo patet *obligari hominem ad vitandum facultatum ſuarum non uſum*. Ponamus enim ipſi permiſſum eſſe facultatum ſuarum non uſum, neceſſe non eſt, ut omnem faciat facultatum ſuarum uſum in determinanda qualibet actione ſua: id quod per ſe patet. Ergo nec neceſſe eſt, ut ſtudeat omnium facultatum uſum conſequi, qui requiritur, ut recta ſit actio, conſequenter non obligatur ad conſequendum conſenſum uſus facultatum omnium (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*): quod abſurdum (§. 204.).

Obſtat adeo obligationi, de qua jam loquimur, non minus diſſenſus uſus facultatum, quam non uſus, etſi non uſus faciat, ut ſublato conſenſu non ſtatim ponatur diſſenſus. Hoc obſervaſſe maximi momenti eſt in praxi morali.

§. 207.

Quinam facultatum non uſum evitare poſſit.

Qui uſum quem debet facultatum ſuarum facere poteſt, is etiam non uſum evitare poteſt. Patet per ſe. Ponamus enim fieri haud quaquam poſſe, ut non uſum evitet: ergo nec fieri poterit, ut uſum faciat, quem facere debebat. Quod eſt contra hypotheſin.

Vidimus in anterioribus, uſum facultatum ſuperiorum animæ non ineſſe natura, ſed demum acquirendum (§. 199.); ex adverſo autem uſum inferiorum ineſſe natura, non demum acquirendum (§. 200.). Enimvero uſus facultatum ſuperiorum ac inferiorum in actionibus humanis ita invicem permiſcentur, ut uſus inferioris pendeat ab uſu ſuperioris, nec niſi hoc poſito ponatur. Quamobrem non uſum facultatis inferioris evitare nequis, niſi in poteſtate tua ſit uſus ſuperioris, ſine quo ille poni nequit. Acumine igitur opus eſt, ſi præcipitantiam judicandi de vitando non uſu evitare velis. Cave igitur ex eo, quod facultatum inferiorum, ſenſuum ſcilicet, imaginationis, memoriæ, appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ natura homini inſit, non demum acquiratur (§. 200), ſtatim inferas, eum non uſum omnem facultatum inferiorum, veluti ſenſuum, imaginationis, memoriæ, appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ evitare poſſe. Quantum vero non uſus, quem evitare in dato caſu non poſſumus, nobis imputari poſſit, ex iis intelligitur, quæ de facultatum inferiorum quoad actum a libertate animæ dependentia & de imputatione in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus, nec hæc ſunt hujus loci. Sed demus exemplum, ut dicta rectius intelligantur. Nullius facultatis uſus homini magis naturalis eſt, quam ſenſuum. Enimvero ad notiones diſtinctas formandas eorum, quæ obſervamus, etſi ſenſuum uſus requiratur, idem tamen attentionem ſibi conjunctam habere debet: quæ ubi in poteſtate tua non eſt, eum facere uſum viſus non datur, qui fieri debet.

§. 208.

Jus homini competens quoad uſum facultatum acquirendum.

Natura homo habet jus ad ea, quæ ad conſequendum uſum facultatum ſuarum & uſus hujus conſenſum ipſi neceſſaria ſunt. Obligatur enim ad faciendum omnem facultatum ſuarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.). Quamobrem cum uſus facultatum ſuperiorum natura non inſit homini, ſed demum acquiri debeat (§. 199.), ac præterea quilibet in ſeipſo experiri poſſit uſu facultatum ſuperiorum accedente ampliari uſum inferiorum; ad uſum facultatum ſuarum conſequendum obligatur. Obligatur vero etiam ad conſequendum conſenſum uſus facultatum omnium tam ſuperiorum, quam inferiorum (§. 204.). Quoniam itaque lex naturæ nobis dat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); homo quoque natura habet jus ad ea, quæ ad conſequendum uſum facultatum ſuarum & uſus hujus conſenſum ipſi neceſſaria ſunt.

E. gr. Qui Medicinæ operam navat, notitiam ſibi comparare debet herbarum, ut oblatas agnoſcere poſſit. Jus ergo ipſi eſt natura colligendi herbas in campis, montibus ac ſylvis, & in

her-

herbarium ſuum inferendi. Hic enim non ſupponimus dominia eſſe introducta, vi quorum quis prohibere poteſt, ne alter faciat, quod iis nondum introductis licebat. Hoc tamen non obſtante jura naturæ homini competentia cognoſcenda ſunt, ut de immutatione per dominia facta judicari poſſit. Damus exemplum intellectu facile, ut, quale ſit hoc jus, de quo ſermo eſt, clarius pateat. Enimvero ut etiam appareat, quænam ſit vis dominii in immutando hoc jure; fingamus Titium in horto ſuo educaſſe plantas exoticas, quarum cognitio futuro Medico apprime neceſſaria. Vi juris ipſi natura competentis hortum ingredi & plantas in uſum ſuum decerpere licet, ſed hoc facere nequit niſi conſenſu domini.

§. 209.

Facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi. Etenim facultates animæ ſunt potentiæ activæ (§. 29. *Pſych. empir.*), adeoque eidem tribuuntur, quatenus poſſibile eſt, ut haſce actiones in ſe eliciat. Habitus adeo cum in promtitudine agendi conſiſtat (§. 428. *Pſych. empir.*), uſus vero facultatum in eliciendis actionibus conſiſtat (§. 198.; ubi anima acquirit habitum iiſdem utendi, promte eliciuntur actiones, quæ per eſſentiam & naturam ejus poſſibiles ſunt. Varietas itaque, quæ in anima datur quoad facultatem quamlibet, in actionibus conſiſtit, quæ ad eandem referuntur. Jam vero uſus cujuslibet facultatis eſt finis a Deo intentus (§. 46. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & ſepoſita quoque intentione divina quoad hominem inſtar finis conſiderari poteſt (§. 45. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Singulæ igitur actiones facultatis ad eundem finem tendunt, conſequenter inter ſe conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Quamobrem cum conſenſus in varietate perfectio ſit (§. 503. *Ontol.*); facultas animæ aliter perfici nequit, quam acquirendo habitum eliciendi actiones, conſequenter habitum iiſdem utendi *per demonſtrata*. Patet itaque facultates animæ perfici acquirendo habitus iiſdem utendi. *Quomodo facultates animæ perficiantur.*

Propoſitionis præſentis veritatem nemo non ſine probatione admittet. Ita nemo eſt qui in dubium vocet intellectum perfici, ſi acquiramus habitus eliciendi eas operationes, quæ ab eo proficiſci poſſunt. Quoniam vero diſtinctam dedimus in Philoſophia prima perfectionis notionem in genere; noſtrum fuit oſtendere, quod propoſitio præſens eidem conſentanea ſit. Omnes operationes intellectus tendunt ad eundem finem, rerum nimirum cognoſcibilium cognitionem: Et eatenus omnes actus ſingulares inter ſe conſentiunt. Quoniam itaque major eſt conſenſus poſſibilis, quo plures actiones elici poſſunt; major quoque perfectio eſt, quo amplior eſt uſus intellectus, conſequenter quo plures & majores habitus utendi intellectu tibi comparaveris. Nulla hic ſpectatur moralitas, cujus demum habenda eſt ratio, quando actiones a pluribus facultatibus ortæ in determinanda actione libera concurrunt. Abutitur enim intellectu, qui non eum facit ejus uſum, quem rectitudo actionis requirit. Quæ de intellectu dicta ſunt exempli cauſa, ea ad alias quoque facultates transferenda. Sed hæc luculentiora evadent per ea, quæ ſequuntur.

§. 210.

Quo plures actus alicujus facultatis elici poſſunt & quo promtius; eo major eſt ejus perfectio. Quo promtius enim eliciuntur actiones & quo plures elici poſſunt; eo major eſt habitus (§. 428. *Pſych. empir.*). Quare cum facultates animæ perficiantur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.), adeoque actus earum eliciendi, tanto major erit perfectio facultatis alicujus animæ, quo plures actus elici poſſunt & quo promtius. *Gradus perfectionis facultatum animæ.*

Illuſtravimus jam hoc ipſum exemplo intellectus (*not.* §. 209.).

Digitized by Google

§. 211.

Obligatio conſequendi habitum facultatum animæ. *Homo obligatur ad conſequendum habitum omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu ſibi poſſibilem*. Obligatur enim ad promovendam perfectionem ſuam (§. 128. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ad perficiendum animæ facultates. Enimvero facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.). Homo igitur obligatur ad conſequendum habitum omnem facultatis cujuslibet animæ. Enimvero non obligatur ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem obligatur ad conſequendum habitum omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu ſibi poſſibilem.

Ex hac reſtrictione naſcuntur obligationes propriæ quoad habitus facultatum animæ & diverſos eorundem gradus acquirendos, qui equidem rationem habent in circumſtantiis, in quibus homo collocatur, ſufficientem tamen non agnoſcunt niſi in determinationibus eſſentialibus propriis. Ex. gr. Ponamus tibi eſſe occaſionem addiſcendi Geometriam ſublimiorem. Quodſi natura te deſtituit, nihil effeceris, neque adeo fieri poteſt, ut habitum de iis, quæ ad Geometriam ſublimiorem ſpectant, ratiocinandi conſequaris. Nemo non fatetur, homines in univerſum omnes non eſſe obligatos ad ſtudium Geometriæ ſublimioris, etſi acutiores nac in dubium vocent quorundam obligationem. Eam qui non agnoſcunt, præjudicio prohibentur, quod fonte obligationis naturalis minime perſpecto ab indifferente voluntate ſuperioris eandem deducunt, adeoque unusquiſque eam fingit prout ſibi videtur.

§. 212.

Obligatio ad conſequendum habitus intellectus & voluntatis. Quoniam *homo* gaudet intellectu (§. 266. 275. *Pſych. empir.*) & voluntate ac noluntate (§. 880. 881. *Pſych. empir.*), ad conſequendum vero omnem habitum facultatis cujuslibet acquiſitu ſibi poſſibilem obligatur (§. 211.); *quod obligetur ad conſequendum omnem habitum intellectus, voluntatis item ac noluntatis, acquiſitu ſibi poſſibilem evidens eſt.*

Non eſt quod a nobis hic expectes ut doceamus, quomodo hosce aliosque habitus acquiramus. Quæ enim ad praxin ſpectant, ea referamus Philoſophiæ morali, ad quam pertinent.

§. 213.

Obligatio ad conſequendum gradus attentionis. Similiter quia inter facultates animæ locum quoque habet attentio (§. 236. 237. *Pſych. empir.*), cujus diverſi gradus exercitatione comparantur (§. 248. *Pſych. empir.*); *homo etiam obligatur ad omnem gradum attentionis conſequendum ſibi acquiſitu poſſibilem* (§. 211.).

Diverſos attentionis gradus recenſuimus alibi (§. 243. & *ſeqq. Pſych. empir.*) & modum eos acquirendi expoſuimus (§. 249. & *ſeqq. Pſych. empir.*). Non igitur opus eſt, ut hic per modum corollariorum inferantur concluſiones particulares. Ex modo autem conſequendi quemlibet horum graduum unusquiſque judicare poterit, num is ſit ſibi acquiſitu poſſibilis, ubi eum tentaverit (§. 197.).

§. 214.

Obligatio perficiendi facultatem reflectendi. Facultatum animæ etiam numero adſcribitur facultas reflectendi (§. 257. *Pſych. empir.*), continuo exercitio demum acquirenda (§. 263. *Pſych. empir.*). Patet igitur ut ante, *hominem obligatum eſſe, ut ſuper re quacunque obvia ſingulisque ſuis actionibus reflectendi habitum ſibi comparet, quantum datur* (§. 211.).

Facultatem hanc nobis non ineſse natura, ſed exercitio demum acquiri & ad quandam promtitudinem perduci poſſe, experientia ſatis ſuperque conſtat, & ea ratio eſt, cur in hominibus

Digitized by Google

nibus inter urſos educatis facultatis hujus exercitium ceſſet, ita ut nullum ejus in ipſorum actionibus deprehendere liceat veſtigium. Quanti autem ſit ejus uſus in operationibus intellectus non minus ex Logica, quam Pſychologia liquet.

§. 215.

Obligatio extendendi imaginationem & memoriam.

Conſtat etiam imaginationem & memoriam extendi poſſe (§. 197. 198. *Pſych. empir.*), conſequenter cum facultatum animæ, quarum in numero ſunt imaginatio (§. 92. *Pſych. empir.*) & memoria (§. 175. *Pſych. empir.*), habitus omnes acquiſitu poſſibiles ſibi acquirere teneatur *homo* (§. 211.); utique *obligatur ad imaginationem & memoriam extendendam.*

Non eſt, quod excipias uſum imaginationis & memoriæ homini natura ineſse, non demum acquiri (§. 200.), conſequenter nullam dari obligationem conſequendi id, quod natura nobis conceſſit. Etenim etſi uſus harum facultatum naturalis ſit, ut ſuæ veluti ſponte ſeſe exerat; extendi tamen adeo poteſt, ut quod ſtudio tuo acquiritur longa poſt ſe tramite relinquat id, quod natura conceſſit. Quibus ea perſpecta ſunt, quæ de imaginationis & memoriæ gradibus harumque facultatum extenſione dictæ ſunt in Pſychologia empirica; ei nihil ſupereſſe poteſt dubii. Ceterum ex hactenus demonſtratis intelligitur, quam neceſsaria ſit Pſychologiæ cognitio, ſiquidem officia hominis erga animam penitius inſpicere volueris. Nec ſane alia de cauſa obligatio perficiendi facultates animæ vulgo non ſatis agnoſcitur: immo nec alia de cauſa dantur, qui, cum omni obligationi naturali ſe præ aliis ſatisfacere ſibi videntur, ea quæ de facultate cognoſcitiva perficienda præcipiuntur tanquam errorem noxium prorſus damnant, parum perpendentes quam neceſſarius ſit facultatum omnium, quæ ad cognoſcitivam tanquam ſpecies ad ſuum genus referuntur, uſus ad recte agendum. Confidimus itaque fore, ut longe rectius ſentiant, qui noſtram de culpa theoriam in parte prima & praxin moralem in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtratam animo comprehenderunt. Elucet hinc neceſſitas præmittendi ſtudium Pſychologiæ ſtudio Juris naturalis, ne in re manifeſta cœcutias. Ubi ſuo tempore Philoſophiam moralem tradiderimus, facultatum ad cognoſcitivam ſpectantium uſus multo luculentius mentis aciem perſtringet.

§. 216.

Habituum animæ diviſio.

Habitus animæ vel *ſimplices* ſunt, qui ſinguli ad unam tantummodo facultatem referuntur: vel *compoſiti*, qui ex concurſu plurium reſultant ſive ad eaſdem, ſive ad diverſas facultates referendorum.

E. gr. Habitus animum, quamdiu libet, attendendi ad idem objectum ſimplex eſt, cum ad unam tantummodo facultatem, attentionem ſcilicet, ſpectet. Aſt habitus demonſtrandi compoſitus eſt, cum plurium facultatum habitus ſupponat, quemadmodum conſtat iis, qui demonſtrationis notionem diſtinctam ex Logica hauſerunt & in demonſtrationibus eo modo reſolvendis, quem tum in Logica (*not.* §. 551. & *ſeqq.*), tum in Commentatione de ſtudio Matheſeos recte inſtituendo, quæ Elementorum Matheſeos univerſæ Tomo V. legitur, explicavimus, frequentes fuerunt, nec ſine attentione ad ſingula in hiſce reſolutionibus verſati fuerunt. Nimirum plures operationes intellectus hic concurrunt una cum pluribus actibus facultatis cognoſcendi inferioris, quarum non minus fit, quam illi ex diverſis habitibus ſimplicibus oriuntur.

§. 217.

Obligatio ad omnes conſequendos.

Quoniam itaque *homo* obligatur ad conſequendum habitum omnem facultatum animæ acquiſitu poſſibilem (§. 211.), & omnem facere tenetur uſum earundem, qui ad ſervandam naturæ legem (§. 772.), conſequenter ad actionis cujuslibet rectitudinem requiritur (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *non modo ad conſequendum habitum quemvis facultatis cujuslibet ſimplicem, verum etiam ad quemlibet habitum compoſitum conſequendum obligatur.*

Non alio fine habitus ſinguli ſingularum facultatum acquiruntur, quam ut caveamus, ne actiones noſtræ ullatenus a rectitudine deficiant. Ex praxi morali abunde elucefcet, ac unusquiſque

Digitized by Google

que in Pſychologia verſatus ex ſemetipſo addiſcere valet, ad actiones humanas concurrere facultates omnes, adeoque habitus morales, quos dicimus, e compoſitorum numero eſse, ex quibus actiones iſtæ fluunt. Singulas adeo facultates perficere ſtudemus, ut nunquam agamus, niſi quod rectum eſt.

§. 218.

Perfectio intellectus & ejus gradus.

Intellectus perfectior eſt, quo plures res diſtincte & quo promtius ſibi repræſentare valet. Eſt enim facultas res diſtincte ſibi repræſentandi (§. 275. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum facultas ſit potentia activa animæ (§. 29. *Pſych. empir.*), potentia vero in poſſibilitate agendi conſiſtat (§. 716. *Ontol.*): quo plures res diſtincte ſibi repræſentare valet intellectus, eo plures ipſius elici poſſunt actiones. Enimvero quo plures facultatis alicujus elici poſſunt actiones & quo promtius, eo major eſt perfectio (§. 210.). Intellectus itaque perfectior eſt, quo plures res diſtincte ſibi & quo promtius repræſentare valet.

Oſtendimus jam alibi (§. 276. 277. *Pſych. empir.*) intellectum eſse eo majorem, quo quis plura ſibi diſtincte repræſentare & quo plura in eodem ſubjecto diſtinguere valet. Hic vero evincimus, eundem eſse quoque perfectiorem, ubi hoc fieri poteſt, ut adeo intellectus magnitudo cum ejus perfectione ſimul ponatur. Non tamen uno prorſus eodemque reſpectu intellectus dicitur magnus & perfectus. In magnitudine enim reſpicimus ad actuum multitudinem; in perfectione ad ſingulorum tendentiam ad uſum intellectus, quem per naturam habere poteſt, & ad agendi promtitudinem. Gradus tamen perfectionis, quatenus in objecto rationem ſufficientem agnoſcunt, a magnitudine intellectus pendent. Hinc jam intelligitur, cur intellectum perfectiſſimum non invita notione perfectionis definiverimus per eum, qui omnia poſſibilia diſtincte ſibi repræſentat (§. 647. *Pſych. rat.*), quoniam nec plura dantur, ad quæ ſeſe extendere poteſt intellectus, nec major concipitur promtitudo, quam ſi ſit actus purus, ut omnium repræſentatio fiat ſimul.

§. 219.

Diſtinctæ & confuſæ cognitionis differentia.

Cognitio diſtincta dicitur, quæ notionibus ac ideis rerum diſtinctis abſolvitur: *Confuſa* autem, quæ in confuſis terminatur.

Quomodo cognitio, notio & idea differant, alibi jam expoſuimus (*not.* §. 52. *Pſych. empir.*). Ibi adeo dicta relegantur, ut mentem definitionum præſentium penitius inſpiciamus. In memoriam quoque revocanda ſunt, quæ de differentia perceptionum formali (§. 30. & *ſeqq. Pſych. empir.*) & de notionum formali differentia (§. 77. & *ſeqq. Log.*) prolixe ſatis inculcavimus. Ut vero ſimul manifeſta ſit vis cognitionis diſtinctæ; exemplo quodam declaranda venit. Quoties ſeſe offert occaſio agendi, ut recte agas, quemadmodum debes (§. 189. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), notionem actionis, qualis eſt in præſenti pro circumſtantiis obviis, ſufficienter determinatam animo concipere teneris (§. 80. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quæ cum a rebus præſentibus abſtrahenda ſit, neceſſe eſt ut ad eam ſpectantia diſtincte tibi repræſentes, adeoque præſentia diſtincta idea complectaris. Ut porro judicium fieri poſſit, utrum committenda ſit actio, an omittenda, principio generali opus eſt, quo iſtiuſmodi actio vel præcipitur, vel prohibetur, ſeu bona vel mala declaratur: id quod Logicæ ac Pſychologiæ gnarus ſatis exploratum habet. Iſtiuſmodi propoſitionibus reſpondent notiones (§. 520. 521. *Log.*), quibus ſubjectum quoad determinationes, ſub quibus prædicatum eidem tribui poteſt, una cum prædicato continetur (§. 200. 320. *Log.*), adeoque diſtinctæ (§. 88 *Log.*). Quamobrem ubi idem prædicatum tribuis actioni, cujus patrandæ occaſio offertur, ut prodeat judicium verum de actionis bonitate vel malitia ad recte agendum requiſitum (§. 80. *Phil. pract. univ.*); eidem denuo reſpondet diſtincta notio *per modo demonſtrata*. Omnis adeo cognitio notionibus ac ideis rerum diſtinctis abſolvitur, adeoque diſtincta eſt. Qui in Logica cum laude verſatus animo penitus comprehendit, quæ de uſu Logicæ in praxi vitæ demonſtravimus (§. 1212. & *ſeqq.*); eidem nihil in iis, quæ diximus, erit obſcuri. Ceterum ſi quis, quæ de analyſi notionum (*not.* §. 992. *Log.*) docuimus, ſine qua non datur adæquata notio (§. 95. *Log.*) ad cognitionem diſtinctam requiſita, ad modo dicta applicare voluerit; quam ardua & difficilis ſit diſtincta cognitio deprehendet, & quam neceſſe ſit intelliget, ut in diſciplinis ſingulis eo ordine, quo in lucem editæ ſunt, vel ex citationibus unam in altera præſupponi apparet, perlegendis lento gradu progrediatur. Quemadmodum vero obligationem ad recte agendum

in

in dublum vocare nequit (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſine quo a culpa vacuus eſse nequit (§ 696. *part.* 1. *Phil. pract. univ*), felicitati ſuæ ipſemet contrarius (§ 685. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); ita nec diſtinctam cognitionem tanquam ſuperfluam rejicere poteſt. Objectionas, quas incautus in medium afferre poterat in præſenti, non curamus: cadent enim ſua veluti ſponte intellectis iis, quæ ſequuntur. Quid ad nos, qui veritatem profitemur, ſi qui fuerint, qui, cum ſint veritatis ignari, magis in officiis ſuia omni ex parte adimplendis profeciſſe videri velint, quam profecerint? Non ſcribimus, ut placeamus ignaris, ignavis atque iis, qui tranſverſo affectuum impetu ſe abripi patiuntur; ſed iis, quibus curæ cordique eſt ut recte agant, quo placeant intelligentibus actionum humanarum arbitris & tranquillitatis conſcientiæ fructus uberrimos percipiant.

§. 220.

Homo obligatur ad diſtinctam rerum ſibi cognitu poſſibilium cognitionem acquirendam. Tenetur enim omnem facere facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum animam & ejus imperfectionem vitandam requiritur (§. 173.). Quamobrem cum intellectus ſit facultas animæ (§. 275. *Pſych. empir.*), tanto autem perfectior ſit, quo plures res diſtincte & quo promtius ſibi repræſentare valet (§. 218.); quin obligetur ad res omnes, quantum datur, diſtincte ſibi repræſentandi habitum acquirendum dubitandum non eſt. Enimvero diſtincta eſt cognitio, quæ notionibus ac ideis rerum diſtinctis abſolvitur (§. 219.). Obligatur ergo ad diſtinctam rerum ſibi cognitu poſſibilium cognitionem acquirendam.

Obligatio cognitionis diſtinctæ acquirendæ.

Quodſi fieri poſset, ut omnem omnino rerum cognoſcibilium cognitionem diſtinctam ſibi compararet; ex natura & eſsentia hominis ſequeretur, quod nullam negligere deberet. Enimvero cum intellectus humanus limitatus ſit tum quoad objectum, tum quoad modum repræſentandi objecta (§. 279. *Pſych. empir.*); obligatio noſtra eo uſque extendi nequit, ne ab homine exigatur, quod naturam ejus tranſcendit. Quamobrem eandem reſtringere debuimus ad ea, quæ ipſi cognitu poſſibilia ſunt. Neque enim exiſtimandum eſt, quaſi non omnis cognitio, quam acquirere valemus, nobis ſit utilis. Nemo eſt, qui omnes caſus futuros prævidere valet, in quibus hujus vel illius rei cognitio uſui ipſi eſse poſſit ſive ad ſanum de ea ferendum judicium, ſive ad rite determinandam actionem ſuam, ut adeo certo aſseverare queat hujus vel illius rei cognitionem ſibi eſse inutilem.

§. 221.

Quoniam operam dare debemus ut diſtinctam rerum nobis cognitu poſſibilium cognitionem acquiramus (§. 220.); *nullam prætermittere debemus occaſionem, qua rei cujuſcunque cognitionem nobis comparare valemus.*

Quanam ſollicitudine id fieri debeat.

Qui utilitate metiuntur cognitionem, haud raro negligunt ea, quorum cognitio ipſis maxime proficua erat. Vix quenquam eſſe puto, qui hoc in ſeipſo non experiri poſſit, modo memor ſit eorum, quæ cognoſcere neglexit, eum poſſe, & ſatis acutus in obſervando defectu cognitionis, quoties ea habet opus.

§. 222.

Quodſi occaſio plurium cognoſcendorum ſimul ſeſe offerat, quorum omnium cognitioni acquirendæ vacare non licet; ea alteri præferenda, cujus in eo, quod ſequimur vel elegimus, vitæ genere magis neceſſarius eſt uſus. Quoniam enim fieri non poteſt, ut omnem eorum cognitionem conſequamur, quorum cognoſcendorum occaſio ſeſe offert *per hypotheſin*; nemo non videt faciendam eſſe exceptionem (§. 207. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cognitionem unam eſſe acquirendam, reliquam miſſam fieri debere. Jam vero non alio fine rerum cognitionem nobis comparamus, quam ut omni in caſu, quantum datur, recte agamus ſatisfacturi obligationi noſtræ (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Neceſſe igitur

Quænam cognitio alteri præferenda.

Digitized by Google

tur eſt, ne nobis deſit eorum cognitio, quæ ad expedienda negotia pro vitæ noſtræ genere obvia requiritur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem patet, ſi occaſio plurium cognoſcendorum ſimul ſeſe offerat, quorum cognitioni ſimul acquirendæ vacare minime licet; eam alteri præferendam eſſe, cujus in eo, quod ſequimur vel elegimus, vitæ genere maxime neceſſarius eſt uſus.

Nimirum cognoſcibilium hoc diſcrimen eſt: aliorum cognitionis uſus certo prævidetur, aliorum vero uſum prævidere non licet, etſi nec negare poſſimus eum fore nullum. Nemo igitur ſanus affirmabit incerta certis eſſe præferenda. Nec vacat culpa, qui vincibili ignorantia laborat eorum, quæ ſcitu neceſſaria intellexit: vacat autem culpa, qui ignorat ea, quorum uſum prævidere non potuit, nec cognitionem niſi cum neglectu neceſſariorum ſibi comparare potuit. Sed vix puto fore quenquam, cui propoſitionis præſentis veritas videatur ſuſpecta.

§. 223.

Quænam ignorantia legi naturæ contraria.

Ignorantia vincibilis legi naturali contraria. Homo obligatur ad cognitionem acquiſitu ſibi poſſibilem acquirendam (§. 220.), conſequenter ad rei cujuslibet notionem vel ideam conſequendam, quam conſequi valet (§. 51. *Pſych. empir.*). Danda igitur ipſi eſt opera, ne abſit notio, ſive rei ſimpliciter apprehendendæ inſerviat, ſive judicio cuidam reſpondeat. Quoniam abſentia hujus notionis ignorantia eſt (§. 27. *part. 1. Phil pract. univ.*), eaque vincibilis, quæ evitari poteſt, modo velimus (§. 28. *part. 1. Phil. pract. univ.*); danda omnino opera eſt, ut ignorantiam vincibilem evitemus, conſequenter ignorantia vincibilis legi naturali contraria.

Quod evitare debemus, legi naturali contrarium eſſe nemo dubitare poteſt. Pugnat enim cum lege prohibitiva (§. 163. *part. 1. Phil pract. univ.*), utpote quæ prohibet, quo minus ignorantia vincibili laboremus.

§. 224.

Quænam non ſit.

Ignorantia invincibilis legi naturali contraria non eſt. Ignorantia invincibilis a nobis evitari minime poteſt (§. 28. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam adeo homo non obligatur ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part 1. Phil. pract. univ.*); nec obligari poteſt ad vitandam ignorantiam ſibi invincibilem. Ignorantia adeo invincibilis legi naturali contraria non eſt.

Cavendum vero ne pro ignorantia invincibili habeatur, quæ non eſt. Nocet enim non parum hic error, quando ignorantia influit in actiones humanas, ut omittant actiones lege naturali præceptas, vel committant eidem contrarias. Quodſi uſum facultatum humanarum habueris perſpectum & ad circumſtantias, in quibus collocaris, animum advertas; haud difficulter ignorantiam vincibilem ab invincibili diſtingues in caſu dato, præſertim ubi obſervaveris, quæ de tentando facultatum uſu omni, qui ad perfectionem quandam acquirendam vel imperfectionem vitandam requiritur, ſupra præcepimus (§. 197.). Non tamen omni in caſu facile eſſe cuilibet judicium, utrum ignorantia vincibilis ſit, an invincibilis, ultro largimur.

§. 225.

Cognitio boni & mali cur neceſſaria.

Quilibet homo cognoſcere tenetur, quid bonum, quidve malum ſit. Quoniam quilibet homo obligatur ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neceſſe eſt ut cognoſcat, quænam actio ſit bona, quænam mala, ſeu quid bonum, quidve malum ſit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Tenetur adeo cognoſcere quid bonum, quidve malum ſit (§. *cit.*).

Co-

Digitized by Google

Cognitionem hanc homini maxime neceſſariam eſſe, neceſſitas & immutabilitas obligationis, quæ a lege naturæ venit, loquitur (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Peccant igitur, qui eam negligunt. Neglectum vero eſſe nimis frequentem experientia docet. Negligentes quoque ſe probant, qui nimis compendioſa & ſuperficiaria cognitione contenti ſunt: quod proh dolor, faciunt plurimi, etiamſi ad vitæ perfectionem adſpirare ſibi videantur & in hoc ſummam laudem poſitam eſſe agnoſcant.

§. 226.

Obligatio ad cognoſcendam legem naturæ.

Quoniam quilibet homo cognoſcere tenetur quid bonum, quidve malum ſit (§. 225.), lex vero naturæ hoc doceat (§. 153. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *quilibet* omnino *homo legem naturæ cognoſcere debet, quantum ſibi ſufficit.*

Non eadem requiritur legis naturalis in omnibus notitia: neque enim actiones, de quibus diſponit, omnes ſunt in univerſum omnium. Unde facile intelligitur, ſufficere ut quis norit eas naturæ leges, quæ de actionibus, quæ in eum cadunt, committendis vel omittendis, pronunciant. Patebit hoc ex ſpeciali tractatione, unde haurire licet unicuique ſcitu neceſſaria. Neque exaſciata legum naturalium cognitio omnibus convenit. Quamobrem cum altera poſſibile nemo obligetur (§. 209.) *part.* 1. *Phil. pract univ.*); quam uſus facultatum tuarum non fert cognitio a te minime exigi poteſt. Minimus cognitionis gradus eſt hiſtorica cognitio, unicuique acquiſitu facilis (§. 6. *Diſc. prælim.*). Quodſi ergo ultra progredi non licuerit, in hoc acquieſcendum. Sed de hoc plura dicentur in philoſophia morali.

§. 227.

Habitus diſtinguendi ea, quæ rebus inſunt, acquirendi obligatio.

Acquirere tenemur habitum in quocunque objecto cognoſcibili nobis obvio ea diſtinguendi, quæ eidem inſunt. Tenemur enim acquirere omnem rerum quarumlibet cognoſcibilium cognitionem diſtinctam acquiſitu nobis poſſibilem (§. 220.), conſequenter diſtinctas earum notiones, quantum datur (§. 219.). Quoniam itaque diſtincta notio eſt, ſi in re percepta ſigillatim enunciabilia diſtinguimus (§. 38. *Pſych. empir.*), omnemque intellectus habitum ut conſequamur ſtudere debemus (§. 211.), habitum in quocunque objecto cognoſcibili nobis obvio ea diſtinguendi, quæ eidem inſunt, acquirere tenemur.

Hic habitus ampliſſimum habet uſum non modo in acquirendis notionibus diſtinctis ad augendam cognitionem univerſalem in uſum futurum; verum etiam in conſequendis ideis diſtinctis rerum præſentium ad dextre applicandum notiones univerſales, ne per errorem de actione, cujus patranda occaſio offertur, judicemus.

§. 228.

Obligatio augendi & acquirendi acuminis.

Quoniam habitus in uno multa diſtinguendi acumen eſt, tantoque unuſquiſque acutior altero, quanto plura in eodem objecto diſtinguere valet (§. 332. *Pſych. empir.*), habitum vero in quocunque objecto cognoſcibili nobis obvio ea diſtinguendi, quæ eidem inſunt, acquirere tenemur (§. 227.); *ad acumen acquirendum & acquiſitum augendum nos obligari evidens eſt.*

Non eſt, quod exiſtimes huic obligationi ſatisfacere non poſſe niſi eos, qui literis operam navant. Multum ea in re proficere licet hominibus etiam plebejis, modo ad eam exercitationem adducantur, qua acumen acquiritur & ſucceſſive perficitur (§. 333. *Pſych. empir.*).

§. 229.

Item acuminis pervidendi abſtracta in concretis.

Quoniam acumen augere obligamur (§. 228.), id ipſum vero eo adduci poteſt, ut univerſalia, præſertim in ſcala generum ſeu abſtractorum altiora, in ſingularibus perſpiciamus, quod acumen pervidendi abſtracta in concretis diximus

mus (§. 336. *Pſych. empir.*); quin etiam *obligemur ad acumen pervidendi abſtracta in concretis acquirendum & continuò, quantum datur, augendum dubitari nequit.*

Acumen hoc non modo in condenda theoria prodeſt iis, qui ſcientias amplificare conſtituerunt; verum mirifice prodeſt in praxi, ubi principia generalia ad caſum præſentem applicanda. Immo ſi quis a ſenſu culpæ omnis liberum poſſidere voluerit animum, in acumine hoc acquirendo & augendo non patiatur neceſſe eſt deſiderari diligentiam ſuam.

§. 230.

Obligatio acquirendi habitum notiones diſtinctas reſolvendi. *Acquirere tenemur habitum notiones diſtinctas in alias ſimpliciores continuo reſolvendi, prouti notionum analyſis requirit* (§. 339. *Pſych. empir.*). Tenemur enim acquirere omnem rerum quarumlibet cognoſcibilium cognitionem diſtinctam acquiſitu nobis poſſibilem (§. 220.), conſequenter tam diſtinctas earum notiones, quantum conſequi nobis datur (§. 219.). Quamobrem cum tanto diſtinctior evadat notio, quo plura in eadem re diſtinguimus ſeparatim enunciabilia (§. 38. *Pſych. empir.*); habitum omnino acquirere tenemur tot in quolibet cognoſcibili diſtinguendi, quot diſtingui poſſunt, adeoque notionem rei reſolvendi non modo in notiones eorum, quæ ipſas ingrediuntur, ſed & notiones horum ſingulas denuo in alias ſimpliciores ac ita porro, quantum datur, conſequenter notionem diſtinctam rei continuo reſolvendi in alias ſimpliciores, prouti notionum analyſis requirit (§. 339. *Pſych. empir.*).

Equidem facile largior, quod habitum hunc acquirere non ſit cujuſvis; plura tamen in eodem acquirendo a nobis fieri poſſunt, quam primo intuitu videri poterat. Sed de eo agendum erit in Philoſophia morali. Quodſi ſcientiæ magis excultæ ad communem uſum applicabuntur, id quod fieri poſſe dubitandum non eſt; ipſa experientia docebit, intellectum humanum quoad ea, quæ ad vitam perfectam faciunt, ad majoris perfectionis gradum perduci poſſe, quam putari vel ſperari nunc poterat. Neque enim per præcipitantiam ſtatuendum eſt de iis, quæ in poteſtatem noſtram redigi poſſunt.

§. 231.

Obligatio acquirendi profunditatem. Quoniam habitum notiones diſtinctas in alias ſimpliciores continuo reſolvendi, prouti notionum analyſis requirit, acquirere tenemur (§. 230.), habitus vero hic profunditas intellectus eſt (§. 340. *Pſych. empir.*), *ad profunditatem intellectus acquirendam*, conſequenter cum hic tanto profundior ſit, quo longius in analyſi notionum progredi quis poteſt (§. *cit.*), *ad eandem continuo augendam obligamur.*

Atque in his continetur obligatio perficiendi intellectum quoad primam intellectus operationem: ita, quemadmodum ex praxi, quam in Philoſophia morali tradémus, clarius eluceſcet, quod ad hanc perfectionem conſequendam concurrant non modo operationes intellectus ceteræ, verum etiam facultates cognoſcendi inferiores. Neque enim exiſtimandum eſt, quaſi una animæ facultas perfici poſſit abſque concurſu ceterarum. Major perfectio unius facultatis facit ad conſequendam majorem alterius & major hujus, ubi fuerit acquiſita, prodeſt conſequendæ majori illius. Sed hæc non ſatis intelliguntur niſi experto. Non igitur mirandum, ſi fabulam narrare videamur iis, qui exercitiis perfectionem hanc intellectus conſequendi nullam prorſus operam navaverunt, immo de ipſa ne per ſomnium quidem cogitarunt. Neque amplius videbimur extendiſſe obligationem humanam ultra id, quod fieri debebat, ubi indiſpenſabilis perfectionis iſtius neceſſitas ad vivendum vitam perfectam in aprico fuerit poſita.

§. 232.

Digitized by Google

§. 232.

Obligatio acquirendi habitum recte judicandi.

Habitum acquirere tenemur determinata judicia formandi. Omnem acquirere tenemur intellectus habitum acquiſitu poſſibilem nobis (§. 212.), adeoque etiam habitum formandi judicia, quibus ſubjectum repræſentatur ſub ea notione, ut in ea contineatur ratio, cur eidem conveniat prædicatum, ſeu id, per quod determinatur prædicatum, ut ſit verum (§. 524. *Log.*). Enimvero judicium determinatum eſt, ſi ſubjectum repræſentetur ſub ea notione, ut in ea contineatur ratio, cur eidem conveniat prædicatum ſeu id, per quod determinatur prædicatum (§. 320. *Log.*). Habitum itaque acquirere tenemur determinata judicia formandi.

Sumo hic, quod ab omnibus conceditur, concedi ſaltem debet, judicia noſtra vera eſſe debere. Cum vera ſint judicia, ſi prædicatum ſubjecto abſolute, vel ſub data conditione conveniat; falſum vero, ſi non conveniat (§. 505. *Log.*): haud obſcure intelligitur, judicium eſſe nullius uſus, niſi fuerit verum, immo ubi de agendis vel non agendis fertur judicium, prorſus nocebit, ſi falſum fuerit, cum agas, quæ fieri non debent, vel non agas, quæ debent fieri. Enimvero judicia, quæ ferimus, vel univerſalia ſunt, vel ſingularia. Illa locum ſibi vindicant in diſciplinis, ubi per determinatas propoſitiones efferuntur; hæc vero feruntur in vita communi. Habitus adeo formandi judicia determinata duplex eſt, quorum alter verſatur circa judicia univerſalia, alter vero circa ſingularia. Illius uſus eſt in perficiendis & amplificandis diſciplinis; hujus vero in recte ſentiendo & agendo. Ille non omnibus convenit, nec acquiſitu adeo facilis; hic vero magis reſpicit communem omnium uſum. Fieri tamen non poteſt, ut hunc conſequaris, niſi ante extiterint alii, qui eum illo pollerent, diſciplinas propoſitionibus determinatis locupletarunt, quibus judicia determinata enunciantur (§. 41. *Log.*). Hoc diſcrimen utile quoque eſt obſervare in aliis.

§. 233.

Obligatio addiſcendi & inveniendi propoſitiones determinatas.

Quoniam judicia ſingularia in caſu obvio applicatione generalium formantur (§. 1212. *Log.*), homo autem habitum determinata judicia formandi acquirere tenetur (§. 232.); qui in caſu quovis obvio determinatum de re propoſita formare voluerit judicium, propoſitiones determinatas ex diſciplinis perſpectas ſibi reddere tenetur, conſequenter *ad propoſitiones determinatas ex diſciplinis ſibi familiares reddendas quilibet obligatur*. Cumque quilibet obligetur, in cujus poteſtate id poſitum fuerit, ſcitu aliis neceſſaria detegere (§. 195.); *In cujus poteſtate poſitum eſt propoſitiones in diſciplinis ad determinatas revocare, vel nondum repertas invenire, is ut hoc faciat obligatur.*

Hinc videmus, cur philoſophiam univerſam ad propoſitiones determinatas revocemus, quæ notiones quoque rerum determinatas ſeu definitiones ſupponunt ad eas agnoſcendas & ab aliis diſtinguendas, & in propoſitionibus determinatis locum habent, quatenus per eas repræſentatur ſubjectum in propoſitionibus categoricis, & per eas & conditionem adjectam in hypotheticis. Philoſophiam enim ad uſum vitæ aptare ſtudemus, quemadmodum in Horis ſubſecivis uberius expoſuimus. Enimvero ut conſtet prædicatum per notionem ſubjecti determinari, conſequenter propoſitionem eſſe determinatam; ea ita, quæ de ſubjecto ſumuntur, demonſtrandum eſt, ſubjecto ſic determinato convenire prædicatum. Ac ideo demonſtrativa utimur methodo in philoſophando. Etſi enim negari minime poſſit, fieri etiam poſſe, ut a poſteriori oſtendatur, propoſitionem eſſe determinatam; non tamen hoc ſemper ſuccedit, neque etiam ubivis brevitati ac evidentiæ conſulitur. Immo in ſyſtemate nec methodi demonſtrativæ nullæ ſunt partes in demonſtrationibus a poſteriori.

§. 234.

Obligatio acquirendi habitum recte ratiocinandi.

Acquirere tenemur habitum recte ratiocinandi. Obligamur enim ad conſequendum omnem habitum intellectus (§. 212.). Quamobrem cum diſcurſus ſive ratiocinatio ſit intellectus operatio (§. 325. *Pſych. empir.*); habitus recte ratiocinandi intellectus habitus eſt. Habitum itaque recte ratiocinandi acquirere tenemur.

Digitized by Google

Quod non omnes recte ratiocinentur, ſed ipſimet eruditi in formam haud raro impingant; obvia experientia conſtat. Ratiocinamur autem quotidie, ſingulis fere momentis, cum judicia diſcurſiva, quæ per ratiociniumeliciuntur (§. 51. *Log.*), frequentiora ſint intuitivis. Quoniam itaque minus recte ratiocinando in errorem incidimus (§. 638. & *ſeqq. Log*), ad actionem vero rectam requiritur judicium verum de actionis bonitate & malitia (§. 80. *p. 1. Phil pract. univ.*); obligationi recte agendi ſatisfacturi (§. 189. *part. 1. Phil pract. univ.*) habitu recte ratiocinandi pollere debemus. Quamobrem & hinc deduci poterat obligatio habitum recte ratiocinandi acquirendi.

§. 235.

Obligatio diſtincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi.

Quoniam habitus ratiocinandi perfectior eſt, ſi non modo ſingula judicia ſucceſſive formentur, prout ratiocinium ingrediuntur, adeoque diſtincte ratiocinemur (§. 441. *Pſych. empir.*), verum etiam ratiocinia in longa ſerie inter ſe concatenare valemus, concluſionibus anterioribus per modum præmiſſarum ingredientibus in ratiocinia ſequentia (§. 492. *Log.*); habitum vero recte ratiocinandi acquirere tenemur (§. 234.); *quin* etiam *obligemur ad habitum diſtincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi, quantum nobis datur, conſequendum dubitandum non eſt* (§. 180.).

Diſtincta ratiocinia & eorum concatenatio non modo uſui ſunt iis, qui ſcientiis excolendis ſeſe totos tradunt; verum etiam unicuivis ad vitam recte agendam: id quod prolixius hic oſtendere haud quaquam lubet, cum non ſit hujus loci. Sufficit nos non loqui niſi experta iis, quorum in poteſtate eſt demonſtratio. Quodſi objicias donum diſtincte ratiocinandi & ratiocinia inter ſe concatenandi inter paucos eruditos eſſe diſtributum; hæc objectio parum nos angit, qui novimus, plures id ipſum conſequi poſſe, modo vellent, præſertim poſtquam nos, quæ huc requiruntur, adeo perſpicue explicavimus & modum tantum donum conſequendi docuimus, ut nihil amplius deſiderari poſſe videatur. Neque tanta foret difficultas id ipſum conſequendi, ut idem tantummodo viri docti primi ordinis tanquam ſibi proprium vindicarent, ubi habitus, de quo nobis jam ſermo eſt, magis familiaris evaderet. Ecquis enim eſt, qui neſciat, modo ad ea, quæ quotidie fiant, animum attendat & ſuper iis, quæ obſervat, reflectat, quod ex commercio cum aliis ſola imitatione, quæ ſua veluti ſponte ſeſe offert, acquirantur habitus, alio modo acquiſitu difficillimi, immo ei, qui eorum compos redditur de iiſdem ne quidem cogitans, acquiſitu prorſus impoſſibiles?

§. 236.

Obligatio ſoliditatis acquirendæ.

Homo operam dare tenetur, ut ſoliditatem conſequatur. Etenim obligatur ad habitum diſtincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi conſequendum, quantum datur (§. 235.), conſequenter operam dare tenetur, ut eum conſequatur. Enimvero habitus diſtincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi ſoliditas eſt (§. 440. *Pſych. empir.*). Quare homo operam dare tenetur, ut ſoliditatem conſequatur.

Diximus modo (*not.* §. 235.), ſi qui difficulter ſoliditatem fuerint conſecuti, eam deinde facillime ad alios propagari poſſe, quantum unicuique pro vitæ ſuæ genere ſufficit: neque enim opus eſt, nec fieri poteſt, ut ſinguli hujus habitus inter ceteros habitus intellectus eminentis eundem gradum acquirant. Quamobrem qui ſoliditatem negligunt, cum eam conſequi poſſent, non modo ſibi nocent, verum etiam aliis, ad quos per eos aliud quaſi agendo propagari poterat. Videbimus vero ſuo loco, quod etiam hic deſint obligationi ſuæ; quatenus tenentur aliis: id quod non modo de hoc officio tenendum, verum de omni alio, quatenus exemplo tuo prodeſſe poteras aliis. Obligationes hominis, quibus nituntur ejus officia, adeo inter ſe cohærent, ut unius vis tota non perſpiciatur, niſi intellectis ceteris. Qua de cauſa conſultum eſt, ut, quomodo a ſe invicem dependeant, penitus perſpiciatur: id quod fieri haud quaquam poteſt, niſi methodo demonſtrativa in iis exponendis utaris.

§. 237.

Digitized by Google

§. 237.

Obligat acquirendi habitum demonſtrandi & probandi.

Quoniam qui ſolidus eſt, habitu demonſtrandi & probandi pollet (§. 443. *Pſych. empir.*), *homo* vero obligatur ad ſoliditatem acquirendam (§. 236.); *quin ad habitum demonſtrandi & probandi acquirendum obligetur dubitari nequit.*

Non ignoro eſſe pleroſque, quibus paradoxum videtur obligationem conſequendi habitum demonſtrandi inter obligationes naturales referri, quibus homines tenentur, quaſi peccet, qui eidem non ſatisfacit, propterea quod ars demonſtrandi Mathematicis tanquam propria relinquenda, immo inter ea, quæ fieri minime poſſunt, referendum ut homo plebejus artem demonſtrandi addiſcat, qui tamen officiis lege naturali præſcriptis ſatisfacere tenetur. Enimvero quod reponam, non unum habeo. 1. Oppido falluntur, qui demonſtrationes ad ſolam Matheſin relegant, quaſi earum extra eandem nullus prorſus ſit uſus. Nonne conſcientia certa vi demonſtrationis acquirenda (§. 459. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & vi ejuſdem tolluntur ſcrupuli conſcientiæ (§. 460. *part* 1. *Philoſ. pract. univ.*)? Conſcientiam vero certam habere debemus, ut ea nos excuſet (§. 464. *part.* 1. *Phil. pract. univ*), nec morſus ejuſdem nobis ſint metuendi (§. 497. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quin potius tranquillitate ipſius fruamur (§. 511. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nonne etiam vi demonſtrationis deciditur, cujuſnam conſcientia ſit recta (§ 458. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*)? Nonne acquiritur cognitio viva (§. 249. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*) ad praxin moralem maxime neceſſaria (§. 244. *part* 2. *Phil. pract. univ.*)? Nonne leges naturales demonſtrandæ ſunt (§. 3.), ut vitam perfectam vivere poſſis, quantum datur (§. 17. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*)? Provocare poteramus adhuc ad alia, niſi hæc abunde ſufficerent. Quoniam igitur nemo negare poteſt omnium intereſſe, ut conſcientiam certam acquirant eandemque a ſcrupulis & morſibus liberent, ut cognitio ſit viva, ut vitæ perfectæ ſtudeant; ultro fatendum demonſtrationes non eſſe tantummodo Mathematicorum, ſed habitum demonſtrandi acquirendum eſſe omnibus, qui ejuſdem compotes fieri poſſunt: 2. Falluntur non minus, qui nullum inter obligationes communes ac proprias diſcrimen agnoſcunt (§. 186. & *ſeqq.*) & eandem obligationem ad ſingulos eodem gradu extendunt (§. 180.). Ubi vero obligationes naturales in univerſum demonſtrandæ; nec prætermittendæ ſunt propriæ, neque etiam in iis habetur ratio gradus, ad quem unicuique pertingere datur. 3. Falluntur qui ſibi perſuadent, habitum demonſtrandi minime convenire vulgo. Evicimus enim alibi (§. 395. *Pſych empir.*), in demonſtrationibus cognitiones eodem modo procedere, quo ſeries notionum ac perceptionum communiter continuantur. Quodſi ergo in promptu ſint principia, qualia eſſe perſpecta debent vulgo ad recte agendum; nullum eſt dubium, quin modum naturalem cogitandi etiam ſequi poſſint in applicandis iſtis principiis & aliquem habitus demonſtrandi gradum attingere. 4. Falluntur denique qui propoſitionem præſentem extendunt ultra terminos, qui in quolibet caſu præfiguntur. Quemadmodum enim non omnes veritates in univerſum omnes cognoſcere tenentur; ita nec requiritur, ut demonſtrare quis valeat omnes in univerſum. Sufficit ſi demonſtrare poſſit eas, quæ ipſi ſcitu neceſſariæ ſunt, nec ſi in his quædam ſunt, quæ multorum principiorum apparatum ſupponunt, quæ cognoſcere tibi datur, neceſſe eſt ut ipſe ea demonſtrare valeas. Acquieſcendum in autoritate eorum, qui eas demonſtratas eſſe affirmant, præſertim ubi experimento proprio confirmare eaſdem licet.

§. 238.

Obligatio doctrinæ ſolidæ acquirendæ.

Acquirere tenemur doctrinam ſolidam. Obligamur enim ad habitum demonſtrandi acquirendum (§. 237.). Quamobrem cum doctrina ſolida conſtet propoſitionibus demonſtratis, adeoque & ſufficienter explicatis (§. 448. *Pſych. empir.*), habitus demonſtrandi uſum habet in doctrina ſolida acquirenda. Quoniam itaque uſum omnem facultatum noſtrarum facere tenemur, qui ad perficiendum animam requiritur (§. 173.); ſolidam utique doctrinam acquirere tenemur.

Erant igitur, qui ſolidam doctrinam contemnunt, & abſque ea ſe officia ſua omni ex parte adimplere poſſe ſibi perſuadent. Et in alios injurii ſunt, qui quocunque modo impediunt, quo minus iidem doctrinam ſolidam conſequantur. Immo ſimetipſi contrarii ſunt, qui ad perfectionem vitæ contendere volunt, doctrinam vero ſolidam faſtidiunt.

§. 239.

§. 239.

Qualis boni & mali legiſque naturæ cognitio eſſe debeat.

Quoniam quilibet homo cognoſcere tenetur, quid bonum, quidve malum ſit (§. 225.), legemque naturæ cognoſcere debet, quantum ipſi ſufficit (§. 226.), tenetur vero etiam doctrinam ſolidam acquirere (§. 238.); ideo patet, quod *ſolidam boni & mali legiſque naturalis cognitionem acquirere debeamus.*

Hae in parte hactenus & ſibi, & aliis defuerunt Philoſophi, qui ſuperficiaria boni & mali legiſque naturæ cognitione fuerunt contenti. Quamvis enim non defuerint plurimi, qui bonam doctrinam tradiderunt; a ſolida tamen pertractatione procul fuerunt remoti. Neque negari poteſt eos non ſatis intellexiſſe, quid ſibi velit doctrina ſolida: quod vel exinde colligere datur, quod vulgo ſoliditatis laus tribuatur iis, qui ab ea prorſus ſunt alieni. Atque ea ratio nos impulit, ut ad Jus naturæ methodo demonſtrativa condendum animum appelleremus, unde legum naturalium ſolidam cognitionem haurire licet.

§. 240.

Obligatio acquirendi ſcientiam.

Scientiam acquirere tenemur. Etenim operam dare debemus, ut ſoliditatem conſequamur (§. 236.). Quamobrem cum ſolidus ſit, cui ſcientia eſt (§. 450. *Pſych. empir.*); quin ſcientiam acquirere teneamur dubitandum non eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Habitum demonſtrandi acquirere tenemur (§. 237.). Quamobrem cum omnem teneamur facere uſum facultatum noſtrarum, qui ad perficiendum animam requiritur (§. 173.); quod habitu quoque demonſtrandi utendum ſit, conſequenter opera danda, ut ea, quæ affirmamus vel negamus, demonſtrare valeamus, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Enimvero habitus demonſtrandi ea, quæ affirmamus, vel negamus, ſcientia eſt (§. 594. *Log.*). Patet itaque, quod ſcientiam acquirere teneamur.

Erunt forſitan, qui ſibi perſuadebunt acquirere habitum demonſtrandi & acquirere ſcientiam eſſe unum idemque, adeoque ſuperfluam eſſe propoſitionem præſentem, cum in ſuperioribus jam evicerimus obligationem acquirendi habitum demonſtrandi (§ 237.). Enimvero qui habitu demonſtrandi pollet, ſcientiam equidem acquire valet, nondum tamen eandem poſſidet. Sane Geometræ habitu demonſtrandi pollent, non tamen ideo rerum omnium cognoſcibilium ſcientiam habent. Nimirum ſcientia cum habitu demonſtrandi copulat rerum cognitionem; ut ea, quæ cognoſcis, demonſtrare valeas, nec affirmes, neque neges, niſi quod demonſtrare potes, quod vero demonſtrare nequis, id neque affirmes, neque neges, ſed in dubio relinquas. Hinc nos in operibus noſtris philoſophicis ad ſcientiam manu ducimus eos, qui huic obligationi naturali ſatisfacere ſtudent, dum propoſitiones, quas veras eſſe contendimus atque docemus, demonſtramus.

§. 141.

Quanam ſcientia unicuique acquirenda.

Eam unuſquiſque ſcientiam acquirere debet, qua in eo, quod ſequitur vel ſequi decrevit, vitæ genere maxime habet opus. Etenim unuſquiſque eam rerum cognitionem reliquæ præferre debet, cujus in eo, quod ſequitur, vel elegit ſeu ſequi decrevit, vitæ genere, magis neceſſarius eſt uſus (§. 222.). Quoniam itaque ſcientiam acquirere tenemur (§. 240.); eam unuſquiſque ſcientiam acquirere debet, qua in eo, quod ſequitur, vel ſequi decrevit, vitæ genere maxime habet opus.

Fieri haud quaquam poteſt, ut quis omnem ſcientiam, cui acquirendæ ſufficerent vires, modo non deeſſet otium, animo complectatur. Quamobrem cum non omni ſcientia opus habeant omnes, quia non idem agendum omnibus: ideo unuſquiſque ſcientiam ſibi neceſſariam acquirere debet. Ecquid enim juvat ſcire ea, quæ tibi nulli ſunt uſui; neſcire vero ea, quorum cognitione carere nequis?

§. 242.

§. 242.

Scientia unicuique neceſſaria.

Quilibet homo ſcientiam boni & mali legumque naturæ alium, quantum eidem ſufficit, acquirere tenetur. Quilibet enim cognoſcere tenetur, quid bonum ſit, quidve malum (§. 225.), quilibet etiam legem naturæ cognoſcere tenetur, quantum eidem ſufficit (§. 226.). Quamobrem cum ſcientiam acquirere obligemur (§. 240.); quilibet homo ſcientiam boni & mali legumque naturalium, quantum eidem ſufficit, acquirere tenetur.

Quæ dubia moveri poterant contra propoſitionem præſentem, ea jam ſuſtulimus (*not.* §. 237.). Dantur atem ſcientiæ gradus, cujus ſummus eſt, ſi demonſtrationes conſummatas dare poſſis eorum, quæ affirmantur & negantur; infimus autem, ſi rationem dare poſſis, per quam veritas confuſe percipitur, non tamen ſine omni evidentiæ ſenſu. Qui adeo ſummum attingere nequeunt, in intermedio; quibus vero & hic inacceſſus, in infimo acquieſcere tenentur. Neque enim quis obligatur ad id, quod impoſſibile (§. 209. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Præſtat habere ſcientiam imperfectam, quam nullam. Qui nullam habet, rationem prorſus ignorat: cui imperfecta eſt, is rationem equidem perſpicit, ita ut quaſi per tranſennam videat nexum inter ſubjectum & prædicatum vel repugnantiam utriuſque, diſtincta tamen ratiocinatione eundem explicare minime valet. Perfecta vero tum demum eſt ſcientia, ubi non modo diſtincta ratiocinatione explicare vales nexum prædicati cum ſubjecto vel utriuſque repugnantiam, verum etiam in ſingulis ratiocinus non ſumis principia niſi ſufficienter jam ante demonſtrata vel per ſe manifeſta, conſequenter propoſitionem demonſtrare vales: neque enim jam rationem habemus graduum in demonſtrando, quos in Logica ſufficienter demonſtravimus.

§. 243.

Principiorum demonſtrandi diviſio.

Principia demonſtrandi prima dicuntur, quæ ſine probatione ſumuntur: *a primis* vero *orta*, quæ, ubi demonſtrata fuerunt, in aliis deinde demonſtrandis ſumi poſſunt.

Demonſtratio omnis concatenatione ſyllogiſmorum abſolvitur (§. 498. *Log.*). In primis ſyllogiſmis ſumuntur, quæ notionem ſubjecti ingrediuntur, ſeu de eodem tanquam cognita aut eidem convenientia præſupponuntur; in ſequentibus vero, qui cum iſtis concatenantur, concluſiones eorundem. Ut vero hinc inferri poſſint concluſiones, aliunde aſſumenda ſunt, quæ alterius præmiſſæ locum tueniur (§. 551. & *ſeqq. Log.*), adeoque principia demonſtrandi (§. 561. *Log.*). Nulla fieri poterat demonſtratio, ſi aſumere non liceret niſi antea demonſtrata. Quamobrem aut demonſtratio datur nulla, aut dantur principia, quæ ſine probatione ſumi poſſunt. Talia autem dari ipſa experientia docemur. Principia itaque demonſtrandi recte dividuntur in prima & a primis orta. Dicuntur autem hæc a primis orta, quia ex primis demonſtrantur, adeoque ratio, cur dentur, in primis continetur (§. 56. *Ontol.*), convenienter notioni ortus unius ex altero (§. 28.). Dantur *principia* quædam *in ſuo genere prima*, unde ſcilicet deducuntur cetera, quæ in hoc genere demonſtranda ſunt. Tale eſt principium juris naturalis (§. 179 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero hic de principiis abſolute talibus agitur. Quæ enim prima dicuntur in ſuo genere, ad ſcientiam particularem pertinent.

§. 244.

Quænam ſint principia prima demonſtrandi.

Principia demonſtrandi prima ſunt definitiones, experientiæ indubitatæ, axiomata & poſtulata; a primis orta vero propoſitiones omnes jam demonſtratæ. Axiomata enim & poſtulata ſunt propoſitiones indemonſtrabiles (§. 267. 269. *Log.*), adeoque ſine probatione ſumuntur (§. 262. *Log.*), cumque definitiones in demonſtrando tueantur locum axiomatum (§. 268. *Log.*), ipſæ etiam ſine probatione ſumuntur. Et quoniam propoſitio nobis certa eſt, ſi prædicatum ſubjecto convenire obſervamus (§. 567. *Log.*), conſequenter verum eſſe cognoſcimus, quod experimur (§. 564. 664. *Log.*); experientiæ quoque indubitatæ ſine probatione ulteriori ſumi poſſunt in demonſtrando. Quamobrem cum axiomata & poſtulata, definitiones ac experientiæ indubitatæ principia demonſtrandi ſint (§. 562. *Log.*) & hæc principia ſine probatione ſumi poſſint *per demonſtra-*

ta,

ta, prima autem ſint demonſtrandi principia, quæ ſine probatione ſumuntur (§. 243.); definitiones, experientiæ indubitatæ, axiomata & poſtulata ſunt principia demonſtrandi prima. *Quod erat unum.*

Enimvero in numero principiorum demonſtrandi etiam referuntur propoſitiones jam demonſtratæ (§. 562. *Log.*). Quoniam itaque principia demonſtrandi a primis orta ſunt, quæ, ubi demonſtrata fuerunt, in aliis deinde demonſtrandis ſumuntur (§. 243.); propoſitiones omnes jam demonſtratæ ſunt principia demonſtrandi a primis orta. *Quod erat alterum.*

Qui ad demonſtrationes Geometriæ elementaris animum attendit, differentiam horum principiorum animadvertet & quomodo a primis oriantur alia perſpiciet. Idem addiſcere licebit ex noſtris demonſtrationibus philoſophicis, ſiquidem eas attenta mente perluſtrare libuerit. In praxi vitæ, ſiquidem uſum Logicæ, quem habet, a nobis explicatum (§. 1212. & *ſeqq. Log.*), cognoveris, idem obſervare datur.

§. 245.

Cognoſcibile quando nobis familiare.

Familiare nobis dicitur *cognoſcibile*, quod ſua veluti ſponte memoriam ſubit, quoties de eo cogitandi occaſio offertur. Quamobrem *prima & quælibet alia demonſtrandi principia nobis familiaria ſunt, quorum ſtatim meminimus, quando iiſdem habemus opus*; & contra *ſi eorum ſtatim meminimus, quando iiſdem opus habemus, nobis familiaria ſunt.*

E. gr. Primum quoddam principium in Elementis *Euclidis* eſt, quod æqualia eidem tertio ſint æqualia inter ſe. Quodſi ergo hujus propoſitionis ſtatim meminimus, quando per momentum præmiſſæ ingredi debet ratiocinium in demonſtranos; ea nobis familiaris eſt.

§. 246.

Obligatio cognoſcendi principia.

Demonſtrandi principia cognoſcere nobiſque familiaria reddere tenemur, ſive prima, ſive a primis orta. Etenim ſcientiam acquirere tenemur (§. 240.), adeoque habitum ea, quæ affirmamus, vel negamus, demonſtrandi (§. 594. *Log.*). Quoniam itaque ad demonſtrandum opus habemus principiis (§. 561. *Log.*), tam primis, quam a primis ortis (§. 243.); neceſſe eſt ut demonſtrandi principia, cum habitus agendi promtitudo ſit (§. 428. *Pſych. empir.*), nobis ſtatim ſuccurrant, quando iiſdem habemus opus. Enimvero ſi demonſtrandi principia, ſive prima fuerint, ſive a primis orta, nobis ſtatim ſuccurrunt, quando iiſdem habemus opus, nobis familiaria ſunt (§. 245.), eorum autem meminiſſe haud quaquam poſſumus, niſi eadem ante cognoverimus (§. 226. *Pſych. empir.*). Quamobrem demonſtrandi principia tam prima, quam a primis orta nobis familiaria reddere tenemur.

Ea igitur principia, quorum frequens in demonſtrando uſus eſſe ſolet, præ ceteris familiaria experiri tenemur.

§. 247.

Intelligentia quid ſit.

Intelligentia dicitur habitus prima principia demonſtrandi cognoſcendi.

Vulgo inter habitus intellectus, qui & virtutes intellectuales dici ſolent, primus numeratur intelligentia, quia cognitio principiorum primorum demonſtrandi præcedit ſcientiam, cum fieri minime poſſit, ut ſcientia potiaris, niſi prima demonſtrandi principia ante fuerint perſpecta eademque familiaria experiaris; id quod unusquiſque in ſeipſo experiri valet, qui ad ſcientiam acquirendam animum appellit. Definitur autem per habitum intelligentia, quia non ſufficit, ut ea cognoſcamus, ſed eadem nobis familiaria reddere tenemur, quo ſtatim eorundem meminimus, quando in demonſtrando iiſdem opus habemus (§. 245.). Cum enim habitus

bitus

bitus omnis in promtitudine agendi (§. 428. *Pſych. empir.*), adeoque habitus intellectus in promptitudine cognoſcendi conſiſtat; principia demonſtrandi promte non cognoſcimus, niſi quando ea ſua veluti ſponte ſuccurrunt, quando eorundem cognitione opus habemus.

§. 248.

Obligatio acquirendi intelligentiam.

Intelligentiam acquirere nobis tenemur. Prima enim principia demonſtrandi cognoſcere nobiſque familiaria reddere tenemur (§. 246.). Quoniam itaque habitus principia prima demonſtrandi intelligentia eſt (§. 247.); intelligentiam nobis acquirere tenemur.

Qui obligationem acquirendi habitus intellectus agnoſcere nolunt, inſcitiam ſuam produnt. Nemo eſt, qui habitus voluntatis, quos virtutum nomine ſimpliciter inſignire ſolemus, a nobis acquirendos eſſe in dubium vocet. Videbimus autem ſuo loco, virtutes morales ſupponere virtutes intellectuales, ſeu nullum poſſe concipi habitum voluntatis ſine habitibus intellectus. Gradus quoque virtutum moralium a gradibus intellectualium pendent. Quamobrem qui agnoſcit obligationem colendi virtutes morales, is etiam concedere tenetur obligationem acquirendi intellectuales. Quod vero vulgo hoc non agnoſcatur, non alia de cauſa accidit, quam quod videmus homines virtutibus intellectualibus eminentes a virtutibus moralibus procul abeſſe. Hinc vero tantummodo colligitur poſſe virtutes intellectuales eſſe ſine moralibus; nondum vero liquet, vice verſa morales abſque intellectualibus dari poſſe. Saepe ipſa experientia loquitur quam imperfecta ſit virtus eorum, qui habitibus intellectus deſtituuntur. Sed hæc clarius eluceſcent in philoſophia morali, in qua omnes virtutum ſpecies propius intuebimur. Ceterum nec hoc negari poteſt, ubi virtutes intellectuales a moralibus ſejunguntur, illas ipſas quoque multiplici defectu laborare, veluti quod negligatur cognitio eorum, quæ ad cultum virtutum moralium vitiorumque fugam requiruntur, & intellectualibus abutantur, qui iiſdem pollent ad male agendum.

§. 249.

Neceſſitas definitionum cum axiomatis & poſtulatis cognoſcendi & judicia intuitiva formandi.

Quoniam intelligentia eſt habitus prima principia demonſtrandi cognoſcendi (§. 247.), principia autem demonſtrandi prima ſunt definitiones, axiomata & poſtulata, atque experientiæ indubitatæ (§. 244.), conſequenter propoſitiones a poſteriori cognitæ (§. 51. *Pſych. empir.*) *operam dare tenemur, ut definitiones cum axiomatis & poſtulatis cognoſcamus & ex iis, quæ experimur, propoſitiones eliciamus* (§. 248.), adeoque *in judiciis intuitivis formandis ſeduli ſimus*, conſequenter cum quivis in uſum communem detegere debeat ea, quæ aliis ſcitu neceſſaria detegere valet (§. 195.), *qui habitum definitiones condendi & judicia intuitiva formandi ſibi comparare valet, is eundem acquirere eodemque uti debet.*

Ex anterioribus facile patet (§. 241. 242.), quaſnam definitiones & notiones communes ſibi unuſquiſque familiares reddere debeat, qualia judicia intuitiva ſint formanda.

§. 250.

Obligatio acquirendi artem inveniendi.

Artem inveniendi acquirere tenemur, quantum datur. Ars enim inveniendi eſt habitus intellectus (§. 454. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ad omnem habitum intellectus conſequendum obligamur (§. 212.), nemo autem obligatur ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); artem inveniendi acquirere tenemur, quantum datur.

Omnis veritas invenienda; cum natura homini non inſit ejus cognitio, ſed inventa ab iis, qui arte inveniendi pollent, ad alios deinde propagetur. Quibuſdam autem inventis continuo ulterius progredi datur, ubi in arte inveniendi profeceris. Nullum adeo dubium ſupereſſe poteſt, quin non minor ſit obligatio veritatem nondum cognitam eruendi, quam jam cognitam diſcendi.

§. 251.

Specialius explicatur. Quoniam ars inveniendi duplex eſt, nimirum ars inveniendi veritatem a poſteriori & ars inveniendi eandem a priori (§. 455. *Pſych. empir.*), illaque vel ars obſervandi (§. 458. *Pſych. empir.*), vel experimentandi eſt (§. 459. *Pſych. empir.*), artem vero inveniendi acquirere tenemur, quantum datur (§. 250.), *tantundem artis inveniendi a priori, artis obſervandi & artis experimentandi unusquiſque acquirere debet, quantum datur.*

§. 252.

Obligatio ingenii perficiendi. *Operam dare tenemur, ut ingenium perficiatur.* Ingenium facultas quædam animi eſt (§. 476. *Pſych. empir.*), quo utendi habitum acquiri poſſe ipſo facto experimur. Quamobrem cum operam dare teneamur, ut omnem habitum facultatis cujuslibet animæ acquiſitu poſſibilem conſequamur (§. 211.), facultas autem quælibet animæ perficiatur acquirendo habitum eodem utendi (§. 209.); operam utique dare tenemur, ut ingenium perficiatur.

Poteramus idem oſtendere etiam ex uſu ingenii, quem requirit uſus aliarum facultatum, quem vi habituum acquiſitorum habere poſſunt, veluti quod inventores ingenio opus habeant (§. 481. *Pſych. empir.*), cum conſtet artem inveniendi acquirendam eſſe (§. 250.). Enimvero ne videamur minus probaſſe, quam probari debebat; conſultius fuit propoſitionem præſentem oſtendere ex principiis generalibus.

§. 253.

Obligatio perficiendi rationem. *Operam dare tenemur, ut rationem perficiamus.* Quoniam ratio eſt facultas nexum veritatum univerſalium intuendi (§. 483. *Pſych. empir.*), facultas vero perficitur acquirendo habitum eadem utendi (§. 211.); rationem perfici poſſe nemo dubitabit. Jam vero operam dare tenemur, ut eam conſequamur animæ perfectionem, quam conſequi in poteſtate noſtra poſitum (§. 180.). Quamobrem dubitandum non eſt, quin rationem quoque perficere debeamus.

Ratio hominem a brutis potiſſimum diſtinguit. Ecquis ergo eſt, qui dubitet, animam humanam non magis perfici poſſe, quam ubi ampliatur uſus rationis, atque adeo potiſſimum dandam eſſe operam, ut rationem perficiamus. Major ratio ei eſt, qui veritatum univerſalium plurium, quam qui pauciorum nexum perſpicit (§. 488. *Pſych. empir.*). Quamobrem in id enitendum eſt, ut rationem, quantum datur, extendamus. Quodſi philoſophia methodo demonſtrativa traditur, ad nexum veritatum univerſalium perſpiciendum adducimur. Quamobrem obligationi præſenti ſatisfacturi in philoſophia methodo demonſtrativa tradita addiſcenda ſeduli eſſe debemus.

§. 254.

Obligatio ſapientiam acquirendi. *Opera danda ut, eſt ſapientiam acquiramus.* Sapientia eſt ſcientiæ quædam ſpecies (§. 678. *Pſych. rat.*). Sed ſcientiam omnem acquirere tenemur (§. 240.), Ergo etiam ſapientiam acquirere tenemur.

Oſtenditur etiam hoc modo, Omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.), conſequenter cum vitæ perfectæ ſtudeat, qui actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare conatur (§. 17. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qui ad vitam perfectam vivendam requiritur. Enimvero qui vitam perfectam vivere ſtudet, nil agit abſque fine & fines particulares per modum mediorum ſubordinat ſibimet invicem & ultimo, ſeu ita ſubordinat ut fines propiores ſint media cujuslibet remotioris

ris & omnes ſimul ultimi (§. 52. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Acquirere igitur tenemur ſcientiam actionibus liberis fines præſcribendi, eoſque naturæ ſuæ convenientes (§. 53. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), & media ad eos ducentia eligendi fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores fiant media remotiorum. Enimvero ſcientia actionibus liberis fines naturæ ſuæ convenientes præſcribendi & media ad eos ducentia eligendi, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores fiant media remotiorum, ſapientia eſt (§. 678. *Pſych. rat.*). Quare ſapientiam acquirere tenemur.

Ut vim hujus obligationis percipiamus & eidem ſatisfaciendi neceſſitatem comprehendamus; quantus ſit ſapientiæ uſus ad vitam recte agendam probe perpendere debemus. Quo acutiores erimus in obſervandis iis, quæ quotidie ſingulis fere momentis nobis obvia ſunt; eo clarius nobis eluceſcet, nullam dari actionem, in qua non multæ ſint ſapientiæ partes, præſertim ubi actionum liberarum omnium nexum; qui ad vitam perfectam & ſapientem vitæ inſtitutionem requiritur (§. 72. 73. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), habueris perſpectum. Unde facile convincemur, ſapientia neminem carere poſſe, atque hinc colligemus, quam neceſſarium ſit, ut eidem conſequendæ omnem demus operam.

§. 255.

Circumſtantiæ dicuntur *propriæ*, quæ nunquam abeſſe poſſunt, quoties agendum. Aſt *alienæ* appellantur, quæ ex accidente ſuperveniunt, quando occaſio agendi offertur.

Circumſtantiarum in proprias & alienas diviſio.

E. gr. Circumſtantia propria eſt, ut, quoties de altero narras, quæ male fecit, adſit aliquis, qui te loquentem audiat: enimvero ex accidente eſt, ut inter eos, quibus id narras, adſit qui conſanguinitate vel affinitate eum attingit vel amicitia eidem jungitur. Quamobrem ubi hoc obtinet, circumſtantia dicetur aliena. Neque enim neceſſe eſt, ut, quoties narras, quæ male fecit alter, adſit ejus vel conſanguineus, vel affinis, vel amicus. Similiter aliena circumſtantia, ſi quæ in altero reprehendis, ipſemet facere conſueveris: neque enim neceſſe eſt, ut, qui quædam in altero reprehendit, eadem & ipſe faciat.

§. 256.

Prudentia eſt habitus in determinanda actione ſua rationem habendi circumſtantiarum alienarum præſentium.

Prudentia quid ſit.

Ita qui in præſentia conſanguinei, vel affinis, aut amici non narrat, quod alter male fecit, veritus ne eos offendat, vel ne iidem alterum certiorem reddant de eo, quod locutus eſt; circumſtantiis præſentibus in determinando ſilentio ſuo rationem habet. Nemo vero eſt, qui hoc nomine ipſum prudentem non dicat. Similiter qui in præſentia Patroni vini hauſtum largiorem damnantis ab eodem abſtinet, utut ſibi nimius non ſit, prudenter hoc facere dicitur. Porro qui injuriam ſibi factam diſſimulat, ne majus damnum incurrat; prudentem ſe præſtat omnium conſenſu, etſi eandem ferre minime teneatur. Facile adeo apparet, quomodo ſapientia a prudentia differat, quamvis vulgo inter ſe confundantur. Nimirum ſapiens, dum finem ſibi præſcribit in agendo & media eidem convenientia eligit, circumſtantiarum nonniſi propriarum rationem habet; aſt prudens alienarum, quæ præſentes ſiſtuntur, ut iiſdem in rem ſuam utatur.

§. 257.

Quoniam in exequendis iis, quæ ſapienter decreta fuerunt, circumſtantiæ ex accidente ſuperveniunt, adeoque alienæ emergunt (§. 255.), circumſtantiæ autem ad determinandum actualitatem actionis & moralitatem ejuſdem aliquid conferunt (§. 95. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); earum in executione eorum, quæ ſapienter decrevimus, habenda utique ratio eſt. Quamobrem cum prudentiæ ſit in determinandis actionibus ſuis rationem habere circumſtantiarum alienarum præſentium (§. 256.; *prudentiæ eſt rationem habere circumſtantiarum alienarum*

Circa quæ verſetur.

§. 251.

Specialius explicatur. Quoniam ars inveniendi duplex eſt, nimirum ars inveniendi veritatem a poſteriori & ars inveniendi eandem a priori (§. 455. *Pſych. empir.*), illaque vel ars obſervandi (§. 458. *Pſych. empir.*), vel experimentandi eſt (§. 459. *Pſych. empir.*), artem vero inveniendi acquirere tenemur, quantum datur (§. 250.), *tantundem artis inveniendi a priori, artis obſervandi & artis experimentandi unusquiſque acquirere debet, quantum datur.*

§. 252.

Obligatio ingenii perficiendi. *Operam dare tenemur, ut ingenium perficiatur.* Ingenium facultas quædam animi eſt (§. 476. *Pſych. empir.*), quo utendi habitum acquiri poſſe ipſo facto experimur. Quamobrem cum operam dare teneamur, ut omnem habitum facultatis cujuslibet animæ acquiſitu poſſibilem conſequamur (§. 211.), facultas autem quælibet animæ perficiatur acquirendo habitum eodem utendi (§. 209.); operam utique dare tenemur, ut ingenium perficiatur.

Poteramus idem oſtendere etiam ex uſu ingenii, quem requirit uſus aliarum facultatum, quem vi habituum acquiſitorum habere poſſunt, veluti quod inventores ingenio opus habeant (§. 481. *Pſych. empir.*), cum conſtet artem inveniendi acquirendam eſſe (§. 250.). Enimverò ne videamur minus probaſſe, quam probari debebat; conſultius fuit propoſitionem præſentem oſtendere ex principiis generalibus.

§. 253.

Obligatio perficiendi rationem. *Operam dare tenemur, ut rationem perficiamus.* Quoniam ratio eſt facultas nexum veritatum univerſalium intuendi (§. 483. *Pſych. empir.*), facultas vero perficitur acquirendo habitum eadem utendi (§. 211.); rationem perfici poſſe nemo dubitabit. Jam vero operam dare tenemur, ut eam conſequamur animæ perfectionem, quam conſequi in poteſtate noſtra poſitum (§. 180.). Quamobrem dubitandum non eſt; quin rationem quoque perficere debeamus.

Ratio hominem a brutis potiſſimum diſtinguit. Ecquis ergo eſt, qui dubitet, animam humanam non magis perfici poſſe, quam ubi ampliatur uſus rationis, atque adeo potiſſimum dandam eſſe operam, ut rationem perficiamus. Major ratio ei eſt, qui veritatum univerſalium plurium, quam qui pauciorum nexum perſpicit (§. 488. *Pſych. empir.*). Quamobrem in id enitendum eſt, ut rationem, quantum datur, extendamus. Quodſi philoſophia methodo demonſtrativa traditur, ad nexum veritatum univerſalium perſpiciendum adducimur. Quamobrem obligationi præſenti ſatisfacturi in philoſophia methodo demonſtrativa tradita addiſcenda ſeduli eſſe debemus.

§. 254.

Obligatio ſapientiam acquirendi. *Opera danda ut, eſt ſapientiam acquiramus.* Sapientia eſt ſcientiæ quædam ſpecies (§. 678. *Pſych. rat.*). Sed ſcientiam omnem acquirere tenemur (§. 240.). Ergo etiam ſapientiam acquirere tenemur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.), conſequenter cum vitæ perfectæ ſtudeat, qui actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare conatur (§. 17. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qui ad vitam perfectam vivendam requiritur. Enimvero qui vitam perfectam vivere ſtudet, nil agit abſque fine & fines particulares per modum mediorum ſubordinat ſibimet invicem & ultimo, ſeu ita ſubordinat ut fines propiores ſint media cujuslibet remotioris

ris & omnes ſimul ultimi (§. 52. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Acquirere igitur tenemur ſcientiam actionibus liberis fines præſcribendi, eoſque naturæ ſuæ convenientes (§. 53. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & media ad eos ducentia eligendi fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores fiant media remotiorum. Enimvero ſcientia actionibus liberis fines naturæ ſuæ convenientes præſcribendi & media ad eos ducentia eligendi, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores fiant media remotiorum, ſapientia eſt (§. 678. *Pſych. rat.*). Quare ſapientiam acquirere tenemur.

Ut vim hujus obligationis percipiamus & eidem ſatisfaciendi neceſſitatem comprehendamus; quantus ſit ſapientiæ uſus ad vitam recte agendam probe perpendere debemus. Quo acutiores erimus in obſervandis iis, quæ quotidie ſingulis fere momentis nobis obvia ſunt; eo clarius nobis eluceſcet, nullam dari actionem, in qua non multæ ſint ſapientiæ partes, præſertim ubi actionum liberarum omnium nexum; qui ad vitam perfectam & ſapientem vitæ inſtitutionem requiritur (§. 72. 73. *part. 1. Phil. pract. univ.*), habueris perſpectum. Unde facile convincemur, ſapientia neminem carere poſſe, atque hinc colligemus, quam neceſſarium ſit, ut eidem conſequendæ omnem demus operam.

§. 255.

Circumſtantiæ dicuntur *propriæ*, quæ nunquam abeſſe poſſunt, quoties agendum. Aſt *alienæ* appellantur, quæ ex accidente ſuperveniunt, quando occaſio agendi offertur. *Circumſtantiarum in proprias & alienas diviſio.*

E. gr. Circumſtantia propria eſt, ut, quoties de altero narras, quæ male fecit, adſit aliquis, qui te loquentem audiat: enimvero ex accidente eſt, ut inter eos, quibus id narras, adſit qui conſanguinitate vel affinitate eum attingit vel amicitia eidem jungitur. Quamobrem ubi hoc obtinet, circumſtantia dicetur aliena. Neque enim neceſſe eſt, ut, quoties narras, quæ male fecit alter, adſit ejus vel conſanguineus, vel affinis, vel amicus. Similiter aliena circumſtantia, ſi quæ in altero reprehendis, ipſemet facere conſueveris: neque enim neceſſe eſt, ut, qui quædam in altero reprehendit, eadem & ipſe faciat.

§. 256.

Prudentia eſt habitus in determinanda actione ſua rationem habendi circumſtantiarum alienarum præſentium. *Prudentia quid ſit.*

Ita qui in præſentia conſanguinei, vel affinis, aut amici non narrat, quod alter male fecit, veritus ne eos offendat, vel ne iidem alterum certiorem reddant de eo, quod locutus eſt; circumſtantiis præſentibus in determinando ſilentio ſuo rationem habet. Nemo vero eſt, qui hoc nomine ipſum prudentem non dicat. Similiter qui in præſentia Patroni vini hauſtum largiorem damnantis ab eodem abſtinet, utut ſibi nimius non ſit, prudenter hoc facere dicitur. Porro qui injuriam ſibi factam diſſimulat, ne majus damnum incurrat; prudentem ſe præſtat omnium conſenſu, etſi eandem ferre minime teneatur. Facile adeo apparet, quomodo ſapientia a prudentia differat, quamvis vulgo inter ſe confundantur. Nimirum ſapiens, dum finem ſibi præſcribit in agendo & media eidem convenientia eligit, circumſtantiarum nonniſi propriarum rationem habet; aſt prudens alienarum, quæ præſentes ſiſtuntur, ut iiſdem in rem ſuam utatur.

§. 257.

Quoniam in exequendis iis, quæ ſapienter decreta fuerunt, circumſtantiæ ex accidente ſuperveniunt, adeoque alienæ emergunt (§. 255.), circumſtantiæ autem ad determinandum actualitatem actionis & moralitatem ejuſdem aliquid conferunt (§. 95. *part. 2. Phil. pract. univ.*); earum in executione eorum, quæ ſapienter decrevimus, habenda utique ratio eſt. Quamobrem cum prudentiæ ſit in determinandis actionibus ſuis rationem habere circumſtantiarum alienarum præſentium (§. 256.; *prudentiæ eſt rationem habere circumſtantiarum alienarum* *Circa quæ verſetur.*

rum alienarum præſentium in exequendis iis, quæ ſapienter decreta fuerunt, conſequenter ſapienter decreta rite exequi.

Hinc in Philoſophia morali, quam idiomate patrio conſcripſimus, & cui principia Juris naturalis inſeruimus, prudentiam definivimus per habitum ſapienter decreta rite exequendi. Nimirum cum vitam perfectam, adeoque legi naturali ex aſſe convenientem (§. 17. *part. 2. Philoſ. pract. univ.*) vivere non detur, niſi actiones omnes ſapienter dirigantur (§. 61. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quicquid decernimus, ſapienter decernere debemus; ut adeo in determinanda quslibet actione ſapientiæ locus ſit. Quamobrem cum prudentia actionem, quando eam committendi occaſio offertur, circumſtantiis alienis emergentibus convenienter determinet (§. 256.), tota utique verſatur in exequendis iis, quæ ſapienter decreta fuerunt. Ut adeo appareat, ſapientiam cum prudentia ſororio vinculo connecti.

§. 258.

Obligatio prudentiam acquirendi. *Prudentiam acquirere tenemur.* Prudentiæ enim eſt in determinanda actione rationem habere circumſtantiarum alienarum præſentium, quando eam committendi occaſio offertur (§. 257.). Quoniam itaque circumſtantiæ ad determinandam actualitatem & moralitatem actionum aliquid conferunt (§. 95. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quin earum in agendo ratio habenda ſit, ne quoad rectitudinem actionis quidpiam deſideretur (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*), dubitandum non eſt. Prudentiam itaque acquirere tenemur.

Nemo eſt, qui imprudentiam non reprehendat in hominibus quibuſcunque, qualeſcunque demum ſint ipſorum actiones. Atque adeo non modo obligationem prudentiam acquirendi univerſalem quoad homines omnes, verum etiam quoad quaslibet earum actiones agnoſcunt. Supponit autem prudentia ſapientiam, ſapientia non minus, quam prudentia ſcientiam, ſcientia vero ceteros intellectus habitus, de quibus in ſuperioribus diximus. Qui adeo admittit obligationem acquirendi prudentiam, is etiam admittere tenetur obligationem acquirendi habitus intellectus ceteros, niſi ſibimetipſi contradicere velit.

§. 259.

Qua prudentia unicuique opus ſit. Quoniam non omnibus eadem ſunt agenda, prudentia vero circa omnes omnino hominum actiones verſatur (§. 256.), & quilibet homo prudenter agere tenetur (§. 258.); *unusquiſque hominum imprimis operam dare debet, ut eam acquirat prudentiam, qua in eo, quod ſequitur vel elegit, vitæ genere habet opus.*

Cum prudentia per omnes hominum actiones ſeſe diffundat, fieri haud quaquam poteſt, ut unus omnem prudentiam acquirat. Neque hoc neceſſe eſt: ſufficit enim ſi quis in iis actionibus ſe prudentem præſtet, quæ ipſi committendæ ſunt, quamvis non inficiemur nullam eſſe prætermittendam occaſionem prudentiam augendi, prout ſeſe obtulerit, tum quia prævidere non licet caſus omnes futuros, ut certum fieri poſſit judicium de eo, quod nobis nulli uſui eſt; tum quia nemo hominum ſibi vivit, ſed etiam aliis, quibus conſilio ſuo multiplici modo prodeſſe poteſt: id quod ex officiis erga alios clarius eluceſcet.

§. 260.

Ars quid ſit. *Ars* dicitur habitus determinandi actum alicujus entis.

Multa ſunt, quæ hominum opera ad actum perducuntur, alias non extitura. Nemo eſt, qui hoc neſciat. Nec eſt, qui non dicat, arte ea fieri & ab iis, quæ natura facit, diſtinguat. Hinc artificialia naturalibus opponuntur. E. gr. Poeta condit carmen alias non extiturum. Unde habitus carmina condendi inter artes refertur. Literis conſignamus, quæ nobis iisdem exarare commodum fuerit. Scriptura hæc ſine opera humana ad actum minime produceretur: Unde ars ſcribendi appellatur ſcribendi habitus. Similiter ſculptor ſtatuam ex lapide exſculpit. Statua hæc nunquam exiſteret in rerum natura, niſi opera humana efficeretur. Quamobrem habitus, qui requiritur in ſculptore, ut opus ſuum facere poſſit, artis nomine inſignitur, & ſtatuæ artificialia corpora appellantur. Numerus artium multiplex eſt, quemadmo-

Digitized by Google

admodum experientia obvia unicuique explora-tum, ut adeo nimis longum foret recenſere omnes. Nec earum recenſio hujus eſt loci, ubi ea tradimus, quæ generalia ſunt & ab unoquoque ad ſpecialia levi opera applicantur.

§. 261.

Obligatio artes acquirendi.

Homines artes acquirere tenentur, quarum uſus eſſe poteſt in perfectione animæ, corporis & ſtatus externi promovenda. Obligantur enim ad perfectionem animæ, corporis & ſtatus externi promovendam (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam ad ea acquirenda, quorum uſus in illa promovenda eſſe poteſt. Quamobrem ſi quæ artes hunc uſum habent, ad eas acquirendas obligantur.

E. gr. Ars ſcribendi plurimum habet uſum in ſcientia & cognitione omni acquirenda, conſequenter in perfectione animæ promovenda, ut alios ejuſdem uſus taceamus, quos experientia loquitur. Quamobrem hanc quoque artem acquirere tenemur. Similiter ars pictoria multiplicem habet uſum etiam ad praxin moralem juvandam, ut taceamus alios levi attentione obſervandos. Quare & opera danda, ut hujus compotes reddantur, qui eandem excolere valent.

§. 262.

Quænam unicuique addiſcenda.

Quoniam fieri nec poteſt, nec etiam neceſſe eſt, ut ſinguli omnes artes calleant; igitur *ſufficit, ut quis eas artes addiſcere ſtudeat, ad quas addiſcendas maxime aptus, aut quæ ipſi maxime neceſſariæ.*

Non omnes natura apti ſunt ad omnia. Invita autem natura nil agitur. Quamobrem cum non opus ſit, ut omnes poſſint omnia; in addiſcendis artibus ſuum unuſquiſque ſequi debet genium. Unus autem, quia ſervit aliis ea, quam didicit, arte; perinde eſt ac ſi omnes eandem callerent, quoties eadem habent opus.

§. 263.

Scientia artis cur acquirenda.

Et quia haud raro uſui eſt, ut artis alicujus cognitionem diſtinctam poſſideamus, etſi ipſam acquirere minime valeamus, nullam vero prætermittere debemus occaſionem, qua rei cujuſcunque cognitionem nobis comparare valemus (§. 221.); *ſcientiam artium ut conſequamur, quantum nobis datur, ſtudendum.*

Si fieri poſſet, ut quis artes omnes calleret atque earum ſcientiam animo comprehenderet; dubitandum non eſt, quin omnes eſſent addiſcendæ & omnium ſcientia eſſet comparanda, cum homo omni perfectioni acquirendæ ſtudere debeat, quæ in hominem cadit (§. 152. *p.* 1. *Phil. pract. univerſ.*). Enimvero cum hoc fieri minime poſſit, faciendum quod poſſumus, & ut faciamus in poteſtate noſtra poſitum. Nullibi magis conſpicitur obligatio propria, quam ſupra a communi diſtinximus (§. 186), quam in artibus addiſcendis & earum ſcientia comparanda, ut adeo illam in dubium vocare nequeant, modo huc animum attendant, qui eam hactenus minime agnoverunt.

§. 264.

Quinam ad artes inveniendas & excolendas obligentur

Qui artes humano generi utiles invenire, vel inventas excolere valent, ad hoc faciendum obligantur. Quodſi enim artes fuerint humano generi utiles, ad perfectionem hominis ſtatuſque ipſius promovendam faciunt. Enimvero ſiquæ dantur ad perfectionem hominis & ſtatus ipſius promovendam neceſſaria, quæ non in omnium poteſtate ſunt, ad ea conſequenda obligantur ii, quorum in poteſtate iſta ſunt (§. 184.). Quamobrem qui artes generi humano utiles invenire, vel inventas excolere valent, ad hoc faciendum obligantur.

Idem uberius eluceſcet, ubi omnem obligationis erga alios vim intimius inſpicere nobis datum fuerit. Sufficit hic provocare ad naturæ legem, quæ præcipit, ut homines perfectionem

 ſui

ſui ſtatuſque ſui conjunctis viribus promoveant (§. 221. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*), & ut unuſquiſque ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferat, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui artes humano generi utiles inveniunt, vel inventas ad majorem perfectionis gradum evehunt, non ſolum iis proſunt, qui nunc vivunt, verum etiam ſeris nepotibus. Maxime autem humanum eſt prodeſſe multis, videbimuſque ſuo loco, quod non modo iis, qui nobiſcum vivunt, verum etiam qui olim extituri ſunt, prodeſſe debeamus, quantum datur. Arctiſſimo vinculo inter ſe colligatur totum humanum genus, ut adeo, quæ de aliorum perfectione promovenda præcipiuntur (§. 222. *p. 1. Phil. pract. univ.*), reſpiciant totum humanum genus, cum nullum inter homines ſupponatur diſcrimen, ubi de hac obligatione agitur.

§. 265.

Obligatio hominis in appetendo & averſando.

Quilibet homo obligatur ad appetendum verum bonum & averſandum verum malum. Obligatur enim ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*): obligatur etiam ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actiones liberæ a voluntate libera hominis & noluntate pendeant (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & §. 942. *Pſych. emp.*), neceſſe eſt ut non velit niſi ea, quæ ſe & alios ac ſuum aliorumque ſtatum efficiunt perfectiores; ex adverſo autem nolit ea, quæ ſe & alios ac ſuum aliorumque ſtatum faciunt imperfectiores. Eſt autem bonum verum, quod revera nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 557. *Pſych. empir.*); malum verum, quod revera nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit (§. 568. *Pſych. empir.*). Quamobrem homo obligatur ad appetendum verum bonum, averſandum verum malum.

Obligatio reſpicit voluntatem & noluntatem hominis, cujus utriuſque actus ita determinandi ſunt, ut legi naturali conſentiant. Quamobrem cum lex naturæ velit, ut conſectemur vera bona, fugiamus vera mala, neceſſe eſt ut etiam velit, appetitum non ferri niſi in bona vera, & averſationem non reclinari niſi a malis veris. Nemini ea in re aliquid ſupereſſe poteſt obſcuri, ſi facultatem appetendi & averſandi & quomodo per eas determinentur actiones liberæ hominis tam internæ, quam externæ, perſpexit.

§. 266.

Obligatio ejuſdem in diſcernendo bono & malo.

Homo obligatur ad eam cognitionem conſequendam, quæ ad bona vera ab apparentibus, mala itidem vera ab apparentibus diſcernenda ſufficit. Quilibet obligatur ad appetendum verum bonum, averſandum verum malum (§. 265.). Neceſſe igitur eſt, ut bonum verum malumque verum agnoſcat, nec utrumque cum eo, quod tale apparet, confundat, ut pro bono habeat vel malo, quod non eſt. Quamobrem cum bona apparentia nos ſtatumque noſtrum perficere videantur, cum minime perficiant (§. 557. *Pſych. empir.*), & mala apparentia tantummodo nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddere videantur, minime autem reddant (§. 568. *Pſych. empir.*), conſequenter illa tantummodo videantur bona, cum non ſint (§. 554. *Pſych. empir.*), hæc tantummodo mala videantur, cum non ſint (§. 565. *Pſych. empir.*); homo utique bona & mala vera ab apparentibus diſcernere debet, conſequenter obligatur ad eam cognitionem conſequendam, quæ ad bona & mala vera ab apparentibus diſcernenda ſufficit.

Mirum videri poterat, quod, cum nemo non agnoſcat, bona vera eſſe appetenda, mala autem vera fugienda, nec inficiari poſſit, ſiquidem hoc fieri debet, bona & mala vera ab apparentibus eſſe diſcernenda, ne ſpecie boni vel mali nobis imponat, quod tale non eſt, plurimi tamen de obligatione conſequendi eam cognitionem, quæ ad bona & mala vera ab apparentibus diſcernenda vel non cogitent, vel circa eam prorſus haud raro veluti attoniti hæreant. Sane omnes intellectus habitus, de quibus in anterioribus diximus, hoc faciunt, ut bona

Digitized by Google

bona atque mala vera ab apparentibus acute diſcernas, ne ulla unquam metuenda ſit confuſio. Conſtat autem longe plurimos hærere circa obligationem habitus iſtos conſequendi. Enimvero nobis id ipſum mirum haud quaquam videtur. Neque enim perſpiciunt, quænam ad vera bona & mala in caſu quocunque agnoſcenda & ab apparentibus diſcernenda requiruntur. Videas nonnullos fingere ſenſum moralem, quo bonum & malum diſcerni poſſe arbitrantur. Hunc cum homini connatum ſumant, neceſſe eſſe minime arbitrantur, ut theoriam quandam ſibi comparent, quæ bonis & malis veris ab apparentibus diſcernendis inſerviat. Et quamvis pauci forſan ſint, qui nomen tenent; rem ipſam tamen admittunt. Præterea ignorant, quænam mentis vis requiratur ad veram boni ac mali theoriam comparandam, ut viva ſit cognitio, qualis hic requiritur (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ne igitur præjudiciis ſane noxiis hic locus ſit, dependentia facultatis appetitivæ a cognoſcitiva probe inſpicienda: quod facit non modo Pſychologia empirica, verum etiam pars altera Philoſophiæ practicæ univerſalis. Sed plura eam in rem dicemus in Philoſophia morali. Qui ex omni ſequenti theoria Juris naturalis cognoverit, quænam ſint ea, ad quæ homo obligatur, & qualis eſſe debeat cognitio, ut certa ſit, conſequenter viva, is non modo intelliget, quod obligationi noſtræ ſatisfacturi ante omnia ſatisfacere teneamur obligationi quoad intellectum, verumetiam addiſcet, ceteras obligationes illam ſupponere.

§. 267.

Obligatio conſequendi conſenſum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali.

Opera danda eſt, ut appetitus rationalis cum ſenſitivo & averſatio rationalis cum ſenſitiva conſentiat. Quodſi enim appetitus rationalis cum ſenſitivo conſentit, ad actionem humanam rectam etiam ſenſitivus concurrit (§. 92. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ſimiliter ad eandem concurrit averſatio ſenſitiva, ſi cum rationali conſentit (§. 93. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad recte agendum (§ 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*); opera omnino danda eſt, ut appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentiant.

Summum, quod homo quoad appetitum & averſationem conſequi poteſt, conſenſus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali eſt, ut nimirum in idem, quod volumus, appetitus ſenſitivus feratur, & ex adverſo averſatio ſenſitiva aliena ſit ab eo, quod nolumus. Supponimus autem appetitum rationalem ferri in bonum verum & averſationem abhorrere a malo vero (§. 265.), hoc eſt, ut actus voluntatis & nolunitatis ſit purus, totus nempe pendeat a recto intellectus uſu. Ea humana conditio eſt, ut actibus facultatum ſuperiorum permiſceantur inferiores, a quibus vitium contrahunt: quod quando contingit, actus facultatum ſuperiorum puri non ſunt, nec rite ſeſe habent. Non exiguo acumine opus eſt, ut diſcernas, quænam in determinando actu facultatis ſuperioris pendeant a concurſu inferiorum. Non tamen acumen hoc inter ea referri debet, quæ impoſſibilia ſunt, utut acquiſitu non adeo facile.

§. 268.

Obligatio conſequendi conſenſum ſenſuum & imaginationis cum intellectu in repræſentando bono & malo.

Quoniam appetitus ſenſitivus ad conſenſum cum rationali reducitur, ſi in repræſentando bono ſenſus atque imaginatio reducuntur ad conſenſum cum intellectu, & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reducitur, ſi in repræſentando malo ſenſus atque imaginatio reducuntur ad conſenſum cum intellectu (§. 581. *part. 2. Phil. pract. univ.*), opera vero danda eſt, ut appetitus ſenſitivus cum rationali & averſatio ſenſitiva itidem cum rationali conſentiat (§. 267.); *opera* quoque *danda eſt, ut ſenſus atque imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu conſentiant.*

Intellectus, ſi eo rite utamur, nobis non repræſentat tanquam bonum, niſi quod revera tale eſt, nec tanquam malum, niſi quod revera tale eſt. Quamobrem ſi in repræſentando bono atque malo cum eodem conſentiunt ſenſus atque imaginatio, hæ ipſæ quoque facultates bonum verum repræſentant tanquam bonum & malum verum tanquam malum: quod quomodo obtineri poſſit oſtendimus in praxi generali (§. 582. 583. *par. 2. Phil pract. univ.*).

§. 269.

§. 269.

Actus voluntatis & noluntatis omnes quando inter ſe conſentiunt.

Si non volumus niſi bonum verum, nec nolumus niſi malum verum; omnes actus voluntatis & noluntatis inter ſe, tum hi cum iſtis conſentiunt. Etenim ſi non volumus niſi bonum verum, cum bonum verum revera nos ſtatumque noſtrum perficiat (§. 557. *Pſych. empir*), omnes voluntatis actus ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, conſequenter ad unum quid tendunt. Et ſimiliter ſi non nolumus niſi malum verum, cum malum verum revera nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddat (§. 568. *Pſych. empir.*), omnes actus noluntatis ad avertendam imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, adeoque denuo ad unum quid tendunt. Quoniam itaque inter ſe conſentiunt, quæ ad unum quid tendunt (§. 503. *Ontol.*); omnes actus voluntatis inter ſe conſentiunt, ſi nonniſi verum bonum volumus, & omnes actus noluntatis inter ſe conſentiunt, ſi nonniſi verum malum nolumus. *Quod erat unum.*

Enimvero qui non vult quod revera ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddit, is etiam velle debet, quod ſe ſtatumque ſuum perficit, alioqui minime ab imperfectione abhorreret. Quamobrem cum verum malum ſit, quod hominem ejuſque ſtatum revera imperfectiorem reddit, & verum bonum, quod eundem ejuſque ſtatum revera perficit (§. 568. 557. *Pſych. empir.*); ſi nolumus nonniſi malum verum, nec volumus, niſi bonum verum. Quodſi ergo nonniſi bonum verum volumus, nec niſi malum verum nolumus; actus etiam omnes noluntatis cum actibus voluntatis conſentiunt. *Quod erat alterum.*

Nolitio includit volitionem oppoſiti: ideo enim quid nolumus, hoc eſt, ut idem velimus fieri nequit, quia oppoſitum volumus. Patet hoc ex generali appetitus determinatione ad bonum, vi cujus animæ repugnat determinatio ad malum; unde appetitui jungitur averſatio. Sane ſi appetitus non tenderet ad bonum: nec homo averſaretur malum, ſed ad utrumque foret protſus indifferens.

§. 270.

Perfectio appetitus & averſationis in quo conſiſtat.

Perfectio voluntatis & noluntatis conſiſtit in conſenſu omnium volitionum ac nolitionum cum inter ſe, tum harum cum iſtis. Et perfectio appetitus & averſationis in genere conſiſtit in conſenſu omnium appetitionum & averſionum cum inter ſe, tum harum cum iſti.: perfectio autem appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ in conſenſu utriuſque cum rationali. In voluntate varietas non obtinet niſi quoad volitiones, nec in noluntate niſi quoad nolitiones. Quoniam itaque perfectio eſt conſenſus in varietate, ſeu plurium a ſe differentium in uno (§. 503. *Ontol.*); perfectio voluntatis & noluntatis conſiſtere debet in conſenſu omnium volitionum ac nolitionum cum inter ſe, tum harum cum iſtis. *Quod erat primum.*

Similiter in appetitu in genere ſpectato non concipitur varietas niſi quoad appetitiones, nec in averſatione in genere ſpectata niſi quoad averſiones. Quamobrem cum perfectio ſit conſenſus in varietate (§. 503. *Ontol.*); perfectio appetitus in genere ſpectati & averſationis in genere ſpectatæ conſiſtit in conſenſu omnium appetitionum & averſionum cum inter ſe, tum harum cum iſtis. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam itaque perfectio appetitus & averſionis in genere requirit conſenſum omnium appetitionum & averſionum inter ſe *per demonſtrata num.* 2. neceſſe eſt ut appetitiones ſenſitivæ cum volitionibus & averſiones ſenſitivæ cum nolitionibus conſentiant. Cum itaque in conſenſu plurium a ſe differentium in uno conſiſtat perfectio (§. 503. *Ontol.*); appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ perfectio conſiſtit in continuo utriuſque facultatis conſenſu cum appetitu & averſatione rationali. *Quod erat tertium.*

Non.

Nondum hinc ſatis patet, quænam ſit perfectio appetitus & averſationis in genere, voluntatis ac noluntatis, nec non appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ in ſpecie. In caſu enim particulari non ſufficit provocare ad conſenſum plurium in uno differentium; ſed in quonam hic conſenſus conſiſtat, determinandum eſt.

§. 271.

Perfectio voluntatis eſt determinabilitas ejuſdem per bonum non niſi verum; noluntatis vero perfectio determinabilitas per malum non niſi verum. Et perfectio itidem appetitus in genere conſiſtit in determinabilitate non niſi per bonum verum; averſationis in genere perfectio in determinabilitate per malum verum. Idem eodem modo ſeſe habet quoad appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam. Etenim perfectio voluntatis & noluntatis conſiſtit in conſenſu volitionum ac nolitionum omnium cum inter ſe, tum harum cum iſtis (§. 270.). Conſentiunt vero omnes actus voluntatis & noluntatis, adeoque volitiones & nolitiones omnes (§. 882. *Pſych. empir.*), cum inter ſe, tum hæ cum iſtis, ſi non niſi bonum verum volumus, nec niſi malum verum nolumus (§. 269.). Quamobrem voluntas cenſeri nequit perfecta, niſi quatenus determinatur per bonum verum, nec noluntas perfecta cenſetur, niſi quatenus determinatur per malum verum, conſequenter perfectio, quatenus conſideratur tanquam quidpiam voluntati inhærens, conſiſtit in determinabilitate nonniſi per bonum verum, & perfectio noluntatis, quatenus ſpectatur tanquam quidpiam eidem inhærens, in determinabilitate nonniſi per malum verum. *Quod erat primum.*

Idem ulterius explicatur.

Appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ perfectio conſiſtit in conſenſu utriuſque cum rationali (§. 270.). Quamobrem cum perfectio voluntatis conſiſtat in determinabilitate nonniſi per bonum verum & perfectio noluntatis in determinabilitate nonniſi per malum verum *per demonſtrata n.* 1. nec appetitus ſenſitivi perfectio conſiſtere poteſt niſi in determinabilitate per bonum verum, nec perfectio averſationis ſenſitivæ niſi in determinabilitate per malum verum. *Quod erat tertium.*

Quoniam itaque appetitus in genere comprehendit ſenſitivum & rationalem, ſeu voluntatem, & averſatio in genere ſenſitivam atque rationalem averſationem, ſeu noluntatem; ſi appetitus tam ſenſitivus, quam rationalis non ſit determinabilis niſi per bonum verum, nec averſatio tam ſenſitiva, quam rationalis determinabilis niſi per malum verum, ſingulæ appetitiones & averſiones animæ cum inter ſe, tum hæ cum iſtis conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Quoniam itaque in hoc conſenſu conſiſtit perfectio appetitus & averſationis in genere (§. 270.); appetitus in genere perfectio eſt determinabilitas ejuſdem per bonum nonniſi verum & averſationis in genere perfectio determinabilitas nonniſi per malum verum. *Quod erat ſecundum.*

* Nimirum volitiones & nolitiones, actum item appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ actiones animæ ſunt, illæ quidem omnes liberæ (§. 13. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hi quidem in ſe ſpectati naturales (§. 15. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quatenus tamen directioni animæ ſubſunt, liberis actionibus accenſendi (§. 41. & *ſeqq. part.* 1 *Phil. pract. univ.*) Pertinent igitur ad vitam moralem (§. 7. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*) & eorum conſenſus ad perfectionem vitæ moralis refertur (§ 9. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Appetitus adeo & averſationis omnis perfectio a perfectione vitæ diſtinguenda venit. Facultates animæ cum ſint potentiæ activæ (§. 29. *Pſych. empir.*), eidem non inſunt, niſi quatenus per eſſentiam & naturam animæ poſſibile concipitur, ut iſtius modi actus eliciantur (§. 716. *Ontol.* & § 61. 66. 67. *Pſych. rat.*). Perfectio adeo facultatis conſiſtere nequit niſi in eo, per quod poſſibile concipitur actus conſentientes in anima elici. Quamobrem perfectionem appetitus & averſationis concipere non datur niſi per poſſibilitatem eliciendi appetitiones & averſiones inter ſe conſentientes. Atque adeo patet, quod conſiſtere nequeat niſi in eo, quod appetitus determinabilis ſit nonniſi per bonum verum, averſatio nonniſi per verum malum, ita ut caſu emergente actu determinetur per bonum verum, nunquam autem per apparens, & averſatio actu determinetur per malum verum, nunquam autem per apparens.

§. 272.

§. 272.

Quomodo perfectio voluntatis & noluntatis ex motivis æſtimanda.

Quoniam voluntatis perfectio conſiſtit in determinabilitate per bonum nonniſi verum & perfectio noluntatis in determinabilitate nonniſi per malum verum (§. 271.), repræſentatio autem boni motiva volitionis, repræſentatio mali motiva nolitionis ſunt (§. 890. *Pſych. empir.*), *voluntas perfecta eſt, ſi motivæ non ſunt niſi bona vero*, conſequenter *ſi nunquam tendit niſi ad bonum verum, noluntas vera perfecta eſt, ſi motiva non ſunt niſi mala vera*, conſequenter *ſi nunquam abhorret niſi a malo vero*, & *perfectior cenſetur voluntas, ſi fertur in melius.*

Hinc voluntatem perfectiſſimam definivimus per eam, quæ non appetit niſi optimum (§. 65●. *Pſych. rat,*).

§. 273.

Obligatio perficiendi appetitum & averſationem omnem.

Homo voluntatem & noluntatem, appetitum etiam ſenſitivum & averſationem ſenſitivam perficere debet. Voluntas enim ſi fuerit perfecta, nunquam appetit niſi bonum verum, & noluntas ſi perfecta fuerit, non averſatur unquam niſi malum verum (§. 272.), appetitus vero ſenſitivus ſi fuerit perfectus, cum voluntate, averſatio ſenſitiva ſi perfecta fuerit, cum noluntate conſentit (§. 270.), adeoque nec ille appetit niſi bonum verum, nec hic averſatur niſi malum verum. Quoniam itaque homo obligatur ad bonum verum appetendum, malum verum averſandum (§. 265.); ad voluntatem & noluntatem, appetitum etiam ſenſitivum & averſationem ſenſitivam perficiendum obligatur.

Vulgo dicitur: voluntatem eſſe emendandam. Nimirum voluntas ſumitur ſenſu latiori, ut non modo noluntatem ſub ſe comprehendat, verum etiam ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva non diſtinguatur, quantum ſatis eſt.

§. 274.

Obligatio acquirendi habitus utendi iſtis facultatibus & abuſum vitandi.

Quoniam facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.), *homo* autem voluntatem & noluntatem, appetitum etiam ſenſitivum & averſationem ſenſitivam perficere debet (§. 273.); *omnes* quoque *habitus acquirere tenetur voluntate & noluntate, appetitu itidem ſenſitivo & averſatione ſenſitiva utendi*, conſequenter *omnem harum facultatum abuſum vitandi* (§. 646. *part. 1. Theol. nat.*).

Qui uſus & abuſus notionem diſtinctam habet, ei haud obſcurum eſſe poteſt, utrumque ſimul conſiſtere non poſſe (§. 28 *Ontol.*). Qui adeo obligatur ad faciendum uſum, ſimul obligatur ad vitandum abuſum. Quoniam lex appetitus eſt: quidquid nobis repræſentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus (§. 904. *Pſych. empir*), & lex averſationis: quicquid nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos, id averſamur (§. 907. *Pſych. empir.*); *uſus facultatis appetendi conſiſtit in eo, ut appetamus bonum verum*; *abuſus vero in eo, ut appetamus bonum apparens*, nempe malum ſub ratione boni; & *uſus facultatis averſandi in eo, ut averſemur malum verum, abuſus vero ut averſemur apparens*, nempe bonum ſub ratione mali (§. 646. *p. 1. Theol nat.*). Fieri autem non poſſe, ut ſimul appetamus bonum verum & apparens nemo non videt, qui boni veri & apparentis (§. 557. *Pſych. empir.*), itemque mali veri & apparentis notionem diſtinctam habet (§. 568 *Pſych. empir.*).

§. 275.

Quando affectus cum

Si appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit, affectus quoque cum rationali appetitu & averſatione rationali conſentiunt. Affectus vehemen-

mentiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ actus ſunt (§. 603. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit; affectus quoque cum appetitu & averſatione rationali conſentiunt. *appetitu & averſatione rationali conſentiunt.*

Non nego fieri poſſe, ut appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva, quando animus nullo affectu perturbatur, conſentiat cum rationali, affectus tamen ab eodem diſſentiant. Tenendum vero hoc contingere, ubi conſenſui iſti conſequendo & ulterius perficiendo ſtudemus, cum vero ex aſſe nondum fuimus conſecuti.

§. 276.

Habitus utendi & abutendi facultate appetendi & averſandi, inprimis rationali, ſeu voluntate & noluntate, dicuntur *habitus morales*. Illos vocare lubet, *bonos*, hos *malos* ſive *pravos*. *Habitus morales quinam ſint.*

Vulgo habitus morales dicuntur ſimpliciter habitus voluntatis, quatenus nimirum voluntas ſumitur in ſenſu latiori, ut noluntatem ſimul complectatur, nec ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva accurate diſtinguitur.

§. 277.

Habitus morales boni ſunt virtutes; pravi autem vitia. Habitus enim boni ſunt habitus utendi facultate appetendi & averſandi, inprimis voluntate ac noluntate (§. 276.). Utimur autem facultate appetendi & averſandi, quatenus non appetimus niſi bonum verum, nec averſamur niſi malum verum (*not.* §. 274.), conſequenter cum bonum verum ſit, quod revera nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 557. *Pſych. empir.*), malum autem verum, quod revera nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit (§. 568. *Pſych. empir.*), quatenus non volumus niſi quod ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendit, nec nolumus, niſi quod tendit ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri. Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ tendunt ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri & ad omittendas actiones, quæ tendunt ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & vi ejuſdem unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre obligatur, quantum conferre valet (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ea autem omittere, quæ tendunt ad imperfectionem alterius ejuſque ſtatus (§. 231. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), facultate appetendi & averſandi utimur, quatenus non volumus, niſi quæ legi naturæ conveniunt, nolumus autem quæ eidem contrariantur. Sunt adeo habitus morales boni habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi. Enimvero habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi virtutes ſunt (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo habitus morales boni ſunt virtutes. *Quod erat unum.* *Virtutes & vitia quales ſint habitus.*

Habitus morales pravi ſunt habitus abutendi facultate appetendi & averſandi (§. 276.). Abutimur autem facultate appetendi, quando appetimus bonum apparens ſeu malum ſub ratione boni, & facultate averſandi, quando averſamur malum apparens, ſeu bonum ſub ratione mali (*not.* §. 274.), conſequenter quando volumus, quod nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit; quia ad noſtram ſtatuſque noſtri perfectionem tendere videtur, & nolumus quod nos ſtatumque noſtrum revera perficit, quia nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddere videtur (§. 557. 568. *Pſych. empir.*), adeoque quando volumus, quæ lex naturæ prohibet (§. 168. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nolumus vero, quæ eadem præcipit (§. 167. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sunt adeo habitus morales pravi habitus actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præſcribitur. Quoniam itaque habitus actiones ſuas contraria ratione diri-

dirigendi, quam lege naturali præſcribitur, vitia ſunt (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); habitus morales pravi vitia ſunt. *Quod erat alterum.*

Vulgo ſumitur habitus morales eſſe virtutes atque vitia. Sed ubi veritates methodo demonſtrativa connectuntur, ſumere non licet, quæ ex notionibus demonſtrari poſſunt ac debent.

§. 278.

Obligatio colendi virtutem & vitia fugiendi. *Homo obligatur ad virtutem omnem colendam & vitia omnia fugienda.* Acquirere enim tenetur habitus facultate appetendi & averſandi utendi, omnem vero harum facultatum abuſum vitandi (§. 274.). Quoniam itaque habitus utendi facultate appetendi & averſandi ſunt habitus morales boni (§. 276.), adeoque virtutes (§. 277.), habitus autem abutendi facultate appetendi & averſandi habitus morales pravi (§. 276.), adeoque vitia (§. 277.); homo obligatur ad virtutem omnem colendam & vitia omnia fugienda.

Oſtenditur etiam hoc modo. Actiones noſtras juxta legem naturæ determinare obligamur (§. 131. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam obligamur ad eas ratione contraria minime dirigendas, quam lege naturali præſcribitur. Quoniam itaque habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi virtus eſt (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), habitus vero actiones ſuas ratione contraria dirigendi, quam lege naturali præſcribitur, vitium (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); homo obligatur ad virtutem omnem colendam & vitia omnia fugienda.

Non eſt hic locus ſingulas virtutis ſpecies & oppoſita ipſis vitia recenſendi. Quot enim ſint virtutes, quot vitia, per ea demum patebit, quæ ſucceſſive ſuo loco demonſtrabuntur.

§. 279.

Qualis hominis voluntas & noluntas eſſe debeat. *Homo operam dare tenetur, ut conſtans ipſi ac perpetua ſit voluntas non committendi actiones niſi quæ legi naturæ conformes ſunt, & noluntas conſtans & perpetua committendi actiones eidem contrarias.* Obligatur enim ad virtutem colendam & vitia fugienda (§. 278.). Enimvero ad virtutem requiritur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 328. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam noluntas conſtans & perpetua committendi actiones eidem contrarias (§. 28. *Ontol.*): in vitio autem adeſt voluntas conſtans & perpetua committendi actionem legi naturæ contrariam (§. 329. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam noluntas conſtans & perpetua committendi actiones eidem conformes (§. 28. *Ontol.*). Operam igitur dare tenetur, ut conſtans ipſi ſit ac perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturali conformes ſunt, & noluntas conſtans & perpetua committendi actiones eidem contrarias.

Videmus adeo, in quo verſari debeat omne hominis ſtudium, ſiquidem voluntatem ac noluntatem perficere voluerit. Ut vero hæc obligatio intimius perſpiciatur, repetenda ſunt, quid ſit conſtantia & perpetuitas voluntatis (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*).

§. 280.

Obligatio conſequendi felicitatem & infelicitatem vitandi. *Homo obligatur ad felicitatem conſequendam & infelicitatem fugiendam, ſeu operam dare tenetur ut ſit felix, ſibi autem cavere debet, ne ſit infelix.* Obligatur enim ad virtutem colendam, vitium vero fugiendum (§. 278.). Enimvero virtus hominem felicem reddit, nec felicitas ab ea ſejungi poteſt (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitium vero eundem reddit infelicem (§. 406. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & felix eſſe nequit qui vitio deditus (§. 403. *part.* 1. *Phil. pract.*

pract. univ.). Cum adeo obligetur ad conſequendum ea, quæ nos felices neceſſario reddunt, & ad fugiendum ea, quæ nos neceſſario infelices reddunt; quin obligemur ad felicitatem conſequendam, infelicitatem vero fugiendam, ſeu operam dare teneamur, ut ſimus felices, nobis autem cavere debeamus, ne ſimus infelices, dubitandum non eſt.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Homo operam dare tenetur, ut conſtans ipſi ſit ac perpetua voluntas non committendi actiones niſi legi naturæ conformes (§. 279.) adeoque legem naturæ ſervandi (§. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & noluntas conſtans & perpetua committendi actiones eidem contrarias (§. 279.), adeoque legem naturæ tranſgrediendi (§. 139. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed felicitatem legis naturalis cuſtodia conſequimur (§. 396. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & conſervamus (§. 397. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec aliter eandem conſequi & conſervare valemus (§. 398. 397. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), tranſgreſſione vero legis naturalis felicitatem amittimus (§. 401. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & infelices evadimus (§. 405. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Operam igitur dare tenetur homo, ut ſit felix, ſibique cavere debet, ne ſit infelix.

Etſi homines omnes per naturam ſuam appetant felicitatem (§. 324. *part.* 2. *Phil pract. univ.*) & averſentur infelicitatem (§. 325. *p* 2. *Phil. pract. univ.*); paucisſimi tamen ſunt, qui obligationem conſequendæ felicitatis & ſibi cavendi ab infelicitate agnoſcunt. Immo forſan non deerunt, quibus paradoxum videbitur, hominem obligari debere ad id, ad quod ſua ſponte naturæ quodam impetu fertur. Enimvero hi erunt, qui obligationis naturalis ortum ab ipſa natura humana intime non perſpiciunt nec perpendunt, quod generalis determinatio ad felicitatem nondum ſufficiat ad eam conſequendam, etſi naturalis obligatio eandem ſupponat, nec ſine hac eidem locus eſſet.

§. 281.

Quoniam homo obligatur ad felicitatem conſequendam, ſeu operam dare tenetur, ut ſit felix (§. 280.), felicitas vero ſtatus eſt, quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*); *homo* utique *operam dare tenetur, ut eum conſequatur ſtatum, quo vera voluptas perdurat*, conſequenter cum voluptas vera ſit, quæ ex vero bono percipitur (§. 559. *Pſych. empir.*), *ut conſtanter fruamur voluptate ex vero bono percepta*; cumque voluptas vera in ſe innocua ſit (§. 388. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *ut fruamur voluptate nonniſi innocua*, adeoque *ea*, *quæ nec in tædium degenerat, nec tædium ſive moleſtiam parit* (§. 384. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Ad qualem ſtatum internum animi conſequendum obligemur.*

Inde eſt, quod in Philoſophia morali præcepta moralia ex felicitate tanquam ex fine deducere liceat, ſi ita viſum fuerit, nec a vero aberrat, qui Ethicam habet pro ea Philoſophiæ parte, quæ modum conſequendi felicitatem docet. Immo ex notione felicitatis totum quoque Jus naturæ deduci & obligatio naturalis derivari poterat ex naturali felicitatis appetitu. Non tamen ideo exiſtimandum eſt, quaſi hoc pacto jus naturæ & obligatio naturalis non deduceretur ex ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura, in qua non minus illud (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract univ.*); quam hæc rationem ſufficientem agnoſcit (§. 143. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Etenim ubi principium hoc, actiones noſtras eſſe dirigendas ad noſtram aliorumque felicitatem, demonſtrare ac hinc alia deducere volueris, recurrendum erit ad ea, quæ homini per eſſentiam & naturam ipſius inſunt. Immo ex hoc principio faciliime demonſtratur, hominem actiones ſuas dirigere debere ad ſuam aliorumque ac ſtatus ſui aliorumque perfectionem; quod nos tanquam ſummam totius legis naturalis ſtabilivimus (§. 152. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nec inconſultum foret, ſi quis doctrinam Juris naturalis & philoſophiæ moralis, immo totius philoſophiæ practicæ ad captum popularem compoſiturus hac via incederet, cum felicitatis notio communior & captu facilior ſit notione perfectionis. Quemadmodum non inutili conſilio Geometræ doctrinam de ſectionibus conicis variis modis demonſtrant, ut alius ſumat, quod ab altero demonſtratur, demonſtrans ex eo, quod alter ſumit; ita quoque in Philoſophia practica idem facere licet. Abſit itaque ut quis ſibi perſuadeat, ſi in demonſtranda philoſophia practica & ejus inprimis theoria, Jure Naturæ, aliam viam, quam nos, ingreditur, id a nobis damnari. Modo in demonſtrando ſe probet artificem, noſtro etiam judicio omnem merebitur laudem.

§. 282.

Quinam ſtatus ſit vitandus.

Quoniam homo ſibi cavere debet, ne ſit infelix (§. 280.), infelicitas vero ſtatus eſt, quo tædia ſive moleſtiæ perdurant (§. 637. *Pſych. empir.*); *homo utique operam dare tenetur, ut eum ſtatum evitet, quo tædia ſive moleſtiæ perdurant*, conſequenter cum voluptas nocua tædium vel moleſtiam pariat, vel etiam in tædium degeneret (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ne fruantur voluptate nocua, præſertim tranſitoria*, utpote quæ nonniſi exiguo temporis ſpatio durat, nunquam reditura (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Si quis præcepta moralia ex felicitate tanquam ex fine deducere voluerit (*not. §. 281.*), eidem etiam oppoſiti nimirum infelicitatis habenda eſt ratio: id quod & de Jure naturæ, immo tota philoſophia practica tenendum.

§. 283.

Voluptas tranſitoria quando illicita.

Voluptas tranſitoria illicita eſt, ſi fuerit nocua. Etenim homo ſibi cavere debet, ne fruatur voluptate nocua, præſertim tranſitoria (§. 282.). Quoniam itaque illicitum eſt, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); voluptas omnino tranſitoria illicita eſt, ſi fuerit nocua.

Nimirum *voluptas* dicitur *illicita*, quatenus ejus fruitio illicita, quemadmodum divitiæ appellantur injuſtæ, vernaculo ſermone ungerechtes Gut, quæ injuſte fuerunt partæ. Sunt qui omnem voluntatem tranſitoriam damnant, quia tranſitoria. Enimvero ex eo ſolo, quod voluptas tranſitoria nonniſi exiguo temporis ſpatio durat, nunquam reditura (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*), demonſtrari nequit, ea non eſſe fruendum, conſequenter eandem illicitam eſſe.

§. 284.

Jus ad ea, quæ ad felicitatem noſtram neceſſaria.

Lex naturæ dat nobis jus ad ea, quæ ad felicitatem conſequendam, conſervandam & augendam requiruntur. Etenim lex naturæ nos obligat ad felicitatem conſequendam (§. 280.); dat vero nobis etiam jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nobis etiam dat jus ad ea, quæ ad felicitatem conſequendam, conſequenter & conſervandam atque augendam requiruntur.

Hoc principium fœcundiſſimum eſt, ita ut omnia jura, quæ hominibus natura competunt, hinc deducere liceret, ſiquidem ex notione felicitatis omnem Juris naturæ doctrinam demonſtrare velimus.

§. 285.

Quando voluptas tranſitoria æquipolleat veræ.

Voluptas tranſitoria æquipollet voluptati veræ, ſi fuerit innocua. Cum enim voluptas vera ſit innocua (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ubi etiam tranſitoria fuerit innocua, non alia inter eam & voluptatem veram differentia intercedit, niſi quod illa nonniſi exiguo temporis ſpatio duret, nunquam reditura (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*), hæc autem, utpote ex vero bono percepta (§. 559. *Pſych. empir.*), conſtans ſit (§. 564. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque hæc differentia non attenditur, ubi de ſtatu ſermo eſt, in quo voluptas tædia ſive moleſtias excludit; perinde omnino eſt, ſive vera fruaris voluptate, ſive tranſitoria innocua, eo ſcilicet momento, quo eadem frui tibi datur. Atque adeo voluptas tranſitoria, ſi fuerit innocua, veræ æquipollet.

Ex. gr. Suavitas guſtus, qui ex cibo ac potu ſalubri percipitur, voluptas innocua eſt, cum metuendum non ſit, ne tibi ideo pervoranda ſint tædia; quia eadem frui tibi datum. Perinde igitur eſt, ac ſi voluptate vera tibi eo momento frui datum fuiſſet. Illa igitur voluptas in locum veræ ſubſtitui poteſt, nulla facta quoad ſtatum animi mutatione, Æquipollet adeo in hoc caſu voluptati veræ, utut eo ſaltem momento percipiatur, quo cibum comedis vel potum hauris[1]. Nimirum ſi illo momento veram percepiſſes voluptatem, voluptate innocua tibi frui datum fuiſſet, nec metuendum fuiſſet, ut propterea unquam tædiis affectus fuiſſet animus. Sed idem obtinet, ubi ſuavitate guſtus, qui ex cibo ac potu percipitur, delectaris. Tranſitoria igitur hæc voluptas, quia innocua, veræ æquipollet.

§. 286.

Quando voluptas tranſitoria felicitatem augeat & eadem fruendi jus nobis ſit.

Quoniam felicitas ſtatus eſt, in quo vera voluptas perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), voluptas vero tranſitoria, ſi fuerit innocua, veræ æquipollet (§. 285.); *voluptas tranſitoria, ſi innocua fuerit, felicitatem auget*, conſequenter cum nobis jus ſit ad ea, quæ felicitatem augent (§. 284.) *jus nobis eſt voluptate tranſitoria fruendi, ſi innocua fuerit.*

Quodſi ergo quis cibum ſalubrem comedit, qui bene ſapit, ob ſaporem gratum eundem præferens alteri æque ſalubri, ſed minus ſapido, id jure facit. Falluntur autem, qui ſibi perſuadent, lege naturali prohibitum eſſe, ut ob ſaporem nobis gratum cibum unum alteri præferamus, ſi uterque fuerit æque ſalubris.

§. 287.

Quando licita.

Voluptas tranſitoria licita, ſi fuerit innocua. Si enim voluptas tranſitoria innocua fuerit, eadem fruendi nobis jus eſt (§. 286.). Enimvero id licitum eſt, ad quod agendum tantummodo jus habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem licitum eſt voluptate tranſitoria frui, ſi fuerit innocua, conſequenter voluptas tranſitoria, ſi innocua fuerit, licita.

Nimirum *licita* dicitur *voluptas*, qua frui licitum eſt, quemadmodum *illicita*, qua frui non licet. Licitum nullam involvit obligationem, adeoque non peccat, qui idem non facit: aſt illicitum involvit obligationem, ut peccet, qui idem facit (§. 170. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ita in eligendo cibo ſalubri præferre licet eum, qui bene ſapit, ſaporis gratia, quo delectamur; non tamen peccat, qui, cum hoc cibo veſci poſſet, comedit alium minus grati ſaporis. Non eſt quod excipias hominem obligari ad felicitatem conſequendam (§. 280.), conſequenter cum voluptas tranſitoria, ſi innocua fuerit, ad eandem quid conferat (§. 286.), obligari quoque ad fruendum voluptate tranſitoria innocua: Etenim obligatio ad felicitatem conſequendam, conſequenter vera voluptate fruendum (§. 636. *Pſych. empir.*), non naſcitur ex eo, quod innocua ſit, qua in ſe ipſi æquipollet tranſitoria innocua, ſed quod illa oriatur ex vera perfectione (§. 514. *Pſych. empir.*), ad quam conſequendam obligamur (§. 152. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Vera igitur voluptas ſemper præſupponit aliquam obligationem, cui ſatisfieri debet, antequam eidem locus concedatur: at voluptas tranſitoria non item, neque enim in dato caſu obligaris cibum ſapidum præferre minus ſapido, ſi uterque fuerit æque ſalubris. Immo emergere poſſunt circumſtantiæ, quibus obligaris ad non præferendum.

§. 288.

Obligatio acquirendi dominii in ſenſus, imaginationem atque affectus.

Homo obligatur ad dominium perfectum in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum. Etenim in dominio perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſemper conſentit (§. 572. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nec ulla unquam datur pugna partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi (§. 573. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Perpetuus quoque eſt conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu, nec ullus unquam inter haſce facultates datur diſſenſus (§. 577. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero obligamur non minus ad conſenſum ſenſuum atque imaginationis cum intellectu in repræſentando bono & malo (§. 268.), quam ad conſenſum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, adeoque etiam affectuum (§. 275.), cum appetitu & averſatione rationali con-

conſequendum (§. 267.). Quamobrem etiam obligamur ad dominium perfectum in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum.

Non eſt quod excipias, fieri non poſſe, ut homo perfectum dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirat. Neque enim jam quæritur, quantum obligationi huic ſatisfacere poſſimus, ſed quouſque ſeſe extendat, ut intelligatur, ſemper hominem unumquemque omnem lapidem movere debere, ut dominii hujus particeps fiat, ne quid ſua culpa prætermittat, quod huc facere poterat. Tendendum ad ſummum tanquam metam, etſi in gradu remotiori ſit ſubſiſtendum tanquam metam nondum aſſecutis. Peccant itaque, qui ſegnes efficiuntur, propterea quod de facultatibus ſuis deſperant, antequam omnem earum uſum fecerunt. Ardua eſt obligatio, de qua hic agitur. Supponit enim uſum omnium facultatum animæ, qui concipi poteſt. Facultates autem homini non alio fine a Deo datæ intelliguntur, quam ut iiſdem utamur, quo vitam hominis vivamus, & quos natura a brutis diſtinguit, ab iiſdem quoque vivendi more nos diſtinguamus.

§. 289.

Senſus, imaginatio & affectus rationi ſubjiciendi.

Quoniam dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus conſiſtit in vi reſiſtendi ſenſui, imaginationi atque affectibus, ne prævaleant adverſus rationem (§. 554. *part. 2. Phil. pract. univ.*), homo autem obligatur ad dominium perfectum in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum (§. 288.); ideo *operam dare tenemur, ut in quocunque caſu ſenſui, imaginationi atque affectibus reſiſtamus, ne prævaleant adverſus rationem*, conſequenter *ſenſus, imaginatio atque affectus rationi ſubjici debent*.

Senſus, imaginatio atque appetitus ſenſitivus homini cum brutis communes ſunt (§. 754. 755. 757. *Pſych. rat.*), ratio autem eundem a brutis diſtinguit (§. 762. *Pſych. rat.*). Bruta igitur non agunt niſi ſenſuum atque imaginationis impetu appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ convenienter, aut, ſi mavis, impetu appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ convenienter repræſentationibus a ſenſu & imaginatione factis. At homo, qui intellectu, adeoque ratione, & voluntate ac noluntate libera gaudet, uſum facultatum ſuperiorum, intellectus ſcilicet ac voluntatis & noluntatis liberæ cum uſu facultatum inferiorum, ſenſus ſcilicet, imaginationis, appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ conjungere, cumque facultates inferiores in conſenſum cum ſuperioribus pertrahere debeat, ubi illæ in contrarium nituntur, iiſdem reſiſtere tenetur. Atque hoc pacto ſenſus, imaginatio atque affectus ſubjiciuntur rationi, ut facultatibus ſuperioribus ſerviant earundemque uſum promoveant.

§. 290.

Quod unusquisque dominus ſui ipſius eſſe debeat.

Quia dominus ſuipſius eſt, qui ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem, eorumque uſum rationi convenienter determinat (§. 555. *part. 2. Phil. pract. univ.*), operam autem unuſquiſque dare tenetur, ut in quocunque caſu ſenſui, imaginationi atque affectibus reſiſtat, ne prævaleant adverſus rationem, & ſenſum, imaginationem atque affectus rationi ſubjiciat (§. 289.), adeoque eorum uſum rationi convenienter determinet; *Homo dominus ſui ipſius eſſe debet*.

§. 291.

Affectus compeſcere quid ſit.

Affectus compeſcere dicimur, ſi iis reſiſtimus, ne in actus externos legi naturæ contrarios, ad quos tendunt, erumpant.

Ex. gr. Ad iram commovetur animus verbis injurioſis alterius. Tendis adeo ad actus externos, quibus injuriam vindicare cupis. Quodſi ergo impetui affectus reſiſtas, quo minus opere ipſo exequaris, quæ inſtillat, iram compeſcere dicendus es.

Digitized by Google

§. 292.

Affectus regere dicimur, ſi eos dirigimus ad actiones legi naturæ convenientes. *Affectus regere quid ſit.*

Ita regimus affectum gloriæ, ſi eodem utamur ad recte agendum & ad vitandam culpam. Regimus iram, ſi eam dirigimus in odium facti injuſti, non vero in odium perſonæ, ut improbemus, quod fecit alter; non tamen ideo eidem ægre facere velimus, quemadmodum jubet Apoſtolus iraſci, ſed peccare vetat.

§. 293.

Affectus ſedare dicimur, ſi operam damus, ut, ubi ſubito corripiunt animum, rurſus extinguantur. *Affectus ſedare quid ſit.*

Hinc animus ſedatus appellatur, qui nullo affectu perturbatur, ſed ab omni liber eſt.

§. 294.

Affectus compeſcere debemus. Dominium enim in affectus acquirere debemus (§. 288.). Quoniam itaque dominium in affectus habet, qui iiſdem reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem (§. 554. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum eorum impetu ad agendum, vel non agendum abripiamur (§. 536. *part. 2. Phil. pract. univ*), ne abripiamur ad actiones rationi, conſequenter legi naturali contrarias (§. 57. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero affectus compeſcit, qui iis reſiſtit, ne in actus externos legi naturæ contrarios, ad quos tendunt, erumpant (§. 291.). Affectus igitur compeſcere debemus. *Obligatio affect. compeſcendi.*

De hac obligatione nemo dubitare poteſt. Poterat ſumi abſque demonſtratione vi obligationis generalis ſervandi naturæ legem. Nos autem non ſumere, niſi quod poſſibile, non minus experientia conſtat, quæ affectus compeſci poſſe loquitur, quam per ea patet, quæ de dominio in affectus acquirendo demonſtravimus in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis, & in ſpecie de ſingulis affectuum ſpeciebus demonſtrabuntur ſuo tempore in Philoſophia morali.

§. 295.

Affectus regere debemus. Opera enim nobis danda eſt, ut appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva, conſequenter etiam affectus (§. 275.), cum appetitu & averſatione rationali conſentiant (§. 267.), conſequenter ut dominium perfectum in affectus conſequamur (§. 572. *part. 2. Phil. pract. univ.*), adeoque unusquiſque fiat dominus ſui ipſius (§. 555. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui dominus ſui ipſius eſt, ſollicite cavet, ne in determinandis actionibus ſuis latum unguem a lege naturali recedat (§. 556. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quare ſi opera danda, ut affectus cum appetitu & averſatione rationali conſentiant, ſollicite cavendum, ne affectus ad alias actiones tendant, quam quæ legi naturali conformes ſunt. Enimvero affectus regere dicimur, ſi eos dirigimus ad actiones legi naturæ convenientes (§. 292.). Affectus adeo regere debemus. *Obligatio affectus regendi.*

Regimen affectuum vulgo ſenſu vago extenditur etiam ad affectus compeſcendos & ſedandos. Enimvero patebit ſuo tempore in Philoſophia morali, ipſum ab habitu eoſdem compeſcendi atque ſedandi diſtinguendum eſſe.

§. 296.

Obligatio affectus ſedandi.

Affectus ſedare tenemur, quamdiu eos regere nondum valemus. Etenim quamdiu affectus nondum regere valemus, eos ad actiones legi naturæ conformes dirigere nondum didicimus (§. 292.), adeoque ſi nihil obſtet, quo minus agamus, vel non agamus, fieri poteſt, ut eorundem impetu abripiamur ad actiones legi naturæ contrarias, aut ſi deſit occaſio agendi, ſaltem propoſitum agendi vel non agendi legi naturæ contrarium naſcatur (§. 536. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem opera danda, ut, ubi ſubito affectus corripiunt animum, ſtatim rurſus extinguantur. Quoniam itaque affectus ſedantur, ubi, dum ſubito corripiunt animum, rurſus extinguuntur (§. 293.); affectus ſedare tenemur, quamdiu eos regere nondum valemus.

Nimirum ſi affectus regere valemus, eos dirigere poſſumus ad actiones legi naturæ convenientes (§. 292.), conſequenter tum proſunt, non nocent. Atque adeo non opus eſt, ut, ubi animum corripiunt, rurſus extinguantur, conſequenter ſedandi non ſunt (§. 293.).

§. 297.

Caſus alius.

Si affectus attentionem in dato caſu conſervandam impediunt, ſedandi ſunt. Etenim ſi attentionem in dato caſu conſervandam impediunt, per ſe patet, quod animus ab iiſdem ſit liberandus, conſequenter ubi is iiſdem corripitur, ſtatim extinguendi. Quoniam itaque affectus ſedantur, ſi, ubi ſubito animum corripiunt, rurſus extinguuntur (§. 293.); affectus ſedandi ſunt, ſi attentionem in dato caſu conſervandam impediunt.

Hoc principium uſui eſt in culpa evitanda, ea præſertim, quæ ex defectu attentionis oritur, incogitantia ſcilicet (§. 748. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 298.

Obligatio conſequendi ſummum bonum, fugiendi ſummum malum.

Homo obligatur ad ſummum bonum conſequendum; malum vero ſummum fugiendum. Obligamur enim ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas eas, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque opera nobis danda eſt, ut continuo progrediamur ad majores in dies perfectiones, conſequenter ſi qua progreſſum impediunt, eadem removeamus. Quamobrem cum non impeditus progreſſus ad majores continuo perfectiones ſummum bonum ſit (§. 374. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), continuus autem progreſſus ad majores indies imperfectiones ſummum malum (§. 375. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); homo utique obligatur ad ſummum bonum conſequendum, malum vero ſummum fugiendum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Summum bonum acquiritur cuſtodia legis naturalis (§. 376. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), in ſummum vero malum incidimus ejuſdem tranſgreſſione (§. 377. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quod obligemur ad legem naturæ ſervandam, eam vero minime tranſgrediendam, nemo eſt qui dubitet (§. 138. 139. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Obligamur itaque ad ſummum bonum conſequendum, ſummum vero malum fugiendum.

§. 299.

Obligatio vitandæ culpæ.

Culpam quamlibet vitare obligamur. Obligamur enim ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ad vitandum quemlibet defectum rectitudinis actionis, quem evitare in poteſtate noſtra eſt, adeoque vincibilem

lem (§. 692. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque defectus rectitudinis actionis vincibilis culpa eſt (§. 696. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Culpam quamlibet vitare obligamur.

Oſtenditur idem hoc modo. Homo obligatur, ut conſcientiam ſuam cuſtodiat (§. 610. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Enimvero qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult culpam omnem evitare tenetur (§. 637. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Culpam igitur quamlibet vitare obligamur.

Culpæ vitandæ obligatio probe tenenda: erit enim uſui ad demonſtranda alia in ſequentibus.

§. 300.

Quoniam culpæ in genere ſic dictæ ſpecies eſt dolus (§. 701. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), culpam vero quamlibet vitare debemus (§. 299.); *Dolum quoque vitare debemus.* *Obligatio vitandi doli.*

Omnis adeo dolus adverſatur legi naturali & actio doloſa eidem repugnat etiam quatenus doloſa eſt.

§. 301.

Similiter quia culpæ in ſpecie ſic dictæ ſpecies ſunt incogitantia (§. 749. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), negligentia (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), inconſiderantia (§. 761. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), improvidentia (§. 768. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præcipitantia in agendo (§. 774. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), imprudentia (§. 777. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), incuria (§. 780. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & culpa media (§. 784. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad quamlibet vero culpam vitandam obligamur (§. 299.); *ad vitandam incogitantiam, negligentiam, inconſiderantiam, improvidentiam, præcipitantiam in agendo, imprudentiam, incuriam & culpam mediam obligamur.* *Obligatio vitandæ cujuslibet ſpeciei culpæ in ſpecie ſic dictæ.*

Facile apparet, quando de obligatione vitandæ culpæ ſermo eſt, culpam in concreto intelligi, quæ ſcilicet æſtimatur ex non uſu facultatum hujus præciſe agentis in individuo (§. 781. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quod vero de dolo modo annotavimus (*not.* §. 300.), idem quoque de qualibet culpæ in ſpecie ſic dictæ ſpecie tenendum.

§. 302.

Quicquid agimus, omnem facere debemus facultatum noſtrarum uſum, quem habere poſſunt. Etenim in qualibet actione, qualiſcunque tandem ea fuerit, culpam omnem evitare debemus (§. 299.). Enimvero culpam evitaturus omnem facere tenetur uſum facultatum ſuarum, quem habere poſſunt (§. 642. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quicquid ergo agimus, omnem facere debemus facultatum noſtrarum uſum, quem habere poſſunt. *Ad quemnam facultatum uſum in qualibet actione obligemur.*

Hinc non mirum, quod obligemur ad conſequendum habitum omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu nobis poſſibilem (§. 211.), ut prompte cujuslibet uſum facere poſſimus, quando opus eſt (§. 428 *Pſych. empir.*). Fluit autem obligatio ad faciendum omnem facultatum ſuarum uſum, quem in qualibet actione habere poſſunt, ex obligatione ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil pract. univerſ.*), quippe cum recta actio omnem culpam excludat (§. 696. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 303.

Organa corporis alia deſtinantur vitæ hominis & ſpeciei conſervandæ; alia ſenſationi ac pendentibus inde actibus imaginationis; alia motui locali membrorum ex- *Diverſitas organorum corporis.*

Digitized by Google

ternorum totiusque corporis. Patet hoc a poſteriori, præſertim ſi librum quendam anatomicum evolvere volueris diverſitatem organorum corporis humani & uſum eorundem cogniturus.

Hæc organorum corporis diviſio adeo manifeſta eſt, ut in dubium revocari minime poſſit, modo omnium organorum corporis uſum habueris perſpectum, quem in parte tertia Phyſicæ de uſu partium idiomate patrio explicavimus, ſuo tempore Latino quoque eundem uberius expoſituri. Etſi adeo lubentiſſime, quantum fieri poteſt, terminos veterum conſervemus, quibus rerum differentias ſignificare voluerunt, ne a recepto loquendi uſu recedamus; quoniam tamen hic magis hypotheſibus indulgent tam Phyſici, quam Medici, ex rebus potius, quam hypotheſibus ſapere maluimus. Præmittenda vero quædam ſunt de corpore humano, ut demonſtrari poſſit, in quonam corporis perfectio conſiſtat, & quænam hominis ſit quoad corpus ſuum obligatio. Quoniam itaque diviſio organorum corporis huic, quem intendimus, fini ſatisfacit; ea tanto minus improbari poteſt.

§. 304.

Organorum genera. Organa, quæ vitæ ac ſpeciei conſervationi deſtinantur, *vitalia*, quæ ſenſationi ac pendentibus inde actibus imaginationis inſerviunt, *ſenſoria*; quæ denique ad motum localem membrorum externorum totiusque corporis faciunt, *moventia* appellare lubet. *Organa ſenſoria externa* vocantur, quæ extus in corpore comparent; *interna* vero, quæ intra idem latent.

Organa ſenſoria externa notiſſima patent per ea, quæ de organo ſenſorio in genere (§. 66. *Pſych. empir.*) & de ſenſuum ſpeciebus (§. 69. & *ſeqq. Pſych. empir.*) diximus. Quænam vero ſint organa ſenſoria interna, ex iis intelligitur, quæ de ideis rerum ſenſibilium materialibus (§. 112. & *ſeqq. Pſych. rat.*) docuimus. Quod vero eadem organa, quæ inſerviunt ſenſationi internæ, quatenus ſcilicet ſenſatio dicit mutationem in corpore factam, actibus imaginationis deſtinentur, ex iis conſtat, quæ de facultate imaginandi, quatenus in corpore reſidet, demonſtravimus (§. 205. & *ſeqq. Pſych. rat.*); Cumque operationibus intellectus in corpore non reſpondeant niſi ideæ materiales in cerebro (§ 397. 403. 415. *Pſych. rat.*); organa ſenſoria interna eadem ſunt, quibus harmonia inter corpus & animam quoad omnes animæ mutationes ex parte facultatis cognoſcendi conſervatur. Præter organa adeo ſenſoria interna & externa non dantur alia, quæ ad facultatem cognoſcendi reſpectum quendam habent. Appetitui autem & averſationi reſpondent organa moventia.

§. 305.

Actiones organis propriæ. *Cuilibet organo per eſſentiam ipſius & naturam corporis ſuæ conveniunt actiones.* Sumimus hoc tanquam experientia comprobatum: ſuo autem loco in Phyſica idem oſtendetur.

Ita ex. gr. ventriculus digerit cibos: cor impellit ſanguinem, ut moveatur per arterias, & inde per venas ad cor refluat: ope pulmonum fit reſpiratio: pedibus incedimus: manibus res apprehendimus: oculo viſibilia, auribus ſonos percipimus.

§. 306.

Facultates corporis, vitalis, ſenſitiva, locomotiva. Quatenus actiones certæ per eſſentiam ſeu ſtructuram organi concipiuntur poſſibiles, ad actum perducendæ per naturam corporis, corpori tribuuntur facultates. Unde tot concipiuntur facultates, quot dantur organorum genera. Quamobrem cum alia organa ſint vitalia; alia ſenſoria externa & interna, alia moventia (§. 304.), corpori tribuitur *Facultas vitalis*, qua perficiuntur actiones ad vitæ ſeu individui & ſpeciei conſervationem neceſſariæ: *Facultas ſenſitiva*, qua perficiuntur functiones ad ſenſibilia percipienda neceſſariæ: *Facultas motrix locomotiva*, qua perficiuntur motus membrorum externorum corporis totiusque corporis.

Galenus actiones corporis dividit in actiones naturales, vitales & animales *c. 3. de ſympto*-
ma-

Digitized by Google

matum differentiis & *cap.* 10 *de methodo medendi*. Unde juxta ipſum tres tribuuntur corpori *facultates* nimirum *naturalis*, qua perficiuntur actiones ad individui ac ſpeciei conſervationem neceſſariæ, veluti nutritio, ſuctio (quamdiu ſcilicet corpus augetur), & generatio; *vitalis*, qua perficitur circulatio ſanguinis, a qua vitam hominis pendere conſtat, & *animalis*, qua perficiuntur ſenſationes & motus locales exteriorum corporis membrorum totiuſque corporis. Facile apparet, nos facultatem naturalem & vitalem ad unum genus reducere & utrique facultatis vitalis nomen imponere, quemadmodum ex adverſo *Galenus* facultatem ſenſitivam & motricem ſeu locomotivam ſub eodem genere facultatis animalis tanquam duas ſpecies complectitur. Immo ipſe *Galenus* facultatem, quam vocat vitalem ſubinde ſub naturali comprehendit: unde *c. 3. de ſympt. diff.* tantummodo duas facultates commemorat, naturalem ſcilicet & animalem. Nimirum veteres in diſtinguendis facultatibus corporis reſpexere ad hypotheſin de triplici anima, vegetativa nimirum, ſenſitiva & rationali, quarum duæ priores organis corporeis habent opus, tertia vero actiones ſuas perficit abſque organis. Unde manavit diſtinctio facultatum in naturalem & animalem. A naturali tamen ſubinde diſtinxerunt vitalem, aliis eandem nunc ad naturalem, nunc ad animalem referentibus, nunc pro mixta ex naturali & animali habentibus, quia illo tempore natura animæ nondum erat perſpecta, nec mechaniſmus corporis patebat, ut adeo quid corpori, quid animæ ſit tribuendum, dilucide non conſtaret. Enimvero poſtquam in Pſychologia abunde explicavimus, quæ animæ ſint tribuenda, & quales mutationes requirantur in corpore, ut perpetua harmonia inter mutationes animæ ac corporis conſervetur; pro diverſo fine organorum eadem dividere & hinc facultatum corpori tribuendorum genera definire viſum fuit. Etſi autem in Phyſica per mechaniſmum corporis explicaturi ſimus actiones, quarum reſpectu corpori diverſæ tribuuntur facultates, nec probemus *βαττολογίαν* Scholæ, qua facultates tanquam cauſæ illarum actionum allegantur; hic tamen in iis tanquam a poſteriori ſumtis acquieſcere licet, nec ad ea, quæ ſequuntur, opus habemus explicatione a priori. Sufficit, quod diſtincte ſatis explicaverimus, quo ſenſu corpori facultates tribuantur perinde ac animæ in Pſychologia empirica, ut nullum hinc veritati præjudicium metuendum ſit. Quæſtio hic tantummodo eſt de eo, an ſit, non vero de eo, cur ſit. Hic nobis reſponſio ad quæſtionem priorem ſufficit: reſolutione poſterioris non habemus opus. Cavendum tantummodo, ne quæſtionem, cur ſit, cum altera, an ſit, confundamus. Ita facultatem digerendi cibos in ventriculo ſumimus tanquam phænomenon, cujus cauſa, per quam a priori explicatur, non attenditur, de ratione nondum ſolliciti, cur cibos digerat ventriculus: nequaquam vero, ubi quæritur, cur hoc fiat, reſpondemus, id fieri ob facultatem concoctricem ſeu digerendi facultatem. Nimirum dum ventriculo hanc facultatem tribuimus, non aliud inſinuamus, quam quod per ipſum poſſibile ſit, ut cibi eidem ingeſti digerantur: id quod veritati conſentaneum eſſe experientia conſtat, atque adeo inter phænomena referendum (§. 215. *Coſmol.*). Et idem ſentiendum eſt de facultate quacunque alia, ſive in genere, ſive in ſpecie corpori tributa. Veteres in obſervando ſatis fuere ſolertes & in diſtinguendis iis, quæ obſervarunt, ſatis acuti; ſed in rationibus reddendis parum felices.

§. 307.

Uſus facul-tatis vitalis undenam ſit.

Uſus facultatis vitalis homini natura ineſt, non demum acquirendus. Conſtat experientia organa vitalia functiones ſuas obire, quamprimum infans in lucem editus, immo jam in utero materno, quamprimum ſtructura eorundem perfecta. Nemo eſt, qui doceat infantem, quomodo organis iſtis uti debeat, ut rite munere ſuo fungantur. Patebit idem ſuo tempore a priori in Phyſica, ubi per ſtructuram eorundem explicaturi ſumus ipſorum actiones. Quoniam itaque uſus facultatis vitalis homini ineſt ſine prævio exercitio, natura vero ineſt, quod ſine prævio exercitio inexiſtit, non demum acquiritur (§. 425. *Pſych. empir.*); uſus facultatis vitalis natura ineſt homini, non demum acquiritur.

Nemo eſt, qui ea de re dubitet: non tamen ideo propoſitio præſens prætermittenda erat, propterea quod eadem opus habemus ad demonſtranda ſequentia. Cum enim hic doceri debeat, quænam ſit hominis erga ſeipſum quoad corpus obligatio; probe a ſe invicem diſtinguenda ſunt ea, quæ natura inſunt, ab iis, quæ acquiruntur.

§. 308.

An actiones vitales ſubſint directioni animæ.

Actiones facultatis vitalis non ſubſunt directioni animæ, ſed ſingula organa agunt, quod ſuum eſt, anima inſcia & inconſulta. Patet itidem a poſteriori. Ventriculus

lus digerit cibos, anima inſcia & inconſulta, nec hæc eidem præſcribere valet, num & quomodo eundem digerere debeat. Idem obſervamus in ſeparatione chyli a cibo digeſto in inteſtinis, in ſecretionibus a ſanguine per arterias & venas circulante ope glandularum factis. Similiter ſemen virile ſecernitur in teſticulis, nobis de eo non cogitantibus. Ratio conſtabit ſuo loco a priori, ubi haſce actiones per mechaniſmum corporis & ſingulorum organorum vitalium explicaturi ſumus.

Sermo hic eſt de ipſa actione organi, non vero de applicatione objecti ad organa, in quod agunt, veluti de ingeſtione cibi in ventriculum, quem digerit. Hæc enim alia actio eſt, quæ ad facultatem locomotivam ſpectat. In cibum vero ingeſtum ventriculus agit, animæ voluntate ac noluntate non influente. Non confundenda ſunt, quæ acute diſtingui opus eſt. Dependent actiones diverſarum facultatum a ſe invicem in corpore humano, ut adeo omnes omnium ſimul conſtituant ſeriem actionum inter ſe connexarum: qui nexus tum erit manifeſtus, ubi in Phyſica ſingulorum organorum actiones per eorundem ſtructuram explicaverimus.

§. 309.

Actiones facultatis vitalis quales ſint.

Quoniam actiones facultatis vitalis non ſubſunt directioni animæ, ſed ſingula organa agunt, quod ſuum eſt, anima inſcia & inconſulta (§. 308.), per liberam voluntatem & noluntatem animæ non intelligitur, cur agant & cur hoc potius modo agant, quam alio, conſequenter in voluntate & noluntate animæ nulla continetur ratio, cur potius agant, quam non agant, & cur potius agant hoc modo, quam alio (§. 56. *Ontol.*), conſequenter actiones facultatis vitalis non dependent a libertate hominis (§. 851. *Ontol.*), adeoque per eſſentiam & naturam corporis determinantur (§. 113. *Ontol.*). Quamobrem cum actiones corporis ſint naturales vel neceſſariæ, minime autem liberæ, quæ per eſſentiam & naturam corporis determinantur, minime autem a libertate animæ pendent (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *actiones facultatis vitalis naturales ſeu neceſſariæ, minime autem liberæ ſunt.*

Ita ventriculus neceſſario digerit cibum, dum eundem digerit, & neceſſario ita digerit cibum, non aliter, neque tui eſt arbitrii, num & quali modo eundem dirigere debeat.

§. 310.

Uſus facultatis ſenſitivæ unde nam ſit.

Uſus facultatis ſenſitivæ homini natura ineſt, non demum acquirendus. Conſtat ex anterioribus (*not.* §. 306.), uſum facultatum inferiorum animæ pendere ab uſu facultatis ſenſitivæ corporis, nec ea de re ullum ſupereſſe poteſt dubium ei, qui in Pſychologia fuit verſatus, quippe cui perſpectum eſt poſita mutatione in corpore, facultati ejuſdem ſenſitivæ tribuenda (§. 306.), poni mutationem in anima (§. 948. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque in ſuperioribus oſtendimus uſum facultatum inferiorum animæ homini natura ineſſe, non demum acquiri (§. 200.); hoc ipſo jam probavimus, uſum facultatis ſenſitivæ homini natura ineſſe, non demum acquiri.

Immo ſi probationem ſuperiorem perpendere volueris, animadvertes, nos revera oſtendiſſe, quod uſus facultatis ſenſitivæ, quæ corpori tribuitur, natura inſit, non demum acquiratur, ac inde collegiſſe uſum facultatum animæ inexiſtentium ob utriuſque individuum nexum, a nemine in dubium vocatum, nec vocandum.

§. 311.

§. 311.

Qualis ſint facultatis ſenſitivæ actiones.

Actiones facultatis ſenſitivæ in ſe ſpectatæ neceſſariæ ſunt ſeu naturales. Etenim quando objectum in organum ſenſorium agit, quæcunque tandem hic ſequatur actio facultatis ſenſitivæ, ea per ſtructuram organi & naturam corporis determinatur (§. 277. *Coſmol.*), ac motu per nervum ſenſorium ad cerebrum propagato excitatur idea materialis (§. 112. *Pſych. rat.*) quæ reproducit ideam materialem antea cum eadem actione ſenſibilis in organum ſenſorium productam (§. 226. *Pſych. rat.*), quæ ad imaginandi facultatem materialem ſpectat (§. 227. *Pſych. rat.*), ſub facultate ſenſitiva corporis comprehenſam (*not.* §. 306.). Nihil hic dependet a voluntate & noluntate libera animæ. Quamobrem cum actiones neceſſariæ ſeu naturales ſint, quæ per eſſentiam & naturam corporis determinantur, a libertate autem animæ minime pendent, (§. 12. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); actiones facultatis ſenſitivæ in ſe ſpectatæ neceſſariæ ſunt ſeu naturales.

Facultas ſenſitiva non fungitur munere ſuo, quia via, ut nunc eodem fungitur; ſed quia adeſt ſenſibile externum, a quo ad functionem ſuam determinatur, nec fungitur munere ſuo aliter, quam fert natura & eſſentia corporis: id quod nemo non in ſeipſo experitur. Quod adeo actiones ipſius ſint neceſſariæ, a voluntate & noluntate animæ prorſus independentes; nemo eſt qui dubitat, niſi qui a ſe invicem diſtinguenda confundit.

§. 312.

Uſus facultatis ſenſitivæ quatenus ſubſit directioni animæ.

Uſus facultatis ſenſitivæ, idemque non uſus ſubeſt directioni animæ, quando a libero animæ decreto pendet, ut ſenſibile in organum ſenſorium agat, vel ne agat, aut actu quodam libero efficis, ut phantaſma aliquod excitetur, aut etiam memoriæ quid mandetur. Patet per ſe, ſtante hypotheſi. Hypotheſin vero eſſe poſſibilem conſtat ex iis, quæ alibi demonſtravimus (§. 151. & *ſeqq. Pſych. rat.* §. 80. 81. *Pſych. empir.* §. 347. 348. 350. *Pſych. rat.*).

Facile quoque experiri datur actionem ſenſibilis in organon ſenſorium a libero animæ decreto pendere poſſe, & libero quoque actu effici, ut phantaſma aliquod excitetur, aut etiam quid memoriæ mandetur. Quodſi loca hic citata evolvere lubet, vel exempla, quæ idem confirmant, allegata deprehendes, vel talia haud difficulter in memoriam revocabuntur vi eorum, quæ ibidem leguntur. Neque enim quiſquam eſt, qui non ſingula in ſemetipſo fuerit expertus, ſit ita quod vulgo attentionem noſtram ad talia in nobis deſiderari patiamur.

§. 313.

Differentia actionum facultatis locomotivæ.

Actiones facultatis locomotivæ aliæ naturales ſunt, quæ ſcilicet appetitui & averſationi ſenſitivæ reſpondent: aliæ vero liberæ, quæ reſpondent appetitui & averſationi rationali ſeu voluntati & noluntati liberæ. Facultatem locomotivam in corpore reſpondere facultati appetendi & averſandi in anima, experientia obvia conſtat. Unde cum appetitus vel ſenſitivus ſit, vel rationalis, & averſatio itidem vel ſenſitiva, vel rationalis; aliæ actiones facultatis locomotivæ reſpondent appetitionibus & averſionibus ſenſitivis, aliæ autem appetitionibus & averſionibus rationalibus, ſeu volitionibus & nolitionibus animæ. Quoniam itaque appetitiones & averſiones ſenſitivæ in ſe ſpectatæ non ſunt actiones liberæ, ſed naturales (§. 15. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), actiones quoque facultatis locomotivæ iiſdem reſpondentes liberæ eſſe nequeunt, ſed naturales ſunt. Et ex adverſo cum volitiones & nolitiones omnes, ſeu actus appetitus & averſationis rationalis ſint actiones liberæ (§. 13. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); actiones quoque facultatis locomotivæ eidem reſpondentes liberæ ſunt.

Vi-

Digitized by Google

Videmus infantes recens natos movere pedes ac brachia, ſugere lac maternum, plorare &c. Deſtituuntur uſu rationis, neque ulla ipſis eſt boni malique notio diſtincta, quod nemo in dubium vocat. Quamobrem nec ipſis tribui poteſt appetitio & averſio rationalis (§. 880. 881. *Pſych. empir.*). Actiones igitur iſtæ non reſpondent niſi appetitionibus & averſionibus ſenſitivis. Neque adeo dici poteſt, quod hoc faciant libere. Nulla inter ipſorum actiones atque actiones brutorum differentia eſt, quorum actiones eſſe liberas nemo dixerit (§. 763. *Pſych. rat.*). Enimvero ubi ad uſum rationis pervenerunt, ut malum a bono judicio mentis diſcernere valeant; tum demum libere agunt. Qui in Pſychologia ſatis fuit verſatus, ei quoad propoſitionem præſentem nihil ſupererit difficultatis, ut adeo opus non ſit pluribus hic inculcari, quæ inde nota ſupponi poſſunt ac debent. Aliquoties enim jam inculcavimus ad Philoſophiam practicam, adeoque etiam ad Jus Naturæ, quæ haud poſtrema ejus pars eſt, nemini eſſe accedendum, niſi qui Pſychologiam cognitam atque perſpectam habet. Qui adeo monitum hoc negligit, ſibi imputet, ſi qua ſibi adhue obſcura videntur, quæ clara ac perſpicua ſunt cognitione pſychologica imbutis.

§. 314.

Uſus facultatis locomotivæ, quomodo inſit.

Uſus facultatis locomotivæ, quatenus appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ reſpondet, homini natura ineſt; uſus vero, quatenus appetitionibus & averſionibus rationalibus ſeu volitionibus & nolitionibus ſolis reſpondent, ſolis autem appetitionibus & averſionibus ſenſitivis per ſe reſpondere nequeunt, demum acquirendus. Nemo eſt, qui neſciat, infantes recens natos membra corporis externa variis modis movere, & ubi ea majorem conſiſtentiam fuerunt conſecuta, etiamſi adhuc deſit uſus rationis, alios adhuc motus exerere, id quod etiam patet exemplo hominum inter urſos educatorum (§. 461. *Pſych. rat.*). Motus igitur iſti reſpondere nequeunt niſi appetitionibus & averſionibus ſenſitivis. Quoniam hi motus actiones naturales ſunt (§. 313.), adeoque per eſſentiam & naturam corporis determinantur (§. 12. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); uſus facultatis locomotivæ in eliciendis actibus conſiſtens (§. 198.) per eſſentiam & naturam corporis competit, quatenus appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ reſpondet. Enimvero natura homini ineſt, quod per eſſentiam & naturam corporis eidem convenit (§. 32.). Uſus igitur facultatis locomotivæ, quatenus appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ reſpondet, homini natura ineſt. *Quod erat unum.*

Experimur vero quotidie, hominem, ubi ad rationis uſum pervenit, conſequenter libertas in agendo ſeſe exerit (§. 528. *Pſych. rat.*), adeoque volitiones & nolitiones ſeu actus facultatis appetendi & averſandi rationalis (§. 882. *Pſych. empir.*) eliciuntur (§. 942. *Pſych. empir.*), varios edere organorum externorum corporis totiuſque corporis motus, quos ſine prævio exercitio edere minime poterat, & ad iſtiuſmodi motus edendos aſſuefieri poſſe, quatenus juvatur ratione aliorum ipſum inſtruentium. Quamobrem cum uſus facultatis locomotivæ in eliciendis motibus conſiſtat (§. 198.); uſus hic, qui ſolis volitionibus ac nolitionibus reſpondet, ſolis autem appetitionibus & averſionibus ſenſitivis per ſe reſpondere nequit, demum acquirendus. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod excipias, poſſe etiam bruta, quæ voluntate & noluntate libera deſtituuntur (§. 763. *Pſych. rat.*), prævio exercitio acquirere habitus edendi certos corporis & membrorum externorum motus. Exempla obvia ſunt in canibus: rariora ſubinde conſpiciuntur in equis. Etenim nemo eſt, qui neſciat, brutis hos habitus non acquirere niſi opera humana accedente. Juvantur adeo ratione hominum, a quorum adeo voluntate & noluntate libera iſte uſus facultatis locomotivæ pendet, quem per ſe nunquam erant facturi.

§. 315.

Uſus facultatis locomotivæ num ſubſit directioni animæ.

Uſus facultatis locomotivæ omnis ſubeſt directioni animæ. Etenim uſus facultatis locomotivæ vel reſpondet appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ, vel appetitui & averſationi rationali ſeu liberæ hominis voluntati & noluntati: quod cum obvia experientia conſtet, in dubium revocari nequit. Uſus facul-

tatis

Digitized by Google

tatis locomotivæ aliter ſubeſſe nequit directioni animæ, quam quatenus ipſa libere determinat ejus actus (§. 964. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet, uſum facultatis locomotivæ omnem, quatenus volitionibus vel nolitionibus animæ reſpondet, directioni ejus ſubeſſe. Enimvero appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reduci poteſt (§. 581. *part. 2. Phil. pract. univ.*), adeoque qui reſpondet uſus facultatis locomotivæ appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ etiam ſubjici poteſt appetitui & averſationi rationali, ſeu liberæ hominis voluntati ac noluntati. Patet itaque uſum facultatis locomotivæ omnem ſubeſſe directioni animæ.

Equidem non nego, homines quoque ſolo appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva impulſos agere & non agere: non tamen hinc ſequitur, quod actus iſti facultatis locomotivæ determinari nequeant prælucente intellectu, adeoque directioni animæ ut ſubjiciantur fieri haud quaquam poſſit. Contingit hoc non uſu facultatum ſuperiorum, quem evitare debebant (§. 206). Non jam quæritur de eo, quid fiat, ſed quid fieri poſſit. Atque hinc eſt, quod etiam brutorum actiones externæ, etſi eædem nonniſi ab appetitu ſenſitivo atque averſatione ſenſitiva pendeant, ſubſint directioni noſtræ, ut agant, quæ alias non agerent. Poterat ex ipſa dependentia facultatis locomotivæ a facultate ſenſitiva a priori prorſus demonſtrari, quomodo uſus illius ſubſit directioni animæ; niſi demonſtratio foret ſubtilior, quam ut omnium captui reſponderet, nec tanta hic requiritur prolixitas. Sane ſine demonſtratione omni id ſumi poterat, utpote a poſteriori confirmandum, niſi evidentiæ ratio nobis habenda eſſet, ne quicquam ſumeremus, circa quod dubium aliquod adhuc oriri poterat, num univerſaliter ſumi poſſit. Ceterum ſi quis in Pſychologia rationali fuerit verſatus, ut harmoniam corporis & animæ perpetuam habeat penitus cognitam atque perſpectam, ei multo evidentiora erunt, quæ hic de directione facultatis locomotivæ univerſali animæ tributa affirmantur.

§. 316.

Corpus hominis conſideratur *tanquam vivum*, quatenus habet facultatem vitalem; *tanquam ſentiens*, quatenus habet facultatem ſenſitivam; *tanquam ſe movens*, quatenus habet facultatem locomotivam, & tanquam *humanum*, quatenus animæ rationali unitum, ſeu quatenus harmonia inter mentem & corpus datur (§. 540. *Pſych. rat.*). *Quotuplici modo corpus humanum conſideretur.*

Diverſi hi corpus noſtrum conſiderandi modi attentionem omnem merentur, neque enim ſatis intelligere poſſumus, quænam ſit corporis noſtri perfectio & quænam nobis erga ipſum competat obligatio, niſi hæc diverſitas penitus inſpiciatur.

§. 317.

Perfectio corporis qua vivi conſiſtit in aptitudine ſe conſervandi & ſpeciem ſuam propagandi. Corpus enim hominis conſideratur tanquam vivum, quatenus facultatem vitalem habet (§. 316.), conſequenter cum facultate vitali perficiantur actiones ad individui & ſpeciei conſervationem neceſſariæ (§. 306.), organa autem vitalia ſint, quæ vitæ ſeu individui ac ſpeciei conſervationi inſerviunt (§. 304.), quatenus organis vitalibus inſtructum, quorum functionibus & individuum conſervatur, & ſpecies propagari poteſt. Quoniam itaque omnium organa vitalia ita conſtituta ſunt, ut actiones eorundem ad vitæ ſeu individui conſervationem ſpecieique propagationem tendant; omnium uſus conſentit (§. 503. *Ontol.*). Enimvero perfectio eſt conſenſus plurium a ſe differentium in uno (§. *cit.*). Quamobrem cum per conſenſum iſtum organorum vitalium corpus hominis aptum ſit ad ſe conſervandum ſpeciemque ſuam propagandam; perfectio corporis qua vivi non conſiſtit niſi in aptitudine ſe conſervandi & ſpeciem ſuam propagandi. *Perfectio corporis qua vivi.*

Quodſi perfectionem corporis qua vivi explicare volueris, inquirendum eſt in ſtructuram fin-

Digitized by Google

ſingulorum organorum vitalium, & oſtendendum, quomodo per ſtructuram ſuam unumquodque ad tales actiones aptum eſt, quarum concurſu vita totius corporis, adeoque individuum conſervatur, & ſpecies propagari poteſt, ne intereat genus humanum. Ea igitur diſtincte explicari nequit, antequam ex Anatomia ſingulorum organorum vitalium ſtructuram, & Pſychologia eorundem actiones ex ſtructura a priori erutas cognoveris. Ubi enim demonſtratur ſingulas ita concurrere ad individui ac ſpeciei conſervationem, ut nulla earum abeſſe poſſit; perfectio corporis qua vivi innoteſcit. Singula organa ſuam habent perfectionem, quatenus ea eſt eorundem ſtructura, ut per eam apta efficiantur ad talem actionem, qualis ad individui ac ſpeciei propagationem requiritur. Perfectio itaque corporis qua vivi ex perfectione omnium organorum vitalium reſultat.

§. 318.

Qualis ea ſit?

Perfectio corporis qua vivi eſſentialis eſt. Etenim in aptitudine corporis ſe conſervandi & ſpeciem propagandi conſiſtit (§. 317.). Enimvero organa vitalia, ob quæ corpus aptum eſt ad ſe conſervandum & ſpeciem ſuam propagandam (§. 304.), vi ſtructuræ ſuæ eas edunt actiones, quarum concurſu individuum vivum conſervatur & ſpecies propagari poteſt (§. 277. *Coſmol.*). Quoniam itaque ſtructura eſt eſſentia organorum, & quæ porro ex eorum conjunctione reſultat eſſentia corporis qua vivi (§. 276. *Coſmol.*), perfectio corporis qua vivi conſenſu determinationum eſſentialium continetur. Eſſentialis vero eſt perfectio, quæ continetur conſenſu determinationum eſſentialium (§. 528. *Ontol.*). Corporis itaque qua vivi perfectio eſſentialis eſt.

§. 319.

Quomodo inſit.

Perfectio corporis qua vivi homini natura ineſt, non demum acquiritur. Eſt nimirum homini eſſentialis (§. 318.). Quamobrem cum conſenſu determinationum eſſentialium contineatur (§. 528. *Ontol.*); per ipſam eſſentiam & naturam ſuam homini ineſt. Quoniam itaque homini natura ineſt, quod per eſſentiam atque naturam ſuam eidem ineſt (§. 32.), adeoque non demum acquiritur; perfectio corporis qua vivi homini natura ineſt, non demum acquiritur.

Ad perfectionem adeo corporis qua vivi homo nihil conferre poteſt; ſed eam Deo totam acceptam referre debet.

§. 320.

Integritas organorum in quo conſiſtat.

Organa corporis ſervantur integra, quamdiu nihil in ſtructura eorundem vitiatur. Ut adeo *Integritas organorum* conſiſtat in ſtructura eorundem non vitiata.

Valet hoc in omni organico corpore, cujus in ſtructura conſiſtit eſſentia (§. 276 *Coſmol*). Ita oculus ſervatur integer, ſi nulla tunica, nullus humor vitiatur, nec, ſi quæ minores in eodem deprehenduntur partes, quicquam mutationis patiuntur quoad determinationes eſſentiales. Idem eodem modo ſeſe habet in horologio, quemadmodum palam eſt, ubi ejus ſtructura tibi fuerit penitus perſpecta.

§. 321.

Integritas membrorum vitalium ad perfectionem corporis qua vivi requiſita.

Perfectio corporis qua vivi requirit integritatem organorum ſingulorum vitalium. Etenim conſiſtit in aptitudine ſe conſervandi & ſpeciem ſuam propagandi (§. 317.). Quamobrem cum individui ac ſpeciei conſervationi deſtinentur organa vitalia (§. 304.), & vi ſtructuræ eorundem homo aptus eſt ad ſui ac ſpeciei ſuæ conſervationem (§. 278. *Coſmol.*); ſiquidem perfectio corporis qua vivi ſubſiſtere debet, neceſſe eſt, ut in ſtructura iſtorum nihil vitietur. Quoniam itaque

que organum ſervatur integrum, ſi nihil in ſtructura ejus vitiatur, & in ſtructura non vitiata integritas conſiſtit (§. 320.); perfectio corporis qua vivi requirit integritatem organorum ſingulorum vitalium.

Nihil hic ſingulare eſt in corpore hominis, quatenus tanquam vivum ſpectatur. Etenim hoc univerſaliter verum eſt in omni corpore organico. Eſſentia corporis organici in ſtructura conſiſtit (§. 276. *Coſmol.*) & in eadem continetur ratio, cur ipſum ad iſtiusmodi actionem aptum ſit (§. 278. *Coſmol.*). Quamobrem cum in hac aptitudine perfectio ipſius conſiſtat; neceſſe omnino eſt, ut, ſi hoc ſubſiſtere debeat, ſtructura quoque ſalva ſit, conſequenter organon maneat integrum. Relegenda hic ſunt, quæ de corpore organico demonſtravimus in Coſmologia (§. 274. & *ſeqq.*), præſertim quæ illuſtrandæ rationis aptitudinis ad certas actiones & rationis ſtructuræ gratia in medium attulimus (*not.* §. 278. 279. *Coſmol.*).

§. 322.

Quando corpus qua vivum imperfectioni obnoxium redditur.

Quoniam adeo perfectio corporis qua vivi conſiſtere nequit, niſi ſervata organorum vitalium integritate (§. 321.); *neceſſe eſt corpus qua vivum imperfectioni cuidam obnoxium fieri, ſi integritas non conſervetur organorum vitalium.*

Plura ſunt organa vitalia, quæ omnia ſimul ad conſervationem individui ac ſpeciei concurrunt actionibus ſuis: non tamen ſingula tantundem conferunt. Quamobrem pro diverſitate organorum, quorum integritas tollitur, & pro diverſitate vitii, quod idem organum contrahit, diverſis quoque imperfectionibus obnoxium redditur corpus hominis qua vivum, & eadem imperfectio diverſos admittit gradus. Patebunt hæc diſtinctius ſuo tempore in Phyſica, ubi ex ſtructura organorum eorundem functiones explicaverimus. Hic ſufficit ſi quis generaliter intellecta exemplis ſibi obviis clariora efficiat.

§. 323.

Perfectio corporis qua ſentientis.

Perfectio corporis qua ſentientis conſiſtit in aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi. Etenim organa ſenſoria deſtinantur ſenſationibus ac pendentibus inde actionibus imaginationis (§. 304.), conſequenter cum ſenſationes non minus (§. 111. 112. *Pſych. rat.*), quam actus imaginationis in corpore ideis materialibus perficiantur (§. 205. *Pſych. rat.*), omnia ad productionem idearum materialium actionibus ſuis tendunt, adeoque in hoc conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Quoniam itaque perfectio conſiſtit in conſenſu plurium a ſe invicem differentium in uno (§. *cit.*); perfectio corporis qua ſentientis conſiſtere nequit niſi in aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi.

Quoniam ideæ ſenſuales diſtinctæ perfectiores ſunt confuſis, (§. 160 *Pſych. rat.*) & quoad hanc quoque differentiam variant ideæ materiales (§. 126 & *ſeqq. Pſych. rat.*): quin diverſi poſſibiles ſint gradus perfectionis idearum materialium ultro concedimus. Videtur adeo perfectio corporis qua ſentientis non æſtimari poſſe ex ſola aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi, nulla habita ratione perfectionis earundem. Enimvero gradus perfectionis idearum materialium non æſtimatur ex natura corporis, quatenus ſentiens eſt; ſed quatenus hæ reſpiciunt etiam corpus qua vivum, & qua ſe movens, ac inprimis qua humanum. Perfectio totius corporis humani compoſita eſt ex pluribus particularibus, cum diverſa ſint organa, ex quibus conſtat, quæ ad diverſos fines referuntur particulares, atut deinde hi eidem univerſali ſive ultimo ſubordinentur. Quando itaque perfectio quoad certa organa in particulari ſpectatur, non habetur ratio eorum, quæ determinanda ſunt ex concurſu perfectionum plurium particularium ad eandem compoſitam. Si corpus non eſſet niſi ſentiens, quale ſupponitur, dum tanquam ſentiens conſideratur, perfectio ejus æſtimari non poterat niſi ex aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi: ſit ita quod non omnia corpora ſentientia ſint ejuſdem perfectionis quoad ejus gradum, aut, ſi mavis, gradu perfectionis differant. An vero gradus perfectionis conveniat ceteris particularibus, quæ aliunde oriuntur, alia quæſtio eſt, quæ huc non ſpectat.

Digitized by Google

§. 324.

Qualis ea ſit.

Perfectio corporis qua ſentientis eſſentialis eſt. Conſiſtit enim in aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi (§. 323.). Quamobrem cum corpus qua ſentiens conſtet ex organis ſenſoriis (§. 306. 316.), ratio autem cur corpus organicum aptum ſit ad actionem iſtiuſmodi, qualis ab eo proficiſcitur, in ſtructura continetur (§. 278. *Coſmol.*); corpus qua ſentiens aptum eſt per ſtructuram organorum ſenſorium & inde ortam ſtructuram corporis qua ſentientis ad ideas rerum ſenſibilium materiales producendas, conſequenter perfectio corporis qua ſentientis conſenſu determinationum eſſentialium continetur (§. 276. *Coſmol.* & §. 503. *Ontol.*). Quoniam itaque perfectio eſſentialis eſt, quæ determinationum eſſentialium conſenſu continetur (§. 528. *Ontol.*). Perfectio corporis qua ſentientis eſſentialis eſt.

§. 325.

Quomodo inſit.

Perfectio corporis qua ſentientis homini natura ineſt, non demum acquiritur. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo paulo ante evicimus, perfectionem corporis qua vivi homini natura ineſſe, non demum acquiri (§. 319.).

§. 326.

Integritas organorum ſenſoriorum ad perfectionem corporis requiſita.

Perfectio corporis qua ſentientis requirit integritatem ſingulorum organorum ſenſoriorum. Eodem modo demonſtratur, quo paulo ante oſtendimus perfectionem corporis qua vivi requirere integritatem ſingulorum organorum vitalium (§. 321.).

Nimirum non alia re opus eſt, quam in locum organorum vitalium ſubſtituas ſenſoria. Poterat in genere oſtendi, perfectionem corporis organici ex aliis organis tanquam partibus compoſiti integritatem omnium organorum, immo perfectionem entis cujuſcunque compoſiti integritatem omnium partium, ex quibus componitur, requirere, niſi conſultum foret a generalibus demonſtrationibus abſtinere, quia nimis abſtractæ videri poterant pleriſque.

§. 327.

Quando imperfectioni obnoxium fiat corpus qua ſentiens.

Hinc denuo conſequitur ut ante (§. 322.), *perfectionem corporis qua ſentientis tamdiu ſubſiſtere, quamdiu conſervatur integritas organorum ſenſoriorum*; conſequenter *ipſum imperfectioni obnoxium fieri, integritate eorundem læſa*.

Probe notandum eſt, quomodo corpus noſtrum imperfectioni obnoxium fieri poſſit, etiamſi perfectio ejus non pendeat a nobis ea ex parte. Patebit enim, id nobis maxime uſui eſſe in præſenti.

§. 328.

Corpus qua ſeſe movens num habitus acquirere poſſit.

Corpus ſeſe movens varios habitus externa corporis membra totumque corpus movendi acquirere valet. Satis hoc patet a poſteriori, ut nemo ſit quidem ignoret, modo animum advertere velit ad ea, quæ quotidie experimur. Iſtiuſmodi habitus ſunt ars ſcribendi, quatenus literæ exarantur motu manus pennam ſcriptoriam digitis tenentis, ars ſaltandi, ars currendi, ars natandi, immo artes omnes manuariæ, quæ manuum opera exercentur. Ecquis vero ignorat, habitus iſtos nemini eſſe connatos, ſed prævio demum multo exercitio acquiri?

Quando hic de arte ſcribendi, ſaltandi, natandi aliiſque loquimur, eaſdem non conſideramus, niſi quoad ea, quæ corpori tribuenda, quemadmodum paulo ante, ubi corpus conſideravi-

travimus tanquam ſentiens, ad ea tantummodo reſpicimus, quæ in corpore fiunt, dum anima res ſenſibiles percipit. Ex Pſychologia rationali abunde liquet, non eſſe inter ſe confundenda, quæ in corpore accidunt, cum iis, quæ in anima contingunt, ſit ita quod ad actionem humanam non minus requiratur, quod animæ, quam quod corporis eſt.

§. 329.

Agilitas corporis quid ſit.

Habitus in genere corpus & membra externa ejuſdem in quemlibet ſitum celeriter componendi ſitumque mutandi vocatur *Agilitas*.

Vernaculo ſermone dicimus Hurtigke. Eminet ea in omni omnino actione externa, adeoque per omnem habitum corporis ſeſe diffundit, ubi celeritas motus actioni non nocet. Conſpicitur etiam in ipſo inceſſu. Hanc agilitatem homini non eſſe naturalem a poſteriori liquet, etſi alii hominum naturalem diſpoſitionem ad eandem habeant, ſine qua nec habitus acquiri poterat, alii vero eadem fere deſtituantur, ita ut eundem vix ac ne vix quidem acquirere valeant.

§. 330.

Perfectio corporis qua ſe moventis.

Corporis qua ſe moventis perfectio conſiſtit in aptitudine appetitionibus & averſionibus animæ convenientes motus producendi & ſitus tam totius corporis, quam membrorum ejus externorum determinandi. Quatenus enim corpus conſideratur tanquam ſe movens, facultatem habet locomotivam (§. 316.), conſequenter cum hac facultate perficiantur motus externorum membrorum corporis & totius corporis (§. 306., ad motus tam totius corporis, quam membrorum externorum producendum, adeoque non minus illius, quam horum varios ſitus determinandum (§. 642. *Ontol.*), aptum eſt. Enimvero uſus facultatis locomotivæ, qui in eliciendis motibus iſtis conſiſtit (§. 198.), appetitui & averſationi reſpondet (§. 313.), atque adeo ſinguli actus facultatis locomotivæ tendunt ad motus & ſitus corporis membrorumque ejus externorum appetitionibus & averſionibus animæ convenientes, conſequenter in hoc conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Quamobrem cum ex conſenſu plurium a ſe differentium in uno æſtimanda ſit, perfectio conſiſtere nequit niſi in aptitudine appetitionibus & averſionibus animæ convenientes motus producendi & ſitus tam totius corporis, quam membrorum ejus externorum determinandi.

Probe notandum eſt, perfectionem diei aptitudinem motus & per hoſce ſitus corporis ac membrorum ejus determinandi, conſequenter eidem minime obſtare, ſi quis aptitudine iſta abuſus motus ac ſitus iſtos determinet in gratiam appetitionum & averſionum vitioſarum, quemadmodum perfectioni inſtrumenti non obſtat, quod quis ob illam eo abuti poſſit.

§. 331.

Perfectio corporis qua ſe moventis quatenus eſſentialis & accidentalis.

Quoniam corpus qua movens per ſtructuram ſuam, adeoque per organa moventia (§. 304. 306. 316.), aptum eſt ad motus appetitionibus & averſionibus animæ convenientes ac pendentes inde ſitus tam totius corporis, quam membrorum ejuſdem determinandos (§. 278. *Coſmol.*); *perfectio corporis qua ſe moventis*, utpote in iſta aptitudine conſiſtens (§. 330.), cum in ſtructura eſſentia corporis organici conſiſtat (§. 276. *Coſmol.*), *eſſentialis eſt, quatenus ab organis moventibus pendet* (§. 528. *Ontol.*), *quatenus vero ab habitibus acquiſitis venit* (§. 328.), cum habitus in accidentium numero ſint (§. 151. 779. *Ontol.*), *accidentalis eſt*.

Corporis qua vivi & ſentientis perfectio tantummodo eſſentialis eſt (§. 318. 324.), aſt qua ſe moventis datur etiam perfectio accidentalis præter eſſentialem: id quod hic probe notandum eſt, ubi de actionibus noſtris judicium fieri debet, num tendant ad perfectionem, an ad imperfectionem corporis.

§. 332.

Quomodo inſit. ***Perfectio corporis, quatenus ab organis moventibus pendet, homini natura ineſt; quatenus vero ab habitibus acquiſitis venit, demum acquirenda.*** Perfectionem corporis, quatenus ab organis moventibus pendet, homini natura ineſſe eodem modo oſtenditur, quo ſupra idem evicimus de perfectione corporis qua vivi (§. 319.).

Quod vero eadem, quatenus ab habitibus acquiſitis venit, demum acquirenda, per ſe patet.

Nimirum perfectio corporis ab habitibus pendens non ante ineſt, quam ubi habitus inſunt. Quamobrem cum habitus non natura inſint, ſed acquirantur, perfectio quoque ab iis veniens natura non ineſt, ſed acquiritur.

§. 333.

Quod ſupponat integritatem organorum moventium. ***Perfectio corporis qua ſe moventis omnis ſupponit integritatem organorum moventium.*** Etenim vel ab organis moventibus pendet, vel ab habitibus acquiſitis venit (§. 331.). Quodſi ab organis moventibus pendet, adeoque in ipſis rationem agnoſcit (§. 851. *Ontol.*); in ſtructura eorundem ratio ejus continetur (§. 277. *Coſmol.*), conſequenter non ponitur niſi poſita ſtructura (§. 118. *Ontol.*) Quoniam itaque requiritur, ut ſtructura nulla ex parte ſit vitiata, in eo autem organorum integritas conſiſtit (§. 320.); perfectio corporis, quatenus ab organis moventibus pendet, integritatem organorum ſupponit.

Enimvero ſi habitus externa corporis membra totumque corpus movendi acquiruntur, ratio cur hoc fieri poſſit, in ſtructura organorum moventium denuo continetur (§. 277. *Coſmol.*, conſequenter niſi illæſa ſtructura, ſeu eadem minime vitiata acquiri non poſſunt. Quamobrem cum integritas organorum moventium in ſtructura minime vitiata conſiſtat (§. 320.); perfectio etiam corporis, quatenus ab habitibus acquiſitis venit, integritatem organorum moventium ſupponit.

Patet itaque omnem omnino perfectionem corporis ſupponere integritatem organorum moventium.

§. 334.

Quamdiu ſubſiſtat. Quoniam itaque *omnis corporis qua ſe moventis perfectio* organorum moventium integritatem ſupponit (§. 333.); ea *tamdiu ſubſiſtit, quamdiu membra moventia omnia ſunt integra*, ex adverſo autem *corpus qua ſe movens imperfectioni cuidam obnoxium redditur, integritate membrorum moventium quomodocunque læſa.*

Sine probatione hoc facile conceditur non modo de corpore qua ſe movente, verum etiam qua vivo (§. 322.) & qua ſentiente (§. 327.), immo in genere de corpore organico quocunque, ab iis omnibus, qui levi quadam attentione uſi ſunt in perfectione machinæ cujuſdam, veluti horologii, æſtimanda. Nemo eſt, qui perfectionem horologii non æſtimet ex eo, quod horas ejuſque partes accurate indicet. Nemo eſt, qui neſciat, hoc tamdiu fieri, quamdiu ſtructura horologii nullum vitium contrahit, idem vero non amplius horas ejuſque partes accurate indigitare, ubi aliquid in ſtructura ejuſdem vitiatur, ut adeo ad reſtituendam perfectionem, quæ amiſſa dicitur, artificis periti manum emendatricem expectare judicetur. Nonne in hiſce latet notio univerſalis, qua corporis organici perfectio tamdiu ſubſiſtens exhibetur, quamdiu in ſtructura nihil vitiatur, corpus autem imperfectioni obnoxium ſiſtitur, quam primum aliquod vitium contrahit ſtructura. Nihil adeo de perfectione corporis noſtri affirmatur, quod non conveniat notionibus communibus.

§. 335.

Perfectio corporis
qua huma-
ni in quo
conſiſtat.

Perfectio corporis qua humani conſiſtit in aptitudine conſervandi harmoniam inter animam & corpus. Corpus humanum conſideratur qua humanum, quatenus eſt unitum animæ (§. 316.). Enimvero quatenus anima unitur cum corpore, harmonia naturalis datur inter animam atque corpus (§. 723. *Pſych. rat.*). Quamobrem quatenus corpus conſideratur tanquam humanum, ad harmoniam iſtam conſervandam aptum eſſe debet. Quoniam itaque in corpore, quatenus humanum eſt, omnia tendunt ad harmoniam iſtam obtinendam, adeoque in hoc conſentiunt (§. 503. *Ontol.*), conſenſus vero in varietate perfectio eſt (§. *cit.*), corporis qua humani perfectio conſiſtit in aptitudine conſervandi harmoniam inter animam & corpus.

Hinc apparet, cur perfectio corporis humani, quatenus humanum eſt, multo major ſit in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quam in ullo alio ſyſtemate explicandi commercium inter animam & corpus. Etenim in ſolo ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ corpus qua humanum per ſe ſolum aptum eſt ad harmoniam inter animam & corpus conſervandam, ita ut tota vi mechaniſmi corporis ſubſiſtat (§. 617. 618. 723. *Pſych. rat.*); quod neque in ſyſtemate influxus phyſici (§. 569. 571. *Pſych. rat.*), neque in ſyſtemate cauſarum occaſionalium obtinet (§. 593. *Pſych. rat.*). Nimirum in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ perfectio corporis qua humani homini omni prorſus incomprehenſibilis eſt, utut in ſe talis ſit, ut diſtincte explicari, ac comprehendi poſſit. Quæ enim intellectus defectui tribuenda, rei ipſi imputari nequeunt:

§. 336.

Unde ea pendeat.

Perfectio corporis qua humani immediate pendet a facultate ſenſitiva & locomotiva. Etenim corpus humanum qua tale cenſetur perfectum, quatenus aptum eſt ad conſervandam harmoniam animæ & corporis (§. 335.). Enimvero harmonia hæc conſiſtit in explicabilitate perceptionum animæ per mutationes in corpore contingentes & motuum voluntariorum in corpore per volitiones ac nolitiones animæ, vel etiam appetitiones atque averſiones ſenſitivas, ut ex mutationibus in corpore ratio reddi poſſit perceptionum in anima, ex appetitionibus & averſionibus animæ motuum corporis ejuſque membrorum (§. 539. *Pſych. rat.*). Quamobrem cum ſenſationes & actus imaginationis in corpore, hoc eſt, illæ mutationes, quibus reſpondent perceptiones in anima (§. 959. *Pſych. empir.*), perficiantur facultate ſenſitiva, motus autem totius corporis ac externorum ejus membrorum appetitionibus & averſionibus animæ reſpondentes (§. 960. *Pſych. empir.*), facultate locomotiva (§. 306.); ratio, cur corpus aptum ſit ad harmoniam animæ & corporis conſervandam, continetur in facultate ſenſitiva & locomotiva, adeoque perfectio corporis qua humani in hac aptitudine conſiſtens (§. 335.), a facultate ſenſitiva & locomotiva immediate pendet (§. 851. *Ontol.*).

Si perfectionem corporis, quatenus humanum eſt, conſiderare volueris, ſufficit expendere ea, quæ ad facultatem ſenſitivam & locomotivam ſpectant: neque enim niſi per utramque hanc facultatem commercium inter animam & corpus ſubſiſtit. Unde perfectio corporis qua humani immediate ab utraque hac facultate pendet. Atque hinc ulterius patet, quinam eſſe debeat gradus perfectionis corporis qua ſentientis & qua ſe moventis, nimirum tanta eſſe debet hæc perfectio, quanta ſufficit, ut commercium inter animam & corpus ſubſiſtere queat.

§. 337.

Idem porro expenditur.

Perfectio corporis qua humani mediate pendet a facultate vitali. Pendet enim immediate a facultate ſenſitiva & locomotiva (§. 336.). Quamobrem cum facul-

cultas ſenſitiva corpori competat qua ſentienti & locomotiva qua ſe moventi (§. 316.), corpus autem non deprehenditur ſentiens, nec ſe movens, niſi quamdiu vivit, quod experientia obvia conſtat, & quia vivum facultatem vitalem habeat (§. *cit.*): perfectio corporis qua humani mediate a facultate vitali pendet.

Unio animæ cum corpore non ſubſiſtit niſi cum vivo, non quod vita per ſe quid conferat ad commercium illud, quod animæ cum corpore intercedit, cum ad hoc ſufficiat facultas ſenſitiva & locomotiva, ſed quia utraque hæc facultas non ſubſiſtit niſi in corpore vivo. Sublata enim vita, ceſſat omnis organorum ſenſoriorum & moventium uſus, non minus quam vitalium. Ratio horum omnium patebit a priori in Phyſica.

§. 338.

Perfectio corporis qua humani num ſit compoſita.

Perfectio corporis qua humani componitur ex perfectione qua ſentientis, qua ſe moventis & qua vivi. Etenim dependet immediate a facultate ſenſitiva & locomotiva (§. 336.), mediate vero a vitali (§. 337.). Quamobrem cum corpus ſit ſentiens, quatenus facultatem ſenſitivam; ſe movens, quatenus locomotivam; vivum, quatenus vitalem habet (§. 316.), competat autem corpori qua ſentienti (§. 323.), qua ſe moventi (§. 330.) & qua vitali ſua perfectio (§. 317.); perfectio corporis qua humani componitur ex perfectione qua ſentientis, qua ſe moventis & qua vivi.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Perfectio corporis qua humani conſiſtit in aptitudine conſervandi harmoniam inter animam & corpus (§. 335.). Quoniam itaque vi hujus harmoniæ ratio perceptionum animæ reddenda ex iis, quæ in corpore fiunt, ratio autem motuum voluntariorum & ſpontaneorum ex iis, quæ in anima accidunt (§. 539. *Pſych. rat.*); corpus aptum eſſe debet ad ideas rerum materialium producendas (§. 114. 206. 396. 397. 403. 414. *Pſych. rat.*) & ad varios motus membrorum externorum corporis totiuſque corporis appetitionibus ac averſionibus animæ convenientes producendos. Enimvero in aptitudine producendi ideas rerum materialium conſiſtit perfectio corporis qua ſentientis (§. 323.) & in aptitudine producendi motus appetitionibus & averſionibus animæ convenientes perfectio corporis qua ſe moventis (§. 330.). Perfectio adeo corporis humani componitur ex perfectione corporis qua ſentientis & ſe moventis. Quoniam vero nec ideæ materiales, nec motus appetitionibus & averſionibus animæ convenientes produci poſſunt, niſi corpus vivat, conſequenter aptum ſit ad ſe conſervandum, in hac vero aptitudine perfectio corporis qua vivi conſiſtit (§. 317.); perfectio corporis qua ſentientis & qua ſe moventis ſupponit perfectionem corporis qua vivi. Quamobrem cum perfectio corporis qua humani componatur ex perfectione qua ſentientis & ſe moventis *per demonſtrata*; perfectio corporis qua humani componitur ex perfectione qua ſentientis, qua ſe moventis & qua vivi.

Si perfectionem compoſitam ſcrutamur, non ſufficit perfectiones partiales in ſe conſiderare, verum etiam eædem inter ſe ſunt conferendæ, ut appareat, quomodo per eas totalis conſtituatur. Accidit enim, ut perfectiones ſimplices dum compoſitam ingrediuntur, aliquam ſubeant mutationem, quia hoc ipſo efficiuntur a ſe invicem dependentes, dum ad unam conſtituendam concurrunt. Quamobrem quod imperfectioni tribui poterat, ſi ſimplices in ſe conſiderantur, id eidem non amplius tribuendum, quatenus una cum aliis compoſitam conſtituit (§. 511. & *ſeqq. Ontol.*). Noſtrum vero non eſt quoad corpus humanum nunc proſequi.

§. 339.

Qualia ſupponat integritatem organorum corporis.

Perfectio corporis qua humani ſupponit integritatem omnium organorum corporis. Etenim perfectio corporis qua humani componitur ex perfectione qua ſentientis, qua ſe moventis & qua vivi (§. 338.). Enimvero perfectio corporis qua

Digitized by Google

[Cor]poris qua humani perfectio.

vivi requirit integritatem omnium organorum vitalium (§. 321.), perfectio qua ſentientis integritatem ſingulorum organorum ſenſoriorum (§. 326.), perfectio qua ſe moventis integritatem ſingulorum organorum moventium (§. 333.). Quamobrem cum præter organa vitalia, ſenſoria & moventia non dentur alia in corpore humano (§. 303. 304.); perfectio corporis qua humani ſupponit integritatem omnium organorum corporis.

Patet adeo perfectionem corporis qua humani ſubſiſtere minime poſſe, niſi omnia corporis organa ſerventur integra.

§. 340.

Perfectio hominis qualis ſit.

Perfectio hominis componitur ex perfectione animæ & corporis. Homo enim conſtat ex anima & corpore (§. 51. *Pſych. rat.*) invicem unitis, ut unam conſtituant ſubſtantiam compoſitam (§. 963. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque animæ non minus eſſentialis, quam accidentalis competit perfectio (§. 202.), ſua etiam perfectio corpori qua humano, conſequenter qua animæ unito (§. 316.), eſt (§. 335.), hæcque ex perfectionibus partialibus omnibus ejuſdem componitur (§. 338.); perfectio hominis componatur neceſſe eſt ex perfectione omni animæ ac corporis.

Videmus adeo ad conſtituendam perfectionem hominis multiplices concurrere perfectiones particulares, quæ ſingulæ expendendæ, antequam compoſitam, quæ inde reſultat, diſtincte cognoſcere detur. Qualis vero hinc reſultet perfectio compoſita, alibi a nobis jam demonſtratum (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Reſultat nimirum aptitudo repræſentandi perfectionem Dei ſummam. Non hic repetimus, quæ in Theologia naturali legi poſſunt ac debent, antequam ad Jus naturæ accedas. Poſtquam tamen hic ſingulas perfectiones animæ ac corporis, quæ ad conſtituendam talem hominis perfectionem concurrunt, explicavimus; vi principiorum in Theologia naturali demonſtratorum nunc multo diſtinctius concipi poteſt aptitudo iſta repræſentandi perfectionem Dei ſummam.

§. 341.

Num atheus perfectionem hominis cognoſcere poſſit.

Atheus perfectiones partiales, ex quibus componitur perfectio hominis, cognoſcere valet; perfectionem tamen hominis intime perſpicere nequit. Perfectio hominis componitur ex perfectione animæ ac perfectione corporis (§. 340.), quarum utraque ex perfectionibus partialibus compoſita eſt (§. 202. 210. 338.). Patet ex anterioribus perfectiones haſce partiales cognoſci, ſi ea tantummodo conſideremus, quæ animæ ac corpori inſunt, adeoque independenter a cognitione Dei. Atheus adeo etſi neget dari Deum (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), adeoque ejus cognitionem inſuper non habeat; perfectiones tamen partiales, ex quibus componitur perfectio hominis, cognoſcere valet. *Quod erat unum.*

Enimvero perfectio hominis, quæ ex compoſitione perfectionum partialium animæ ac corporis reſultat (§. 340.), conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Atheus igitur cum Deum exiſtere neget (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), adeoque hanc aptitudinem ſummam Dei perfectionem repræſentandi non agnoſcat, perfectionem hominis intime perſpicere nequit. *Quod erat alterum.*

Quoniam atheus non agnoſcit, quo tandem tendant omnes perfectiones partiales animæ ac corporis, nec agnoſcit, quomodo per eas conſtituatur perfectio quædam compoſita, quæ ſola hominis perfectio dici poteſt. Manca adeo ac mutila eſſe debet hæc in parte ipſius cognitio, quantacunque fuerit. Ex ſequentibus autem conſtabit, mentem legis naturæ penitus non aſſequi eum, qui perfectionem hominis intime non perſpicit. Quantum vero defectus hujus cognitionis noceat praxi, ſuo patebit loco.

§. 342.

Num qui Deum ſimpliciter ignorat.

Qui ſimpliciter ignorat dari Deum, perfectiones quidem partiales, ex quibus componitur perfectio hominis, cognoſcere valet; perfectionem tamen hominis intime perſpicere nequit. Quoniam qui ſimpliciter ignorat dari Deum, ei nulla Dei notio eſt, ſaltem nihil is de Deo diſtincte cognoſcit (§. 428. *part.* 2. *Theol. nat.*); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo præcedens.

§. 343.

Organorum ſenſoriorum & moventium a vitalibus dependentia.

Organa ſenſoria & moventia dependent a vitalibus, quatenus conſervatione indigent. Patet a poſteriori omnia corporis organa, qualiacunque tandem fuerint, continua nutritione indigere. Et ex Anatomia conſtat, arterias & venas ramulos ſuos diſpergere per omnes omnino corporis partes, qualeſcunque tandem fuerint. In Phyſica autem oſtendetur, ſanguinem arterioſum continere nutrimentum, quo totum corpus humanum quoad ſingulas ejus partes continuo indiget, ut conſerventur. Quoniam igitur organorum vitalium functionibus debetur, quod totum corpus humanum conſervetur & vivat (§. 303.); ratio quoque, cur organa ſenſoria & moventia conſerventur, in vitalibus continetur (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem organa ſenſoria, quatenus conſervatione indigent, a vitalibus dependent (§. 851. *Ontol.*).

Organa igitur ſenſoria & moventia duplici modo conſiderari poſſunt ac debent: nimirum quatenus certæ cuidam functioni per ſe deſtinantur, deinde quatenus ſunt partes corporis, quod continua conſervatione indiget, ſeu quoad eorundem dependentiam ab organis vitalibus. Hæc ipſa vero dependentia corpus noſtrum ex partibus, quarum diverſæ prorſus ſunt functiones, a ſe invicem minime pendentes, conſtans efficitur unum. Patebit hoc luculentius, ubi tota machina corporis humani quoad ſingulas partes earundemque a ſe invicem dependentiam fuerit perſpecta. Ex. gr. Oculus qua organum ſenſorium, in ſpecie viſus, machina optica eſt, cujus functio in eo conſiſtit, ut viſibilium imagines claræ ac diſtinctæ in retina ſeu fundo ejus delineentur. Indiget autem continua conſervatione quoad ſingulas, ex quibus conſtat, partes. Unde ſi ex corpore evulſus fuerit, corrumpuntur non minus tunicæ, quam humores, quamvis aliæ facilius aliis, neque tum amplius ſubſiſtit integrum. Idem eodem modo ſeſe habet in ceteris organis ſenſoriis & in organis quoque motus. Utraque igitur organa duplici modo vitiari poſſunt, tum quatenus eorum ſtructura propria, vi cujus tale organon ſunt, læditur, ut ad functionem ſuam ſint parum apta, tum quatenus ea læduntur, per quæ ad ſui conſervationem apta ſunt. Hæc notaſſe proderit in ſequentibus.

§. 344.

Duplex corporis ſtatus.

Corpus dum vivit, aut partes ejus ſingulæ munia ſua obire poſſunt, aut una vel altera pars ita ſe habet, ut ad uſum, cui deſtinatur, inepta munere ſuo fungi nequeat. Quoniam alterutrum horum eſſe debet (§. 53. *Ontol.*), utrumque autem obtinere poteſt, experientia teſte; quamdiu corpus vivit, aut partes ſingulæ funguntur munere ſuo, aut quædam eorum non funguntur.

§. 345.

Sanitas quid ſit.

Status ille corporis, quo ſingulæ ipſius partes munere ſuo rite funguntur, dicitur *Sanitas*. Et eodem ſenſu ſanitas prædicatur de quolibet corporis organo, ſeu qualibet ejus parte. Ita oculus qua organon ſenſorium dicetur ſanus, quamdiu aptus deprehenditur ad eam functionem, cui viſus gratia deſtinatur. Dicetur idem ſanus qua pars corporis viventis, quatenus ejus conſervatio nulla ex parte impeditur, ſed omnia hac ex parte rite ſeſe habent.

Vi-

Digitized by Google

Videmus hic, quam ſit neceſſe dependentiam organorum ſenſoriuni & organorum motus a vitalibus attendi, ut ſanitatis notio quoad hæc organa nullo laboret defectu. Ceterum ultro conceditur, definitionem ſanitatis tam corporis, quam partis ejuſdem, quam hic damus, non eſſe niſi nominalem (§. 191. *Log.*), neque enim alia hic deſideratur.

§. 346.

Status oppoſitus corporis, quo una vel plures ejus partes ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, aptæ non ſunt, *Morbus* dicitur. Et eodem ſenſu morbus prædicatur de quolibet corporis organo, ſeu qualibet ejus parte. Ita oculus, qua organon ſenſorium, non erit ſanus, ſed morbo quodam affectus, quando ad viſum deprehenditur ineptus. Dicetur idem morbo laborare, quando eidem accidunt, quæ ejus conſervationi repugnant. Similiter ventriculus non amplius erit ſanus, ſed morbo laborat, quando ad cibos digerendos fuerit ineptus. *Morbus quid ſit.*

Morbus inprimis attenditur in partibus vitalibus & in ceteris organis, quatenus tanquam partes corporis vivi ſpectantur, propterea quod tunc tenditur ad deſtructionem totius corporis, vel ſaltem organi cujuſdam. Sed de his plura dicentur ſuo loco in Phyſica.

§. 347.

Quoniam morbus dicit ſtatum corporis, quo una vel plures ejus partes ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, ineptæ ſunt (§. 346.), partes autem corporis humani non minus ſunt fluidæ, veluti ſanguis & lympha, quam ſolidæ; *morbo* etiam *laborat corpus, ſi partes fluidæ ſunt ineptæ ad ſuos uſus.* *Morbus partium fluidarum.*

Ita ex. gr. ſi ſemen virile non fuerit prolificum, ut conjux fœcundus celebrari nequeat: non minus hic ſtatus corporis morbo accenſetur, quam ſi teſticuli ob vitium, quod contraxerunt, ſint inepti ad ſemen ſecernendum.

§. 348.

Errorem externum cum *Galeno* dicimus impedimentum actionis organi ad quam producendam ipſum in ſe ſpectatum aptum deprehenditur. *Error externus quid ſit.*

Si fæces alvi fuerint nimis duræ, ut inteſtina, etſi in ſe ſpectata ad eas excernendum diſpoſita ſint, eas tamen excernere nequeant; impedimentum hoc actionis inteſtinorum, quibus nullum vitium inhæret, error dicitur externus: Notionem ſanitatis uberius explicavimus in Horis ſubſecivis Anni 1729. *Trim. æſt. num IV.* notionem vero morbi *Trimeſtri autumn. num. IV.* ubi etiam de errore externo juxta *Galenum* §. 8.

§. 349.

Homo obligatur ad corpus ſuum conſervandum, hoc eſt, *ad ea facienda, quæ ad corporis conſervationem conferre poteſt, & ad non facienda, quæ idem deſtruunt.* Etenim facultate vitali, quæ corpori competit, perficiuntur actiones ad ejus conſervationem neceſſariæ (§. 306.), atque hæ actiones naturales ſunt (§. 309.), ut adeo actiones naturales huic facultati debitæ per conſervationem corporis determinentur tanquam per rationem finalem. Enimvero homo obligatur ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas (§. 154. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Patet itaque hominem obligari ad ea facienda, quæ ad corporis conſervationem conferre poteſt, & ad non facienda, quæ idem deſtruunt. *Obligatio corpus ſuum conſervandi.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Perfectio corporis qua vivi conſiſtit in aptitudine ſe conſervandi (§. 317.). Actiones igitur tendentes ad conſervationem corporis noſtri, ad perfectionem ejus tendunt; eidem vero contrariæ, hoc eſt, tendentes ad deſtructionem corporis ad imperfectionem ejus tendunt. Quoniam itaque

itaque lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram tendunt & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram tendunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ea facere debemus, quæ ad corporis conſervationem conferre valemus, & non facere tenemur, quæ idem deſtruunt.

Non exiſtimandum eſt, demonſtrationem poſteriorem moralitatem intrinſecam conſervationis corporis deducere ex fonte alio, quam priorem. Etenim tum actiones tendunt ad perfectionem corporis, quando cum naturalibus per eandem rationem finalem determinantur. Organorum vitalium actiones omnes per ipſam eſſentiam & naturam corporis noſtri determinantur per conſervationem corporis tanquam rationem finalem, atque adeo tendunt ad perfectionem corporis qua vivi, quæ ingreditur non modo perfectionem corporis qua humani (§. 338.), verum etiam totius hominis (§. 340.).

§. 350.

Obligatio ad vitam conſervandam. Quoniam corpus conſervari nequit, niſi vita conſervetur, quod nemo in dubium vocat; *homo* autem ad corpus conſervandum obligatur (§. 349.); *quin idem ad vitam conſervandam obligetur, dubitari nequit*.

Conſervatio vitæ in conſervatione corporis continetur, adeoque obligatio corpus ſuum conſervandi continet obligationem conſervandi vitam. Si corpus fuerit mortuum, ſeu vita privetur, putredine corrumpitur, ut conſervari amplius nequeat. Immo ceſſat omnis organi cujuslibet corporis actio, ut per ipſum harmonia inter animam & corpus conſervari amplius nequeat, adeoque corpus noſtrum deſinat eſſe corpus humanum (§. 335.), & hinc *cadaver* vocatur. Immo inter organa, quæ vitalia diximus, ſunt etiam ea, a quibus immediate perficitur actus vitæ, ut adeo perfectio corporis qua vivi contineat actum vitæ:

§. 351.

An vita ſit in dominio hominis. *Homini non competit dominium in vitam ſuam*. Etenim homo obligatur ad vitam ſuam conſervandam (350.), adeoque moraliter neceſſe eſt, ut eam conſervare ſtudeat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec liberum ipſi relinquitur, utrum eam conſervare velit, nec ne. Quoniam adeo ipſi integrum non eſt de vita ſua diſponere pro arbitrio ſuo, dominium vero in eam rem nobis non competit, de qua pro arbitrio noſtro diſponere minime poſſumus (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*); homini non competit dominium in vitam ſuam.

§. 352.

An homo ſit dominus vitæ ſuæ. Quoniam homini non competit dominium in vitam ſuam (§. 351.), dominus autem vitæ non eſt, cui dominium in eam minime competit (§. 964. *part.* 1. *Theol. nat.*); *Homo non eſt dominus vitæ ſuæ*.

Obligatio vitam conſervandi, quæ ex eſſentia & natura corporis humani fluit (§. 350.), tollit dominium vitæ (§ 351.): id quod nemo ignorare poterat, modo obligationem naturalem ex ipſa hominis eſſentia atque natura deduxiſſent omnes, quemadmodum debebant (§. 129. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Si qui vero ſunt; qui ad genuinum fontem obligationis naturalis minime advertunt animum; hi afferunt rationes, ob quas tollendum ſit dominium vitæ, minime evidentes & exceptionibus obnoxias.

§. 353.

An homo ſeipſum vita privare poſſit. *Nemo hominum habet jus ſemetipſum vita privandi*. Etenim vitam ſuam conſervare tenetur (§. 350.), conſequenter vitam ſibimetipſi auferre, ſi ita viſum fuerit, nequit. Enimvero quoniam jus ſemetipſum vita privandi minime competit

petit ei, qui eandem ſibimetipſi auferre nequit (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nemo hominum habet jus ſemetipſum vita privandi.

Pugnat hoc jus cum obligatione vitam conſervandi. Quoniam enim vitam conſervare obligamur (§. 350.), lege naturali præcipitur vitæ conſervatio (§. 104. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque prohibitum eſſe debet; ut noſmetipſos vita privemus (§. 28. *Ontol.*). Homini adeo; qui obligatus eſt ad vitam conſervandam, competere nequit facultas eadem ſeſe privandi, conſequenter nullum is habet jus ſeipſum vita privandi (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 354.

Autochiria dicitur factum quodcunque, quo quis ſibimetipſi vitam adimit. Et *Autochir* vocatur qui ſibimetipſi vitam quocunque modo adimit, ſeu eadem ſeſe privat. *Autochiria quid ſit.*

Ita autochir eſt, qui venenum haurit, mortem ſibi acceleraturus, qui ſeipſum gladio interficit, qui laqueo ſe ſuſpendit vel ſtrangulat, qui in flumen ſeſe præcipitem dat, qui venam ſecat, ut ſanguis omnis effluat, & ſi qui ſunt modi alii, quibus quis in ſemetipſum ſævire poteſt.

§. 355.

Autochiria jure naturali licita non eſt. Nemo hominum habet jus ſemetipſum vita privandi (§. 353.). Quamobrem cum licitum non ſit, ad quod agendum jus nullum habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec autochiria jure naturali licita. *Autochiria Jur. N. num licita ſit.*

Fuere haud pauci veterum, qui autochiriam licitam eſſe exiſtimaverunt; propterea quod eam eſſe medium evitandi malum majus viderunt, cur vero ſit illicita nullam repetire potuerunt rationem evidentem. Enimvero ſi agnoviſſent autochiriam minime licitam eſſe, nec eam licitam agnoviſſent, quando eſt medium evitandi malum majus. Medium enim in ſe illicitum nunquam licitum fieri poteſt. Poſtquam igitur in genere oſtendimus autochiriam licitam non eſſe; non opus eſt, ut ad caſus particulares deſcendamus, ſi ita quod in caſu particulari refelli poſſint rationes, quæ pro autochiria in medium afferuntur.

§. 356.

Lege naturali prohibita eſt autochiria. Etenim lege naturali obligamur ad vitam conſervandam, ſimulque ad eam non deſtruendam (§. 350.). Quamobrem etiam obligamur ad omittenda facta, quibus vita noſmetipſos privamus. Quoniam itaque autochiria tale factum eſt (§. 354.); ad autochiriam non committendam obligamur. Enimvero lege naturali prohibitum, ad quod non faciendum obligamur (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Autochiria igitur lege naturali prohibita eſt. *An lege naturali prohibita.*

Propoſitio hæc non prorſus eadem eſt cum præcedente. In præcedente enim tantummodo negatur, autochirem manus violentas ſibi inferre ullo jure; hic vero affirmatur, quod ad abſtinendum ab eadem obligetur.

§. 357.

Quoniam autochiria lege naturali prohibita (§. 356.), quod vero lege naturali prohibitum, naturaliter illicitum eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *autochiria naturaliter illicita.* *An illicita*

Autochiriam ſimpliciter damnat *Auguſtinus* de Civitate Dei lib. 1. c. 17. & ſeqq. Et inter Philoſophos idem olim contra Stoicos defenderunt Platonici. JCti Romani, quando de iis loquuntur, qui ſibimetipſis manus violentas intulerunt, diſtinguunt num hoc fecerint mala con-

conſcientia; an tædio vitæ l. 11. §. 5. ff. *de his, qui not. infam.* vel impatientia alicujus doloris, vel alia juſta de cauſa l. 3. §. 4. 5. 8. ff. *de bon. eor. qui ante ſent.* Cum igitur juſtam cauſam autochiriæ admittant, & talem pronuncient tædium vitæ, vel impatientiam doloris; nullum ſupereſſe poteſt dubium, quin cum Stoicis, quorum in ceteris placita ſecuti ſunt, nec autochiriam ſimpliciter damnaverint, adeoque eam licitam exiſtimaverint; modo non fiat ex mala conſcientia. Noſtrum jam non eſt fuſius hoc perſequi: ſufficit ex ratione allata mentem JCtorum Romanorum eſſe ſatis manifeſtam, etſi id, quod diſponunt leges de iis, qui manus violentas ſibimetipſis intulerunt, in dubio relinquat lectorem, num aliquam autochiriam licitam admiſerint, an tantummodo in omni caſu illiciti criminis gradus diſtinxerint.

§. 358.

Mors voluntaria quaenam.

Mors voluntaria dici ſolet, quam quis ſibimetipſi conſciſcit, ea nempe intentione hoc faciens, ut moriatur. Quamobrem cum Autochires ſibimetipſis vitam adimant (§. 354.), adeoque mortem conſciſcant; *Autochirum mors voluntaria eſt*.

Hinc per inconſtantiam loquendi pro autochiria mortem voluntariam dicunt, cum tamen autochiria proprie denotet factum, quo quis ſibimetipſi mortem conſciſcit, non vero mortem, quæ tali facto conſciſcitur. Cum philoſophia non ferat loquendi inconſtantiam, autochiria & mors voluntaria in eadem a ſe invicem diſtingui debent.

§. 359.

Mors voluntaria L. N. adverſa.

Quoniam autochiria lege naturali prohibita (§. 356.), mors vero voluntaria eſt autochirum (§. 358.); ideo patet, *mortem voluntariam eſſe obligationi naturali adverſam*.

Nimirum obligamur ad omittendum facta, quibus mors conſciſcitur, adeoque cum mors voluntaria libere conſciſcatur (§. 358.); obligationi naturali repugnat.

§. 360.

An ſit inhoneſta.

Mors voluntaria inhoneſta eſt. Repugnat enim obligationi naturali (§. 359.). Enimvero quod obligationi naturali repugnat, inhoneſtum eſt (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo mors voluntaria inhoneſta eſt.

Quod JCti Romani inhoneſtam non agnoverint niſi eo in caſu, quando ex mala conſcientia conſcita, ex eo eſt, quod eam extra hunc caſum obligationi naturali minime contrariam exiſtimaverint, fonte obligationis naturalis nonniſi per tranſennam inſpecto.

§. 361.

Mors naturalis quaenam.

Mors naturalis dicitur, quæ nullo facto humano conſciſcitur, quod ſcilicet perpetratur ea intentione, ut moriaris.

Ita morte naturali vitam finit; qui apoplexia extinguitur. Etenim qui eam ſubit, nihil facit ea intentione, ut moriatur, quemadmodum qui ferro in corpus ſuum ſævit. Similiter qui venenum inſcius haurit, morte naturali extinguitur; quia hoc non facit ea intentione, ut moriatur. Enimvero qui idem facit vitæ pertæſus, ut eandem finiat, mortem voluntariam ſubit, non naturalem (§. 358.).

§. 362.

Mors violenta quaenam.

Mors violenta vocatur, quæ facto cuidam humano debetur, ſive proprio, ſive alieno. Quamobrem cum *mors voluntaria* debeatur facto humano proprio (§. 358.).

Digitized by Google

(§. 358.), ea ſpecies *quædam mortis violentæ eſt*, conſequenter *Autochires morte violenta vitam finiunt* (§. *cit.*).

Facto alieno mortem violentam ſubire cogitur, qui gladio transfoſſus ab aggreſſore vitam finit. Similiter ſi uxor perfida marito propinat venenum, ut eum e medio tollat; veneno extincti mors violenta eſt. Si quis in fluvium ſe præcipitem dat, mors violenta eſt; naturalis autem, ſi præter voluntatem ſuam aquis mergitur.

§. 363.

Furioſis autochiria imputari nequit. Cum enim autochiria ſit factum quodcunque, quo quis ſeipſum vita privat (§. 354.); ſi in furore committitur, actio furioſi eſt. Enimvero furioſis actiones ſuæ imputari nequeunt (§. 567. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo nec autochiria furioſis imputari poteſt. *An autochiria furioſis imputanda.*

Non tamen ideo dici poteſt, quod alia autochiria ſit licita. Quando enim quæritur, num actio aliqua ſit licita, vel illicita; de actione libera quæſtio eſt. Enimvero actiones furioſi ex furore profectæ liberis accenſeri nequeunt.

§. 364.

Autochiria ex melancholia & delirio commiſſa imputari nequit. Quoniam enim actiones ex melancholia (§. 574. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & delirio commiſſæ imputari nequeunt (§. 576. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); patet ut ante illam imputari non poſſe. *An quæ committitur ex melancholia & delirio*

Quæ modo de autochiria furioſi diximus, ea quoque tenenda ſunt de autochiria ex melancholia & delirio commiſſa. De delirio nullum eſt dubium; aſt de melancholia dubium oriri poterat, quod rationis uſu non deſtituantur melancholia laborantes. Enimvero dubium hoc jam ſuſtulimus (*not.* §. 574. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ubi monuimus, melancholicos quoad unam rem falſam plerumque aberrare, ut in hoc uno ſint delirantibus ſimiles. Melancholia angor animi eſt, quo melancholicus torquetur ab eo liberari neſcius (*loc. cit.*). Quod ſi ergo melancholicus manus violentas ſibimetipſi infert, tædio vitæ hoc facit. Non igitur improbanda videtur ſententia JCtorum Romanorum, qui cauſam juſtam autochiriæ dixerunt tædium vitæ (*not.* §. 357.). Enimvero tædium vitæ non ſemper ex melancholia proficiſcitur, ſed alias quoque poteſt habere cauſas. Neque Stoici, quorum dubio procul ſententiam amplexi ſunt JCti Romani, autochiriam tædio vitæ commiſſam pro licita habuerunt, quia ex melancholia proficiſcitur, ſed quod exiſtimarent, animam in corpore tanquam in carcere detineri, ut adeo tædium vitæ conjunctum ſit cum deſiderio conſequendi libertatem veram, ne diutius ſubjecti ſimus facultatibus animæ inferioribus a corpore pendentibus. Falſam autem hanc eſſe hypotheſin non ignorat, qui naturam animæ & ejus cum corpore commercium in Pſychologia rationali intimius perſpexit.

§. 365.

Autochiria ex amore inſano commiſſa per ſe imputari nequit. Quoniam enim actiones ex amore inſano profectæ imputari per ſe nequeunt (§. 575. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eodem quo ante modo patet, autochiriam ex amore inſano commiſſam per ſe imputari non poſſe. *An commiſſa ex amore inſano.*

Ne hic quicquam ſuperſit dubii, relegenda ſunt, quæ de amore inſano annotavimus alibi (*not.* § *cit.*). Mittimus caſus alios, in quibus autochiria deprehenditur in numero illarum actionum, quas imputari non poſſe evicimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. Abſit autem ut exiſtimes nos hoſce caſus eximere a regula generali, qua autochiriam omnem naturaliter illicitam declaravimus (§. 357.). Quando enim imputari nequit, actionibus naturalibus æquipollet, quemadmodum intelligitur ex anterioribus (*not.* §. 363.).

§. 366.

Digitized by Google

§. 366.

Effectus mortis.

Quam primum homo moriutr, uſus omnium facultatum corporis ſimul ceſſat. Conſtat quotidiana experientia, ceſſare in corpore mortuo omnem motum omnemque ſenſationem, nec ullius organi amplius edi poſſe actionem. Quamobrem cum uſus facultatum pro diverſitate organorum diverſarum (§. 306.) conſiſtat in actionibus, quæ ope organi eliciuntur (§. 198.); evidens eſt, quamprimum homo moritur, uſum omnium facultatum corporis ſimul ceſſare.

§. 367.

Ulterius expenditur.

Quoniam itaque uſus facultatis vitalis reſpicit conſervationem individui ac ſpeciei, uſus ſenſitivæ ſenſationem, uſus denique locomotivæ motum membrorum externorum totiuſque corporis (§. 306.), quamprimum vero homo moritur, uſus omnium facultatum corporis ſimul ceſſat (§. 366.); *corpus mortuum non amplius aptum eſt ad ſe conſervandum, ſpeciemque ſuam propagandam, neque ad ideas rerum materiales producendas, neque ad motus appetitionibus & averſionibus animæ conſentientes producendos*, conſequenter *nec ad conſervandam animæ ac corporis harmoniam* (§. 539. *Pſych. rat.*).

§. 368.

Mors corporis perfectionem deſtruit.

Mors tollit perfectionem omnem corporis & omni imperfectioni obnoxium reddit. Etenim mors corpus ineptum reddit ad conſervationem ſui ac ſpeciei ſuæ, ad producendas rerum ſenſibilium ideas materiales, ad motus appetitionibus & averſionibus animæ conſentientes producendos & ad conſervandam corporis ac animæ harmoniam (§. 367.). Enimvero perfectio corporis qua vivi conſiſtit in aptitudine ſe ſpeciemque ſuam conſervandi (§. 317.), qua ſentientis in aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi (§. 323.), qua ſe moventis in aptitudine motus appetitionibus & averſionibus animæ convenientes producendi (§. 330.), qua humani denique in aptitudine harmoniam animæ ac corporis conſervandi (§. 335.) adeoque imperfectio ejus conſiſtit in ineptitudine conſervandi individuum ac propagandi ſpeciem, producendi ideas ſenſibilium materiales, motuſque appetitionibus & averſionibus animæ conſentientes ac conſervandi harmoniam animæ ac corporis. Patet itaque morte tolli omnem corporis perfectionem idemque omni imperfectioni obnoxium reddi.

Videmus adeo ſine vita perfectionem corporis ſubſiſtere non poſſe. Unde cum mors privatio vitæ ſit, idem quoque omni ſua privatur perfectione.

§. 369.

Quale ſit corpus mortuum.

Corpus mortuum per naturam ſuam tendit ad ſui deſtructionem. Partes omnium organorum corporis conſtant ex materia mixta & maxima pars materiæ fluida eſt: id quod ſuo loco expreſſius oſtendetur. Humores autem in corpore mortuo ſtagnantes fermentantur, & hac fermentatione materia partium ſolidarum mixta diſſolvitur: quod dum fit, corpus putreſcere dicitur. Nullum adeo organum a morte corporis ſubſiſtere poteſt, ſed ſucceſſive ſingula intereunt (§. 541. *Ontol.*). Quoniam itaque ratio, cur tota corporis machina a morte tandem deſtruatur, in ipſo corpore continetur (§. 56. *Ontol.*); quin corpus mortuum per naturam ſuam ad ſui deſtructionem tendat, dubitari nequit (§. 32.).

Sta-

Status adeo corporis mortui oppoſitus eſt ſtatui vivi. Etenim corpus vivum per naturam ſuam tendit ad ſui conſervationem (§ 303.305.), mortuum autem ad ſui deſtructionem. Quoniam adeo perfectio vivi in aptitudine ſe conſervandi conſiſtit (§. 327.); nihil prorſus ejus reſidui eſt in mortuo.

§. 370.

Quale malum ſit mors naturalis.

Mors naturalis eſt malum phyſicum nulli hominum evitabile. Etenim corpus mortuum tendit ad ſui deſtructionem (§. 369.), & mors tollit omnem perfectionem ejus, idemque omni imperfectioni obnoxium reddit (§. 368.). Quoniam itaque malum eſt, quod corpus reddit imperfectius (§. 565. *Pſych. empir.*) & maximum, quod ſubire poteſt, malum, quod totalem ejus deſtructionem cauſatur; quin mors ſit malum corporis, idque maximum dubitari haud quaquam poteſt. Enimvero mors naturalis nullo facto humano conſciſcitur (§. 361.), adeoque effectus mere naturalis eſt a cauſis nimirum naturalibus in Phyſica inquirendis dependens. Quamobrem cum malum phyſicum ſit, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere cenſetur (§. 373. *part. 1. Theol. nat.*), ob imperfectionem autem corporis humani ſtatus mundi imperfectior exiſtimetur; mors naturalis malum phyſicum eſt. Et quoniam omnium ſeculorum experientia confirmat, mortem naturalem a nemine hominum evitari poſſe; mors naturalis eſt malum phyſicum nulli hominum evitabile.

Inde eſt, quod omne animal, cujus appetitus generaliter determinatus eſt ad bonum, a morte tanquam malo quodam abhorreat: qui horror in homine maxime conſpicuus, cum in aliis animantibus non adeo clara ſit repræſentatio mortis. Et quia omnium malorum phyſicorum, quæ corpori accidere poſſunt, maximum eſt: qui magnitudinem hujus mali cogitat, ab eodem quoque maxime abhorret. Unde *Ariſtoteles* mortem omnium terribilium terribiliſſimum dixit. Hæc quidem ita ſeſe habent, ſi mortem in ſe ſpectamus, nullo habito reſpectu ad alia quæ eam conſequuntur. Quando enim mors videtur bona, non talis videtur in ſe, ſed quatenus eſt medium vel liberandi hominem a moleſtiis intolerabilibus, vel conſequendi, quæ maxime appetit. Poſtremum obtinet in Chriſtianis, qui ſpem vitæ melioris a morte corporis habent; prius obtinebat in Philoſophis veteribus, quibus mors videbatur liberationis animæ e carcere medium.

§. 371.

Pericula vitæ quantum vitanda.

Homo periculum vitæ vitare debet, quantum in poteſtate ipſius poſitum. Vitam enim conſervare debet (§. 350.), conſequenter ſibi cavere tenetur, ne jacturam vitæ faciat, ubi eam evitare in poteſtate ipſius poſitum. Quamobrem cum in periculo vitæ conſtitutus ejus jacturam facere poſſit; quin hoc ipſum vitare debeat, quantum in poteſtate ipſius poſitum dubitandum non eſt.

Qui vitæ periculum adit, certe non novit, utrum ſit jacturam vitæ facturus, an ſalvus idem evaſurus. Quamobrem dum hoc facit, indirecte ſaltem vitæ jacturam intendit (§. 621. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Hoc vero repugnat obligationi vitæ conſervandæ (§. 350.), quippe vi cujus neceſſe eſt, ut evitemus ea omnia, quæ vitæ inſidias ſtruunt, & in caſu dubio eligamus id, quod pro vitæ conſervatione eſt.

§. 372.

Obligatio conſervandi organa corporis integra.

Integritatem omnium organorum corporis conſervare tenemur. Corpus hominis componitur ex organis vitalibus, ſenſoriis atque motus (§. 303. 304.). Enim vero perfectio corporis qua humani ſupponit integritatem omnium organorum corporis (§. 339.) & ſive vitalis (§ 322.), ſive ſenſorii (§. 327.), ſive moventis integritas lædatur, corpus imperfectioni obnoxium evadit (§. 334.). Quoniam itaque homo obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem corporis ſui tendunt, & ad omittendas eas, quæ per ſe ad imperfe-

ctionem noſtram tendunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); utique etiam omnium organorum corporis integritatem conſervare tenetur.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Actiones organorum vitalium, quas naturales eſſe conſtat (§. 309.), tendunt ad conſervationem totius corporis (§. 306.), adeoque per eam tanquam rationem finalem determinantur (§. 113. *Ontol.* & §. 46. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum corpus humanum ex organis omnibus ſimul ſumptis tanquam ex partibus conſtet, actiones organorum vitalium determinantur per conſervationem integritatis omnium organorum corporis tanquam rationem finalem. Enimvero lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem actiones quoque liberæ, quæ corpus reſpiciunt, per integritatem ſingulorum organorum corporis tanquam rationem finalem determinari debent. Integritatem adeo omnium organorum corporis conſervare tenemur.

Nullum datur in corpore humano organon; quod non certo uſui deſtinetur, ut vitam hominis vivere poſſis. Quodſi adeo vel unius organi uſu deſtituaris, etiamſi is ad vitæ conſervationem minime requiratur (§. 303.), hic tamen defectus corpus imperfectius reddit; & hinc aliæ quoque imperfectiones in ſtatum hominis tam internum, quam externum redundant, quemadmodum perſpicuum evadit omnibus, qui ad nexum rerum animum attendunt.

§. 373.

Periculum læſionis organi corporis quantum vitandum.

Quilibet periculum integritatem organi cujuſdam corporis lædendi vitare debet, quantum in poteſtate ipſius poſitum. Quoniam integritatem omnium organorum corporis conſervare tenemur (§. 372.); eodem, quo ante, modo de vitandis vitæ periculis (§. 371.), patet quemlibet omnino hominem integritatem organi cujuſdam corporis lædendi periculum vitare debere.

Qui perpendit; quot ſint corporis organa, quot ſint caſus, in quibus integritas eorundem lædi poteſt, quam late pateat hæc obligatio facile perſpiciet. Etſi vero non negemus ad juris naturalis tractationem ſpectare, ut omnes iſti caſus expendantur; noſtrum tamen in præſenti non eſt, ad particularia deſcendere, cum iſtiuſmodi prolixitatem non ferat præſentis inſtituti ratio. Principia ſtabilimus generalia, quibus perſpectis haud difficilis erit ad particularia aditus, & quorum applicatione ad caſus particulares obvios ſatisfit praxi.

§. 374.

An homini competat dominium in corpus ſuum & organa ejus.

Nemini hominum competit dominium in corpus ſuum, vel ullum ejus organon, ſeu membrum. Etenim homo integritatem omnium organorum corporis, adeoque totum corpus conſervare (§. 372.) & periculum integritatem organi cujuſdam lædendi vitare debet, quantum in poteſtate ipſius poſitum (§. 373.). Quoniam igitur neceſſe eſt ut hoc faciat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); de nullo organo corporis, adeoque multo minus de toto corpore diſponere poteſt pro arbitrio ſuo. Enimvero qui de re aliqua pro arbitrio ſuo diſponere nequit, dominium in ea non habet (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*). Nemini adeo hominum competit dominium in corpus ſuum, vel ullum ejus organon.

§. 375.

An homo ſit dominus corporis ſui & membrorum ejus.

Quoniam dominus rei non eſt, cui dominium minime competit (§. 964. *part.* 1. *Theol. nat.*), nemini autem hominum dominium in corpus ſuum, vel ullum ejus organon ſeu membrum competit (§. 374.); *nullus* quoque *hominum eſt dominus corporis ſui, vel ullius organi ejuſdem.*

Quo ſenſu corpus hominis dicatur corpus ſuum, alibi docuimus (§. 58. *Pſych. empir.*). Abſit adeo, ut tibi perſuadeas; idem dici ſuum eo ſenſu, quo res, quæ ſunt in dominio, dicun-

cuntur noſtræ (§. 131.). Non tamen ideo exiſtimandum eſt, quaſi hoc modo ambiguitas loquendi introducatur: neque enim de jure quæſtio eſt, quando in communi ſermone corpus noſtrum appellamus. Sufficit adeo, ut in Jure naturali vocabulo tribuatur fixus quidam ſignificatus, a quo non receditur.

§. 376.

Quale jus in organa corporis homini competat.

Homini competit jus utendi organis ſuis, quoties eorum uſum exigit obligatio quædam naturalis. Lex enim naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi qua obligatio naturalis exigit uſum quendam organi cujuſdam corporis, eum faciendi jus nobis eſt. Atque adeo patet homini competere jus utendi organis corporis ſui, quoties eorum uſum exigit obligatio quædam naturalis (§. 957. *part. 1. Theol. nat.*).

Non eſt quod excipias jus utendi eſſe facultatem moralem diſponendi de quolibet rei uſu pro arbitrio ſuo (§. 957. *part. 1. Theol. nat.*), adeoque jus utendi organis corporis non poſſe reſtringi ad obligationem naturalem, cui ſine hoc uſu ſatisfieri nequit. Ita nimirum non pendere ab arbitrio tuo, quemnam uſum facere velis; ſed neceſſe eſſe ut eum facias, quem lex naturæ exigit. Etenim libertati minime officit, ut voluntatem ad normam legis naturalis componamus, nec datur organorum corporis alius uſus, quam qui ad hoc facit, ut obligationi naturali ſatisfiat. Alius enim qui fingitur uſus, non uſus, ſed abuſus eſt (§. 646. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 377.

Uſuarius quinam ſit.

Uſuarius dicitur, cui competit jus re quadam utendi.

Si Titius moriens tibi legat uſum ædium ſuarum, ut eas inhabitare poſſis, quamdiu vivis; tibi competit jus utendi, nec quiſquam alius ſibi idem jus vindicare valet. De uſu adeo ædium harum diſponere potes pro arbitrio tuo, prout ti ſcilicet tibi commodum viſum fueris.

§. 378.

Homo uſuarius organorum corporis.

Homo eſt uſuarius organorum corporis ſui. Homini enim competit jus utendi organis corporis ſui, quoties eorum uſum exigit obligatio quædam naturalis (§. 376.). Sed uſuarius rei eſt, cui tantummodo competit jus eadem utendi (§. 377.). Homo igitur eſt uſuarius organorum corporis ſui.

Videmus adeo eſſe homini aliquod jus in corpus ſuum, quale nulli alteri competit, atque adeo in ſenſu quoque eo, quem vocabulo tribuimus (§. 131.), corpus hominis poſſe dici ſuum corpus. Neque hoc jus differt ab eo, quod eſt uſuario ædium. Quemadmodum enim hic eum facere tenetur uſum ædium, qui ædium eſſe ſolet: ita etiam homo non alium tenetur facere uſum organorum corporis ſui, quam qui eorum eſt, cum alius, qui fingitur, uſus ſit abuſus, quemadmodum jam monuimus (*not.* §. 376.).

§. 379.

Quinam ſit corporis noſtri dominus, itemque animæ.

Deus eſt dominus corporis noſtri, & animæ noſtræ. Etenim Deus eſt dominus hominis (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum homo conſtet ex anima atque corpore; non minus corporis noſtri, quam animæ noſtræ dominus eſt.

Quamobrem ſi rigoroſe loqui velis; corpus, quod habemus, Dei eſt, & anima, cui unitum itidem Dei eſt. Atque adeo non minus corpus, quam animam conſiderare debemus tanquam rem alienam, non tanquam noſtram. Utinam omnes hoc probe perpenderent! Quodſi enim veritatis hujus forent convicti, officia erga ſeipſum accuratius obſervarent, quam vulgo fieri ſolet.

Digitized by Google

Perverſa ſane plerorumque hominum animos obſedit opinio de jure in corpus ſuum (de anima enim parum cogitant), quaſi tanquam domini de eo diſponere poſſint; quemadmodum viſum fuerit.

§. 380.

Corpus quanam re indigeat ad ſui conſervationem.

Corpus ſine cibo ac potu conſervari nequit. Sumimus hoc a poſteriori, cum nemo ſit, qui id ipſum in ſe quotidie non experiatur.

Ratio a priori dabitur ſuo loco in Phyſica. Corpus enim noſtrum, quamdiu vivit, propter tranſpirationem inſenſibilem eſt in continuo ſtatu fluendi. Quæ igitur continuo decedunt, reſtauranda ſunt nutrimento, cui inſerviunt cibus ac potus.

§. 381.

Alimentum quid ſit.

Alimenta dicuntur res, quæ in ſubſtantiam corporis noſtri verti poſſunt.

Corpus enim alitur, quatenus in locum ejus, quod per tranſpirationem inſenſibilem ipſi decedit, aliud ſuccedit. Particulæ igitur, quæ in locum aliarum ſuccedunt, ſimiles eſſe debent iis, quæ decedunt ſeu abſumuntur. Unde alimenta reſolvi debent in iſtiuſmodi materiam, ex qua conſtant ſingulæ partes corporis noſtri, ut ubivis in locum ejus, quod abſumitur, reponi poſſit ipſi ſimile. Hoc enim pacto corpus, dum continuo mutatur, videtur non mutari, ſed idem ſubſiſtere. Et hoc modo intelligitur, quomodo alimenta in ſubſtantiam corporis noſtri vertantur.

§. 382.

Cibi ac potus differentia.

Alimentum ſolidum dicitur *Cibus;* fluidum vero *Potus* vocatur.

Quemadmodum enim corpus conſtat ex materia ſolida & fluida; ita quoque alimento non minus ſolido, quam fluido opus habet. Patebit autem ſuo loco, ad ciborum quoque digeſtionem potum neceſſarium eſſe.

§. 383.

Jus hominis ad cibum ac potum.

Homo jus habet ad eas res, quæ cibo ac potui inſerviunt, ſeu corpus alere poſſunt. Homo corpus ſuum conſervare tenetur (§. 350.). Enimvero ſine cibo ac potu idem conſervari nequit (§. 380.). Ergo ſine uſu cibi ac potus obligationi huic naturali ſatisfacere nequit (§. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo etiam dat jus utendi cibo ac potu, conſequenter ad eas res, quæ cibo ac potui inſerviunt, ſeu corpus alere poſſunt (§. 381.).

Conſideremus hoc jus, quale eſt ante introducta dominia. Unde patet, ipſum non reſtringi ad certa quædam individua, ſeu ad certas tantummodo rerum ſpecies. Imago quædam hujus juris conſpicitur in brutis, cum id ipſum fluat ex natura hominum & brutorum communi. Quemadmodum enim corpora humana ad ſui conſervationem per eſſentiam & naturam ſuam apta ſunt, ſed ut actu conſerventur cibo ac potu indigent; ita utrumque videre eſt in animantibus brutis. Quod itaque brutis natura concedit, nimirum ut veſcantur rebus, quæ ipſis cibo eſſe poſſunt; ita homini idem faciendi jus eſt. Nimirum ubi quæſtio incidit de jure communi, quod diximus (§. 161. *part 1. Phil. pract. univ.*); ab iis, quæ bruta faciunt inſtinctu naturæ, valet argumentatio ad jus hominum, nec homines deterioris conditionis cenſeri poſſunt quam bruta.

§. 384.

Digitized by Google

§. 384.

Quibuſnam rebus veſcendi jus homini ſit.

Quoniam homini competit jus ad eas res, quæ cibo ac potui inſerviunt, ſeu corpus alere poſſunt (§. 383.), experientia autem conſtat, non minus inter plantas & arborum fructus reperiri, quæ corpus alunt, quam partes quaſdam quorundam animalium & alia, quæ ab animalibus proveniunt, nutrimentum corpori commodum præbere; *homini* omnino *jus eſt veſcendi plantis arborumque fructibus & carnibus animalium, aliiſque quæ ab animalibus proveniunt*, conſequenter cum licitum ſit, quod faciendi homini jus eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *non minus carnibus animalium, quam iis, quæ ab animalibus proveniunt, & plantis ac arborum fructibus veſci licitum eſt.*

Juris hujus imago denuo conſpicitur in brutis. Videmus enim alia animantia bruta cibum ſuum capere ex regno vegetabili, alia ex regno animali. Ita dantur piſces, qui devorant alios minores, ac hoc, non alio cibo nutriri poſſunt. Dantur aves, qui inſectis nutriuntur. Dantur quadrupedes, quæ carnibus aliorum quadrupedum aluntur: immo dantur etiam aves, quæ veſcuntur carnibus. Unumquodque animal appetit cibum ſibi convenientem, hoc eſt, eum, quo corpus ejuſdem alitur. Quamobrem & homini licitum eſt veſci iis, quæ corpus ipſius alere poſſunt (*not* §. 383.). Quodſi obſcurum videtur, quænam ſint ea, quæ ab animalibus proveniunt, facile ea nominantur: ſunt enim lac, butyrum, caſeus, ova, mel. Qui carnis uſum illicitum exiſtimant, a genuino fonte juris naturalis animum avertunt. Si probare poſſis, te quadam corpus tuum nutriri poſſe, ut conſervetur; eadem quoque veſci licet. Quodſi objicias bruta eſſe machinas artificioſiſſime conſtructas eorumque dominum eſſe Deum (§. 966. *Theol. nat.*), neminem autem artificum æquo animo ferre, ut machina artificioſe constructa deſtruatur ab alio; a pari quidem argumentari tibi videris, minime tamen argumentaris, ignorantia rerum naturalium. In natura una eademque materia varias ſubire debet mutationes, antequam apta ſit ad generationem rei alterius. Et eodem modo materia, ut apta evadat nutriendo corpori noſtro, variis antea modis modificanda. Ad hanc modificationem cum pertineat, ut generentur plantæ vel animalia hujus ſpeciei, antequam materia alimenti qualitates recipere poſſit; eo fine plantæ iſtæ ac animalia generari dicenda ſunt, ut alendis corporibus noſtris inſervire queant.

§. 385.

Anthropophagi definitio.

Anthropophagus dicitur, qui carne humana veſcitur, Vernaculo ſermone Menſchen Freſſer appellamus.

Fuiſſe olim homines in multis terræ locis, veluti in Æthiopia, Scythia & alibi, qui carne humana veſcebantur, autores ſunt *Solinus* c. 33. *Pomponius Mela* lib. 2. c. 2. *Gellius* lib. 9. c. 4. *Marcellinus* lib. 31. cap 5. *Plinius* lib 30. c. 1. Immo de Tartaris refert *Thuanus* lib. 39. quod infantes diſſecatos, verubus transfixos & ad ignem roſtos devorent; Chriſtianorum hoſtium carnes quotidie edant & exquiſiti cibi loco ducant mulierum mammillis veſci. Quæri adeo poterat, an anthropophagia juri naturali repugnet. Equidem moratioribus gentibus alimenta nefanda viſa ſunt; ſed reddenda ratio eſt, cur jure naturali prohibita.

§. 386.

An caro humana ſit alimentum corporis.

Caro humana alimentum corporis humani eſt. Conſtat exemplo anthropophagorum, qui carne humana veſcebantur, eadem corpus humanum perinde conſervari, ac eſu carnis brutorum a nobis conſervari ſolet (*not.* §. 385.). Quamobrem patet, carnem humanam in ventriculo digeſtam in ſubſtantiam corporis noſtri verti. Quoniam itaque res quælibet, quæ in ſubſtantiam corporis noſtri verti poteſt, alimentum eſt (§. 381.); caro humana eſt alimentum corporis humani.

Quod ſit alimentum corporis ferarum experientia docet. Conſtat enim lupos, urſos aliaſque feras, & ex volatilibus corvos veſci carne humana. Antequam vero quæratur, num carne humana veſci liceat; conſtare debet, num ſit alimentum corporis humani. Alias inutilis

foret quæſtio, quemadmodum nemo quæret, num lapidibus vel ferro veſci licitum, quia lapides ac ferrum cedere nequeunt in nutrimentum corporis noſtri.

§. 387.

An hominem interficere liceat, ut carne ejus veſcamur.

Nemini hominum natura jus eſſe poteſt interficiendi alterum, ut carne ejus veſcatur. Etenim homines omnes obligantur ad corpus ſuum conſervandum (§. 349.). Quodſi ergo cuidam jus ſit interficiendi alterum, ut carne ejus veſcatur; idem contrariatur obligationi, qua tenentur in univerſum omnes. Tale adeo jus lex naturæ nemini conferre poteſt, adeoque nec natura ulli hominum jus eſſe poteſt interficiendi alterum, ut carne ejus veſcatur.

Patebit idem evidentius, ubi oſtenderimus, homicidium lege naturali eſſe prohibitum, adeoque homini cuique eſſe abſtinendum a cæde alterius. Sane ea de cauſa abominandum alimentum viſum fuit gentibus moratioribus caro humana, quia pugnat cum obligatione conſervandi quoque corpus alterius & non committendi homicidium, conſequenter quatenus illius eſus factam abominandum ſupponit. Etſi adeo piſces majores devorent minores ſuæ ſpeciei, non tamen in hoc datur imago juris naturalis communis, ad quam in anterioribus provocavimus (*not.* §. 383.). Natura enim humana, quatenus differt a natura brutorum, differentiam quandam hic invehit, quemadmodum ſuo loco conſtabit; ubi obligatio conſervandi vitam alterius fuerit evicta. Neque enim ſimpliciter a brutis ad hominem valet argumentatio, niſi quatenus natura hominum propria, quæ hominem a brutis diſtinguit, non repugnat.

§. 388.

Num carne cadaverum humanorum veſci repugnet J. N. ubi carne ejus veſci volueris.

Si homines non eo fine fuerunt trucidati, ut in pabulum cedant; carne cadaverum humanorum veſci non contrariatur juri naturali communi, contrariatur tamen legi naturali perfectivæ. Etenim ſi homo alter a te non trucidetur eo fine, ut carne ejus veſcaris, non tibi arrogas jus ad carnem ipſius, quod tibi negatur (§. 387.). Quamobrem cum caro humana ſit alimentum corporis humani (§. 386.), tibique competat jus ad eas res, quæ corpus alere poſſunt (§. 383.), jus autem hoc vi demonſtrationum anteriorum ſit jus naturale commune (§. 162. *part. 1. Phil. pract. univ.*); juri naturali communi minime repugnat veſci carne cadaverum humanorum, ſi homines non eo fine trucidentur, ut in pabulum cedant. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam conſuetudo veſcendi carne cadaverum facile homines invitat ad cædem aliorum, quod tanquam appetitui ſenſitivo conveniens ſumitur, conſequenter in periculum nos adducit faciendi id, ad quod jus nullum habemus (§. 387.), tantum autem eſſe ciborum apparatum, ut hiſce ferculis non indigeamus, nemo eſt qui neſciat; melius omnino eſt a veſcenda carne cadaverum humanorum ſimpliciter abſtinere, quam cupiditatem trucidandi alios inſtillare. Quoniam itaque lex naturæ perfectiva nos obligat ad id, quod eſt melius altero, eidem præferendum (§. 193. *part. 1. Phil. pract. univ.*); veſci carne hominum eo fine non trucidatorum, ut in pabulum cedant, contrariatur legi naturali perfectivæ. *Quod erat alterum.*

Quando quæſtio de jure naturali incidit, cum jus naturæ rationem ſufficientem in ipſa natura & eſſentia hominis rerumque habeat (§. 161. *part. 1. Phil. pract. univ.*), tota huc redit, num quid in eſſentia & natura hominis rerumque reperiatur, ob quod iſtiuſmodi jus poni queat, vel poni nequeat. Quodſi igitur quæras, num caro humana in nutrimentum corporis hominis cedere poſſit, exemplum antropophagorum, etiam eorum, qui cadavera humana promiſcue devorarunt, affirmativam tuetur (§. 385.), adeoque ex parte rei nihil obſtat, quominus carne humana veſcatur homo. Quodſi jam porro reſpicias comedentem, & quæras num ex parte ipſius quid obſtet, quo minus eadem veſcatur, nec ex parte ſubjecti ratio quædam reperitur, in eo caſu, ubi mors alterius a facto ipſius minime pendet, adeoque ipſi imputari nequit (§. 532. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut adeo obligatione ipſius non tollatur jus, quod alias eidem competere poterat (§. 211. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo hominem tantummodo conſideres quoad jus commune, nulla adeſt ratio, cur in hoc caſu, ubi mors alterius a facto ipſius minime pendet, veluti ſi naturalis fuerit (§. 361.), aut

volunta-

voluntaria (§. 358.); aut violenti facto alieno debita (§. 362.), a carne humana abſtinere jubeatur, ut qui hoc facit peccet (§. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero cum longe difficillimum ſit appetitum ſenſitivum cum rationali in conſenſum adducere (§. 581. *part.* 2. *Philoſ. pract. univerſ.*), adeoque lege naturali perfectiva permiſſum cenſeri nequeat, quod quocunque in caſu cupiditatem faciendi id, quod non licet, inſtillat; juri naturali perfectivo utique repugnat ſimpliciter carne humana veſci. Non video, quomodo aliter quæſtio controverſa definienda ſit, ſi ad rationes mere naturales ex ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura petendas reſpicimus. Abſit tamen ut quis ſibi perſuadeat, deciſionem hujus controverſiæ inter inanes ſubtilitates referendam eſſe. Dantur enim quæſtiones aliæ juris naturalis, ad quas diſcutiendas opus habemus propoſitione præſente: quod ut appareat, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 389.

Si deſit copia cibi alterius, lex naturæ homini permittit veſci carne hominis alterius, cujus mors a facto ipſius nullo modo pendet. Etenim juri communi non repugnat veſci carne alterius hominis, cujus mors a facto comedentis nullo modo pendet, contrariatur tamen legi naturali perfectivæ (§. 388.). Quoniam itaque lex perfectiva nos obligat ad id, quod melius eſt, alteri præferendum (§. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), legi autem perfectivæ tum non eſt locus, ſi deſit copia cibi alterius, quam carnis cadaveris humani; lex naturæ in hoc caſu utique permittit veſci carne hominis alterius, cujus mors a facto comedentis nullo modo pendet (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quando id permiſſum.*

§. 390.

Quoniam quod lege naturali permittitur, ad id jus habemus (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad quod vero jus habemus, id nobis licitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *Si deſit cibi alterius copia, carne hominis, cujus mors a facto comedentis nullo modo pendet, veſci licitum eſt.* *Quando carne humana veſci licitum.*

Caſum hunc eſſe dabilem, hiſtoria excidii Hieroſolymæ docet. Tanta enim erat ciborum inopia, cum urbs obſideretur, ut non modo carne humana, ſed ipſo ſtercore humano veſcerentur. Probe autem tenendum, nos non ex eo demonſtrare, quod in tanta penuria ciborum licitum ſit veſci carne humana, quia neceſſitas non habet legem, ſed quia legi perfectivæ, quæ extra hunc caſum idem non permittit, in præſenti locus non eſt, adeoque admittendum jus commune, cui idem non repugnat. Sane ſi neceſſitas eſum carnis humanæ ex illicito faceret licitum, ecqua foret ratio, cur non & cædem hominis, ut carne ejus veſcaris, licitam redderet? Non licet provocare ad obligationem naturalem immutabilem (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): quæ etſi vera ratio ſit, hic tamen non valeret, ubi conceditur neceſſitatem eandem vincere, ut permittatur, quod lege naturali ſimpliciter prohibitum. Neceſſitas in nullo caſu tollit obligationem naturalem, nec jus dat, quod in natura humana rationem nullam habet, ſed locum facit juri, quod eidem per ſe non repugnat.

§. 391.

Quamdiu corpus ſanum eſt, perfectio ejus ſubſiſtit. Quamdiu enim corpus ſanum eſt, ſingulæ ipſius partes munere ſuo funguntur (§. 345.), adeoque ſingula organa tam vitalia, quam ſenſoria & moventia ad munia ſua obeunda apta ſunt (§. 304.). Quamobrem cum vitalia deſtinentur conſervationi individui ac ſpeciei, ſenſoria ſenſationibus & actibus imaginationis inde pendentibus, moventia motui locali membrorum externorum totiuſque corporis (§. *cit.*); quamdiu corpus ſanum eſt, ad ſe conſervandum ſpeciemque ſuam propagandam, ad ſenſationes & actus imaginationis, conſequenter ideas rerum ſenſibilium materiales producendum (§. 111. 112. 205. *Pſych. rat.*), nec non ad motus membrorum externorum totiuſque corporis appetitionibus & averſionibus animæ reſpondentes (§. 313.) perficiendos aptum eſt. Enimvero perfectio corporis humani componitur ex perfectione qua vivi, qua ſentientis & qua ſe mo- *Quamdiu ſubſiſtat perfectio corporis.*

moventis (§. 338.) & perfectio qua vivi in aptitudine ſe conſervandi ſpeciemque propagandi (§. 317.), qua ſentientis in aptitudine ideas rerum ſenſibilium materiales producendi (§. 323.), qua ſe moventis in aptitudine appetitionibus & averſionibus animæ convenientes motus producendi & ſitus tam totius corporis, quam membrorum ejus externorum determinandi conſiſtit (§. 330.). Patet itaque perfectionem corporis tamdiu ſubſiſtere, quamdiu corpus ſanum eſt.

Sanitas adeo ſtatus eſt, quem perfectio corporis exigit.

§. 392.

Quando corpus imperfectioni obnoxium redditur.

Quam primum corpus morbo aliquo laborat, imperfectioni cuidam obnoxium evadit. Etenim quam primum corpus morbo aliquo laborat, una vel plures ejus partes ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, aptæ non ſunt (§. 346., adeoque nec corpus integrum amplius aptum eſt ad ea omnia conſequenda, quibus organa ipſius deſtinantur. Quamobrem vel quædam deficiunt, quæ ad individui aut ſpeciei conſervationem requiruntur, vel quæ ad ſenſationes ac pendentes inde actus imaginationis abſolvendum, adeoque ideas materiales rerum ſenſibilium producendas (§. 111. 112. 205. *Pſych. rat.*), vel denique ad motum localem membrorum externorum totiuſque corporis ſpectant (§. 304.). Quamobrem cum perfectio corporis compoſita ex perfectione qua vivi, qua ſentientis & qua ſe moventis (§. 338.) conſiſtat in aptitudine ſe conſervandi ſpeciemque ſuam propagandi (§. 317.), nec non ideas rerum ſenſibilium materiales (§. 323.), motuſque membrorum externorum, totiusque corporis producendi (§. 330.); quamprimum corpus aliquo morbo laborat, perfectio ejus non amplius integra ſubſiſtit, ſed aliqua ex parte deficit, conſequenter imperfectioni cuidam obnoxium evadit.

Morbus adeo ſtatus eſt, in quo corpus imperfectioni obnoxium eſt; nunc magis, nunc minus, pro diverſitate morbi.

§. 393.

Obligatio conſervandi ſanitatem.

Homo ſanitatem ſuam conſervare debet, ſeu obligatur ad eas actiones committendas, quæ ad ſanitatem conſervandam tendunt; eas vero ommittendas, quæ eidem adverſantur. Etenim perfectio corporis ſubſiſtit, quamdiu corpus ſanum eſt (§. 391.), conſequenter actiones, quæ ad ſanitatem conſervandam tendunt, ad perfectionem ejus tendunt, atque adeo ſanitati adverſæ perfectioni corporis contrariantur. Quoniam itaque homo obligatur ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem corporis ſui tendunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque ad omittendas huic contrarias (§. 20. *Ontol.* & §. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad eas actiones committendas, quæ ad ſanitatem conſervandam tendunt, eas vero, quæ eidem adverſantur, omittendas obligatur, ſeu ſanitatem ſuam conſervare tenetur.

Pauci ſunt, qui de hac obligatione cogitant. Alii ſibi perſuadent, quaſi de eadem pro arbitrio ſuo diſponere poſſint, propterea quod nemo niſi ipſi ſentiant ejus jacturam, nec tibi noceatur, ſi ego damnum ſanitati meæ infero. Sed hæc præjudicia accuratius diſcutienda in Philoſophia morali, quando praxis hujus officii tradetur.

§. 394.

Obligatio morbos vitandi.

Homo morbos evitare debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ſeu ea vitare, quæ corpus morbis obnoxium reddunt, ea vero facere, quæ ad eos avertendos conducunt. Quam primum nimirum corpus morbo laborat, imperfectioni cuidam obnoxium fit.

ſit (§. 392.). Enimvero homo obligatur ad omittendas actiones, quæ ad imperfectionem corporis ipſius tendunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam ad actiones committendas, quæ eandem avertunt. Obligatur itaque vitare ea, quæ corpus morbis obnoxium reddunt, ea vero facere tenetur, quæ ad eos avertendos conducunt, ſeu morbos evitare debet, quantum in poteſtate ſua poſitum (§. 176.).

Non modo experientia docet in hominis poteſtate poſitum non eſſe, ut morbos omnes evitet; verum etiam a priori patet, ubi morborum cauſæ fuerint perſpectæ. Quæ igitur vitari non poſſunt; ea ferenda ſunt. Sufficit ut agamus, quod poſſumus, ne noſtra culpa in morbos incidamus.

§. 395.

Cibi ſalubris & inſalubris differentia.

Cibus inſalubris dicitur, qui ſanitati contrarius, vel morborum cauſa eſt. *Salubris* vero eſt, qui ſanitati non officit, ſeu ad morbum generandum non concurrit.

Nemo hominum eſt, cui differentia hæc a poſteriori non aliquatenus innotuerit, etſi eadem penitus perſpici non poſſit, niſi a priori demonſtretur, undenam ſit, ut cibi alii ſint ſalubres, alii vero inſalubres.

§. 396.

An idem cibus ſit inſalubris omnibus.

Unus idemque cibus inſalubris uni eſt, alteri non eſt. A poſteriori ſatis hoc patet, modo ad ea animum advertere velimus, quæ quotidie obvia ſunt.

Atque adeo patet, domeſtica inprimis experientia cibos ſalubres ab inſalubribus eſſe diſcernendos. Quomodo autem experimentum caute ſit inſtituendum, ſuo docebitur loco: hujus enim loci non eſt, ubi ſolam theoriam tradere viſum.

§. 397.

Potus ſalubris & inſalubris differentia.

Similiter *Potus inſalubris* eſt, qui ſanitati officit, ſeu morborum cauſa eſt. *Salubris* vero eſt, qui ſanitati non officit, ſeu ad morbum nil confert.

Hoc non minus unicuivis exploratum eſt. Repetenda tamen ſunt, quæ de cibis modo annotavimus (*not. §. 395.*).

§. 398.

An idem potus ſit inſalubris omnibus.

Unus idemque potus inſalubris uni eſt, alteri non eſt. Nemo non in ſeipſo obſervare poteſt, potum quendam, qui aliis non nocet, ſibi nocere.

Facile provocare poteram ad experientiam domeſticam, de qua notanda, quæ paulo ante annotavimus (*not. §. 396.*).

§. 399.

Quo cibo ac potu homo debeat uti.

Homo cibo ac potu ſalubri uti, ab inſalubri vero abſtinere debet. Homo obligatur ad ſanitatem ſuam conſervandam, ſeu ad committendas actiones, quæ ad eandem tendunt & omittendas eidem adverſas (§. 393.). Quoniam itaque cibus ac potus ſalubris ſanitati conducit, inſalubris autem nocet (§. 395. 397.) cibo ac potu ſalubri uti, ab inſalubri vero abſtinere debet.

Etſi nemo ſit, qui non ſanus eſſe malit, quam ægrotus; vulgo tamen homines in eligendo cibo ac potu de nulla re minus cogitant, quam de ſalubritate ac inſalubritate cibi ac potus.

§. 400.

§. 400.

Obligatio cognoſcendi differentiam ciborum ac potuum.

Quoniam unuſquiſque cibo ac potu ſalubri uti, ab inſalubri autem abſtinere debet (§. 399.), non autem cibus ac potus, qui uni ſalubris, vel inſalubris eſt, talis etiam eſt alteri (§. 396. 398.); *Quilibet homo inquirere tenetur, quinam cibus ac potus ſit ſibi ſalubris, quinam inſalubris*

Differentiam ciborum ac potuum exponunt Medici, quando de ſanitate tuenda agunt. An omnia, quæ tradunt, ſint ſatis explorata, noſtrum jam non eſt definire. Certe theoria, qua cibi ac potus cujuſvis qualitates a priori demonſtrantur, adhuc in deſideratis eſt. Optime ſibi conſulunt qui experimentis in ſeipſo ſumtis cibos ac potus diſcernunt. Sed de his ſuo loco.

§. 401.

Cibi ac potus quantitas ſanitati nocens.

Nimia cibi ac potus quantitas ſanitati nocet: quæ autem uni nimia, alteri nimia, non eſt. Sumimus hoc a poſteriori ſuo loco in Phyſica a priori demonſtrandum.

Nemo non novit, ſi exceſſus in quantitate major fuerit, quod nimium eſt vomitu ejiei e ventriculo. Unde vero innoteſcat juſta quantitas, ſuo loco in Philoſophia morali inquiremus, ubi praxin tradituri ſumus.

§. 402.

Obligatio abſtinendi a nimia cibi ac potus quantitate.

A nimia cibi ac potus quantitate abſtinendum. Nimia enim cibi ac potius quantitas ſanitati nocet (§. 401.). Quamobrem cum ſanitatem conſervare debeamus (§. 393.); a nimia cibi ac potus quantitate abſtinendum.

Quodſi deſideres, ut exactius determinetur nimia cibi ac potus quantitas, a qua ſit abſtinendum; ſciendum eſt, ejus determinationem ſupponere principia phyſica, quæ hic nondum ſupponi poſſunt. Etenim reſpiciendum eſt tum ad ventriculum, qui ciboa digerit, tum ad corpus, quod chylo ex cibis digeſtis ſeparato nutritur. Unde non plus cibi ingerendum ventriculo; quam is digerere valet; tantum autem cibi capiendum, quantum ſufficit ei reſtituendo, quod per tranſpirationem inſenſibilem quotidie abſumitur. Conſiderandum inſuper eſt, quaenam utilitatem habeat potus, ut non modo cibus in ventriculo bene digeratur; verum etiam chylus eas habeat qualitates, quas nutritio corporis requirit. Altera deinde quæſtio eſt, quomodo ea, quæ a priori demonſtrantur, ad praxin transferri queant. Talia non docet jus naturæ; ſed ubi nobis innotuit, quænam ſit obligatio noſtra, ad alias Philoſophiæ partes, Phyſicam ſcilicet atque Philoſophiam moralem confugiendum, ut inde cognoſcamus ea, quæ noſſe debemus, ſiquidem obligationi naturali ſatisfacere velimus. Ipſa autem natura fame ad comedendum & ſiti ad bibendum nos impellit, ut defectus in capiendo cibo ac potu facile evitari poſſit, nec, ubi non comeditur, niſi quantum ad famem ſedandam, nec bibitur, niſi quantum ad ſitim reſtinguendam ſufficit, in exceſſu peccatur. Exemplum habemus in brutis, quæ in capiendo cibo ac potu modum tenent ſine ulla theoria.

§. 403.

Obligatio ſufficientis cibi ac potus capiendi.

Quantitas cibi ac potus non minor eſſe debet, quam quæ corpori conſervando ſufficit. Corpus enim conſervare debemus (§. 349.). Quamobrem cum ſine cibo ac potu conſervari nequeat (§. 380.); ea cibi ac potus quantitas capienda, quæ coropri conſervando ſufficit.

Peccari adeo poteſt non minus in defectu, quam in exceſſu. Quoniam tamen fames ac ſitis moleſtiam creant, ſi in defectu peccatur; haud facile videas homines peccare in defectu, niſi egeſtate compulſos, aut ſi raro exemplo fame quis necem ſuam intendit.

Digitized by Google

§. 404.

Juſta ſeu moderata cibi ac potus quantitas eſt, cui digerendæ ventriculus & quæ reſtituendo, quod per tranſpirationem inſenſibilem abſumtum eſt, ſufficit. Unde patet, quando *quantitas* ſit *nimia* ſcilicet quæ juſta major, & quando *nimis exigua*, nimirum quæ juſta minor.

Juſta cibi ac potus quantitas quænam ſit.

Optimum eſt, ſi quis de juſta cibi ac potus quantitate ſtatuat ex ſeipſo, quemadmodum in Philoſophia morali expreſſius docebitur.

§. 405.

Temperans dicitur, qui cibum ac potum ſalubrem juſta quantitate capit.

Temperans quinam ſit

Nimirum ſi temperans eſſe velis, non minus qualitatis cibi ac potus, quam quantitatis habenda ratio eſt. Vulgo ad quantitatem tantummodo reſtringitur temperantia; ſed minus recte. Cum enim ea moderari debeat appetitum ſenſitivum, ne in capiendo cibo ac potu ſanitati noceatur, eidem vero non minus qualitate, quam quantitate damnum inferri poſſit (§. 395. 397. 401.); ad utramque omnino reſpiciendum eſt.

§. 406.

Temperantes eſſe debemus. Temperans enim eſt, qui cibum ac potum ſalubrem juſta quantitate capit (§. 405.), adeoque nec nimia, nec nimis exigua (§. 404.). Enimvero cibo ac potu ſalubri uti, ab inſalubri vero abſtinere debemus (§. 399.), abſtinendum quoque a nimia cibi ac potus quantitate (§. 402.), neque tamen ea minor eſſe debet, quam quæ corpori conſervando ſufficit (§. 403.). Quamobrem temperantes eſſe debemus.

Obligatio temperanter vivendi.

Quantum præſidii ad vitam & ſanitatem conſervandam afferat temperantia, exemplo prorſus ſingulari ac illuſtri *Ludovici Cornari*, Nobilis Veneti, docetur, qui Patavii d. 26 Aprilis Ann. 1566. vitam finiit, cum annum ætatis centeſimum decimum jam ſuperaſſet. In prima ætate more hominum communi temperantiæ cura eum parum tangebat. Cum vero ab anno ætatis trigeſimo quinto uſque ad quadrageſimum varios morbos experiretur, veluti dolores ventriculi & hypochondriorum atque inſultus quoſdam podagricos, & in febrim inprimis continuam incideret, nec quicquam auxilii a medicamentis expectare poſſet, ſuaſu tandem Medicorum temperantiæ totum ſeſe dedit nonniſi parva quantitate capiens cibum ac potum, cujus uſus ipſis concedi ſolet ægrotis. Quo facto intra paucorum dierum ſpatium ſenſit, quod ſeſe melius haberet, & nondum anno elapſo ab omni corporis infirmitate immunis prorſus fuit. Temperantiam adeo, quam adeo efficacem in pellendis morbis & ſanitate reſtituenda expertus fuerat, poſthac conſtanter coluit, & non minus cibi ac potus qualitatem, quam quantitatem proprio experimento definivit, ne ſcilicet ingereret ventriculo, niſi quæ commode digerere poterat. Quantitatem autem creſcente ætate continuo effecit minorem, ut tandem cibus 12. & potus 14. unciarum ipſi ſufficeret. Corpore & animo fuit vegeto uſque ad ſupremum vitæ halitum. Levi quodam deliquio animi nulla præcedente corporis infirmitate in ſella ſedens extinctus. Id vero adhuc notatu dignum eſt, cum a diæta conſueta parumper tantummodo recederet, ut cibi pariter ac potus quantitatem non niſi duabus unciis augeret, ipſum anno ætatis 87. in graviſſimum morbum incidiſſe, a quo tamen non alio remedio uſus feliciter liberabatur, ubi ad illam redibat. Bruta temperanter vivunt, inprimis ſi quantitatem cibi ac potus reſpicias, & quæ nonniſi eodem cibo ſemper veſcuntur, nec in qualitate peccare poſſunt. Conſtat autem ipſa non tot morbis obnoxia eſſe, quam homines, manifeſto indicio plurimos morbos intemperantiæ deberi.

§. 407.

Cur temperans cibum ac potum appetat.

Temperans non appetit cibum ac potum niſi ſanitatis conſervandæ gratia. Etenim qui temperans eſt, cibum ac potum nonniſi ſalubrem juſta quantitate capit (§. 405.). Quamobrem cum cibus ſalubris ſanitati conſervandæ inſerviat, inſalubris eidem noceat (§. 395.) & eodem modo ſeſe res habeat cum potu ſalubri ac inſalubri (§. 397.), nimia autem cibi ac potus etiam ſalubris quantitas ſanitati inimica ſit (§. 401.), nec nimis exigua ſatisfaciat (§. 403.), adeoque juſta opus ſit (§. 404.); temperans non alio fine cibum ac potum ſalubrem appetere poteſt niſi ſanitatis conſervandæ gratia.

Nimirum ideo dicitur temperans, quia cibum ac potum appetit, qui ſanitati conſervandæ inſervit, & cibi hujus ac potus nonniſi eam quantitatem, quæ ad ſanitatem conſervandam ſufficit. Quatenus igitur temperans es, non alio fine cibum ac potum ſalubrem juſta quantitate appetere potes, quam ſanitatis conſervandæ cauſa. Qui de hac parum cogitat, nec de ſalubritate cibi ac potus ejuſque quantitate multum erit ſollicitus.

§. 408.

Quo fine homo cibum ac potum appetere debeat.

Quoniam homo temperans eſſe debet (§. 406.), temperans autem non appetit cibum ac potum niſi ſanitatis conſervandæ gratia (§. 407.); *quilibet homo cibum ac potum nonniſi ſanitatis conſervandæ gratia appetere debet.*

§. 409.

Quales voluptates ſint delectationes ſenſuales.

Delectationes ſenſuales ſunt voluptates tranſitoriæ. Delectationes enim ſenſuales ſunt voluptates, quæ ex ſenſationibus ortum trahunt (§. 552. *Pſych. empir.*), adeoque percipiuntur, dum ſenſibile ſenſu percipitur, conſequenter tamdiu durant, quamdiu ſenſu percipitur, nec ubi ceſſat ſenſatio, unquam rediture ſunt. Voluptas, quæ exiguo temporis ſpatio durat nunquam poſthac reditura, tranſitoria eſt (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Delectationes igitur ſenſuales voluptates tranſitoriæ ſunt.

Iſtiuſmodi voluptas tranſitoria eſt, quæ percipitur ex ſapore alicujus cibi vel potus: neque enim diutius durat, quam cibus in ore maſticatur, vel potus hauritur. Quamprimum ceſſat perceptio ſaporis, ceſſat quoque iſta voluptas, cumque fieri non poſſit, ut cibi deglutiti, vel potus ſemel hauſti ſaporem denuo percipias, hæc ipſa voluptas poſthac nunquam redit. Etſi enim recorderis cibi vel potus, cujus adeo gratus tibi erat ſapor; hunc tamen ſaporem non percipis, conſequenter nec præſens denuo ſiſtitur delectatio guſtus. Eodem prorſus modo idem obſervare licet in aliis delectationibus ſenſualibus, etiam exquiſitiſſimis, qualis eſt voluptas ex tactu venereo percepta.

§. 410.

Num voluptatibus ſenſuum frui liceat.

Quoniam nobis jus eſt fruendi voluptate tranſitoria, ſi fuerit innocua (§. 286.), delectationes autem ſenſuales ſunt voluptates tranſitoriæ (§. 409.); *homini jus eſt fruendi delectationibus ſenſualibus, ſi fuerint innocuæ.*

Errant adeo, qui promiſcue omnes delectationes ſenſuales pro innocuis habent. Quamobrem hæc propoſitio probe notanda, ut appetitus ſenſitivus in conſenſum cum rationali reducatur. Errant non minus, qui omnes delectationes ſenſuales ſimpliciter damnant auſteri nimium cenſores morum alienorum.

§. 411.

Quando cibus ſapidus minus ſapido præferendus.

Ex duobus cibis vel potubus ſalubribus ob ſaporem gratum unum alteri præferre licet, ubi temperans fueris. Etenim quæ ex ſapore grato percipitur voluptas, delectatio ſenſualis eſt (§. 552. *Pſych. empir.*); adeoque voluptas tranſitoria (§. 409.). Quodſi ergo ſapor ex cibo ſalubri percipitur, qui ſanitati minime officit (§. 395.), adeoque corpus nulli imperfectioni obnoxium reddit (§. 391.), voluptas illa nunquam in tædium degenerare poteſt, adeoque in ſe innocua eſt (§. 383. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Et quoniam temperans es, nec quantitate cibi ſanitati noces (§. 401. 403. & *ſeqq.*), nec cibum appetis niſi ſanitatis conſervandæ gratia (§. 407.), adeoque quia ſalubris eſt (§. 395.), conſequenter verendum non eſt, ut poſthac appetas cibum inſalubrem, quia grati eſt ſaporis, & corporis ſanitati nocens (§. 395.) idem imperfectioni obnoxium reddas (§. 392.). Quoniam itaque verendum non eſt, ut voluptas a temperante ex grato ſapore percepta tædium pariat (§. 518. *Pſych. empir.* & §. 383. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); erit delectatio hæc ſenſualis etiam reſpectu comedentis innocua (§. *cit. part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero homini jus eſt fruendi delectationibus ſenſualibus, ſi fuerint innocuæ (§. 410.), adeoque iiſdem frui licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patet itaque ex duobus cibis ſalubribus ob ſaporem gratum unum alteri præferre licere, ubi temperans fueris.

Idem eodem prorſus modo oſtenditur de potu in eadem hypotheſi.

Videmus adeo, quantum in cibo eligendo haberi poſſit ratio ſaporis grati, ut nec obſtet lex prohibitiva, quæ electionem non admittit ex parte objecti, nec lex perfectiva, quæ eandem tollit ex parte ſubjecti.

§. 412.

Num ſolius voluptatis gratia cibum ac potum appetere liceat.

Solius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum appetere licitum non eſt. Etenim homo nonniſi ſanitatis conſervandæ gratia cibum ac potum appetere debet (§. 408.), nec ex duobus cibis ſalubribus ob ſaporem gratum alteri unum præferre licet, niſi ubi temperans fuerit (§. 411.). Quamobrem patet, licitum non eſſe, ut ob ſaporem gratum percipiendum cibum ac potum appetat. Quoniam itaque ex ſapore grato voluptas percipitur, quod nemo non experitur; ſolius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum appetere licitum non eſt.

Plerique homines in eligendo cibo ac potu ſolius ſaporis rationem habent, & ſummum bonum haud pauci in voluptate ex cibo ac potu percipienda conſiſtere ſibi perſuadent. Neque alia ratio eſt, cur intemperantiæ ſeſe dedant, quam quia voluptatis percipiendæ gratia cibo ac potu ventriculum opplent. Ad cibum & potum jus nullum habemus, niſi quatenus corpus conſervare tenemur, quod ſine cibo ac potu conſervari nequit (§. 383.). Ideo abſtinendum ab inſalubri, quicunque tandem ejus ſit ſapor (§. 359.), nec nimia ſalubria alias cibi ac potus permittitur quantitas (§. 402.).

§. 413.

Obligatio curandi morbos.

Si quis in morbum incidat, operam dare tenetur, ut ſanitati reſtituatur. Quando enim corpus morbo quodam laborat, imperfectioni cuidam obnoxium eſt (§. 392.): dum vero ſanitati reſtituitur, perfectioni ejuſdem nihil amplius decedit (§. 391.). Quamobrem cum actiones noſtras ad perfectionem noſtram dirigere debeamus (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi quis in morbum incidit, operam dare tenetur, ut ſanitati reſtituatur.

Quodſi hic demonſtrari poſſet, quod jam a veteribus obſervatum, naturam eſſe ſui ipſius medicatricem, ſeu tale eſſe corpus humanum, ut per ipſam eſſentiam & naturam ſuam ad ſa-

nitatis reſtitutionem tendat: ex principio primo Juris naturalis facillimo negotio inferri poterat, quod ubi in morbum incidimus, operam dare teneamur, ut ſanitati reſtituamur (§. 179. p. 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 414.

Medicamentum quid ſit.

Medicamentum dicitur, quicquid corpori mutationem quandam inducere valet ad ſanitatem reſtituendam neceſſariam.

Atque adeo apparet, quænam differentia inter alimentum & medicamentum intercedat. Etenim alimentum in ſubſtantiam corporis noſtri verti poteſt (§. 381.), ut ſcilicet reſtituatur, quod per tranſpirationem inſenſibilem fuit abſumtum; medicamentum vero in corpore immutat, quod impedit, quo minus organa, præſertim vitalia, functiones ſuas obire poſſint, quibus per ſtructuram ſuam deſtinantur. Iſtiuſmodi immutatio *alteratio* dicta *Galeno*: Unde lib. 1. cap. 1. & 3. de ſimplicium medicamentorum facultatibus medicamentum dicit, quod corpus noſtrum alterare poteſt, ut ſcilicet a ſtatu præternaturali ad naturalem reducatur: quam ſtatus differentiam explicavimus in Horis ſubſecivis Ann. 1730 Trim. Æſtiv. Num. IV. In hoc ipſo enim reſtitutio ſanitatis conſiſtit. Dari autem iſtiuſmodi res tum in regno animali, tum vegetabili, tum minerali, experientia comprobatum eſt, ut adeo medicamentum non ſit nomen inane. Enimvero quemadmodum dantur res in rerum natura, quæ corpus noſtrum tantummodo alere, non vero alterare, & viciſſim, quæ tantummodo idem alterare, non vero alere poſſunt; ita etiam dantur, quæ alendi & alterandi facultatem ſimul habent, ut & in alimentorum, & in medicamentorum numero ſint. Quodſi igitur alendi facultas prædominetur, *alimentum* dici ſuevit *medicamentoſum*; ſi vero prædominetur alterandi facultas, *medicamentum alimentoſum* vocari ſolet. Sed de hiſce omnibus in Phyſica demum proponere licebit, quæ ſatisfaciunt illis, qui notiones diſtinctas amant ex ipſis rerum eſſentiis atque natura derivatas.

§. 415.

Obligatio utendi medicamentis.

Quoniam *homo*, ſi quando in morbum incidit, operam dare tenetur, ut ſanitati reſtituatur (§. 413.), medicamenta vero ad ſanitatem reſtituendam conducunt (§. 414.); *ſi abſque uſu medicamentorum ſanitas reſtitui non poſſit, iiſdem uti tenetur*.

Vidimus ſuperius (*not.* §. 406.), *Cornarum* ſola diæta ſanitatem amiſſam reſtituiſſe, & ſuo loco oſtendemus, ſubinde naturam, tanquam ſui ipſius medicatricem, abſque medicamentorum auxilio morbum vincere poſſe. Quamobrem ſimpliciter affirmari nequit, hominem obligari ad uſum medicamentorum, quoties in morbum quendam incidit: ea enim obligatio tum demum eundem tenet, quando natura ſola ſibi non ſufficit, ſed aliunde ſuppetias expectat. Non nego obligationi, quæ in præſenti urgetur, ſatisfieri minime poſſe, niſi diſtincte cognoveris, quandonam natura ſibi ſoli ſufficiat ad morbum vincendum, quandonam vero manus auxiliatrices expectet: nemo tamen eſt, qui, cum ſit methodi gnarus, non videat, ea hic doceri nondum poſſe, atque intelligat, hic, ubi tantummodo demonſtrandum, quænam ſint noſtræ obligationes, quænam jura noſtra, non exponi modum, quo illis ſatisfieri poſſit.

§. 416.

Jus hominis ad medicamenta.

Homini jus eſt ad eas res, quæ medicamentorum loco ſunt. Si abſque uſu medicamentorum ſanitas reſtitui non poſſit, homo iiſdem uti tenetur (§. 415.). Quoniam itaque lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); homini omnino jus eſt ad eas res, quæ medicamentorum loco ſunt.

Sive itaque medicamenta ex regno minerali; ſive ex vegetabili, ſive ex animali, conſequenter etiam ex cadaveribus humanis petantur; ad ea homini jus eſt, modo non facias medicamentum ex cadavere humano petiturus, quod obligationi cuidam naturali repugnat (§. 211. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Novi remedium epilepſiæ haberi ſanguinem humanum, dum adhuc calet, largiter hauſtum. Epileptico igitur jus eſt ad ſanguinem humanum effuſum. Quamobrem cum

ſal-

ſalvâ omni obligatione naturali, qua quis tenetur, is haberi poſſit, ſi maleficus capite plectitur, petenti denegari nequit, ut ſanguinem in loco ſupplicii exceptum hauriat: id quod me olim adoleſcentem in patria vidiſſe probe adhuc memini. Etſi autem præſentiſſimum foret remedium, nemini tamen licet occidere alterum, ut ſufficientem ſanguinis quantitatem habere poſſit, cum alterum occidere jure naturali prohibitum ſit.

§. 417.

A quibuſnam dependeat ſanitas.

Sanitas non modo a cibo ac potu, verum etiam ab aere, qui corpus noſtrum continuo ambit, quemque continuo inſpiramus & expiramus, motu & quiete corporis noſtri, ſomno & vigiliis, affectibus ſeu paſſionibus animi, atque excretis tandem & retentis, ut ſunt feces alvi, urina, ſudor, hoc eſt, a ſex rebus non naturalibus, quemadmodum a Medicis appellari conſueverunt, *dependet*. Sumitur hoc a poſteriori tanquam diuturna experientia ſatis exploratum.

In Medicina pro explorato dudum habitum fuit, ſtatum corporis noſtri dependere a ſex rebus non naturalibus, quæ cur ita dicantur in Horis ſubſecivis A. 1730. Trim. Æſtiv. Num. IV. explicavimus. Sane ſine aere ne momento quidem vivere poſſumus. Aeris autem magna vis eſt in corpus noſtrum non modo, quatenus eum inſpiramus; verum etiam quatenus corpus noſtrum ambit: quod poſterius ſenſui multo magis obvium eſt, quam prius. Vitam ſedentariam nocere ſanitati nemo eſt qui neſciat: quantum vero præſidii ſit in motu moderato non minus liquet. Manifeſta quoque intercedit differentia inter corpora, quæ in otio vivunt, & quæ exercitiis exercentur atque laboribus. Quantam mutationem corpori afferant affectus, præſertim vehementiores; neminem fugit. Similiter ſomni commoda, vigiliarum incommoda in ſe ſentit, qui ad ſemetipſum ſtatumque inprimis corporis ſui animum advertit. Si corpus ſanum eſſe debet, cibo digeſto, retineri debent, quæ eidem alendo ſerviunt, excerni vero, quæ inutilia ſunt. Quodſi excretiones non fiant debito modo, multa hinc incommoda oriri in vulgus conſtat. Inprimis vero *Sanctorius* in Medicina ſtatica docuit, quantum momenti ſitum ſit in tranſpiratione inſenſibili, ut ea legitime procedat. Sed de hiſce ſingulis ſuo dicendum erit loco, ubi in ſtatus corporis diverſos non minus a priori, quam a poſteriori inquiremus.

§. 418.

Diæta quid ſit.

Uſus rerum ſex non naturalium ſanitati corporis conveniens *diæta* dicitur.

Vulgo diæta reſtringitur ad cibum ac potum ſalubrem juſta quantitate ſumtum, propterea quod ad vitam ſervandam tantummodo cibo ac potu indigere videmur, & ſanitas a cibi ac potus qualitate ac quantitate, immo ſubinde tantummodo a quantitate pendere putatur. Enimvero dudum Medici diætam ad uſum ſex rerum non naturalium omnium extenderunt. Hinc *Sennertus* Inſtitut. Medic. lib. 5. part. 2. ſect. 3. c. 2. licit, inquit, præcipue diæta in cibo & potu conſtat; tamen etiam aliæ res non naturales, ut ſunt aer, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, atque animi accidentia ad eam pertinent. Neque etiam *Cornarus*, qui tam admirandam diætæ vim in ſeipſo expertus eſt, ſolius cibi ac potus habuit rationem; verum c. 10. Tract. de multiplici utilitate vitæ ſobriæ ac temperantiæ recenſet, quemnam uſum ceterarum rerum non naturalium fecerit.

§. 419.

Obligatio ad uſum rerum non naturalium.

Homo obligatur ad uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem, quantum is in poteſtate eſt. A rebus enim non naturalibus ſanitas dependet (§. 417.). Quamobrem cum homo obligetur ad ſanitatem conſervandam (§. 393.); ad uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem obligatur. Conſtat vero non omnem rerum non naturalium uſum ſanitati convenientem ſemper in hominis poteſtate eſſe. Quoniam vero nemo obligatur ad ea conſequenda, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 176.); ad uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem obligari nequit, niſi quantum is in poteſtate eſt.

Inter res naturales locum tenet aer (§. 417.); ut is ſanitati proſit, vel noceat, a qualitatibus ejus pendet, veluti a calore ac frigore; humiditate & ſiccitate, ab effluviis per eum diſ-

per-

ſperſis, a ventis. Ecquis vero eſt qui neſciat, nec in noſtra ſemper eſſe poteſtate, ut haſce qualitates, ubi ſanitati fuerint contrariæ, pro arbitrio noſtro immutemus, vel etiam aerem nobis parum clementem vitemus? Idem liquet de ſomno & vigiliis, excretis & retentis, itemque affectibus. Plura tamen in poteſtate ſunt, quam videri poterat. Et forent adhuc plura, ſi rerum non naturalium uſus ſanitati conveniens magis cognitus eſſet atque perſpectus. Obſervavit vero *Cornarus*, ſi quoad ceterarum rerum non naturalium uſum peccatur, id minus nocere, ubi in temperantia nihil deſideratur: id quod etiam jam olim in ſe expertus eſt *Galenus*. Nimirum ſi in uſu cibi ac potus non peccetur, ea corporis diſpoſitio eſt, ut res ceteræ non naturales non tantum habeant vim in ipſum, quanta deprehenditur, ubi ab uſu cibi ac potus ad morbos jam fuit diſpoſitum. Sed hæc ſuo loco demonſtranda erunt.

§. 420.

Obligatio uſum ſuum cognoſcendi. Quoniam uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem facere nequit, niſi qui novit, quinam ſanitati conveniens ſit, ad uſum vero rerum non naturalium ſanitati convenientem omnes obligantur (§. 419.); *omnes* quoque *obligantur ad uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem cognoſcendum*, conſequenter *ad eum ſpectantia in communem uſum detegenda obligantur, quorum in poteſtate eſt ea detegere* (§. 195.).

Huic obligationi ſatisfecit *Cornarus*, dum circumſpectis experimentis in ſeipſo ſumtis inquiſivit, quænam ſit vis rerum non naturalium in corpus noſtrum, eaque in uſum poſterorum literis demandavit. Eidem quoque ſatisfecit interpres, qui breves Tractatus *Cornari* de hoc argumento conſcriptos Germanice vertit, ut ad plurium notitiam pervenire poſſint. Utinam vero & alii ſatisfacerent obligationi ſuæ, & *Cornari* exemplum imitarentur vim rerum non naturalium in corpus ſuum obſervantes & ſibi convenientem uſum facientes. Ipſe enim vir prudens ac circumſpectus *cap. 18. loc. cit.* jam monuit, de cibi ac potus qualitate & quantitate unumquemque ſtatuere debere ex ſeipſo: quod quomodo fieri debeat, in Philoſophia morali docebimus.

§. 421.

Obligatio diætam obſervandi. *Quilibet homo diætam obſervare debet.* Obligatur enim ad omnem uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem, qui in poteſtate ipſius eſt (§. 419.). Quamobrem cum in hoc uſu diæta conſiſtat (§. 418.); ad diætam obſervandam quilibet homo obligatur.

Qui obligationem hanc non agnoſcunt, perperam ſibi perſuadent ſe eſſe vitæ ac corporis ſui dominos, cum tamen homo non ſit niſi uſuarius organorum corporis ſui (§. 378.), minime autem dominus vitæ (§. 352.) ac corporis vel uſſius organi ejuſdem (§. 375.), dominium vero competat Deo (§. 379.). Non igitur diæta tue eſt arbitrii, cum tui arbitrii non ſit, utrum vitam ac ſanitatem corporis conſervare, an deſtruere velis, ſed ad prius obligaris (§. 349. 350.).

§. 422.

Ebrietas quid ſit. *Ebrietas* eſt ſtatus corporis, quo ex potu nimio, veluti vini ac cereviſiæ, aut vini aduſti, vel ſublimati, functiones cerebri turbantur.

Status hic corporis ſatis notus eſt in Germania & aliis etiam regionibus, ut inebriari pro turpi non habeatur. Dantur autem ebrietatis gradus, pro diverſitate functionum cerebri turbatarum. Et quamvis pendeant hi gradus a quantitate potus inebriantis; non tamen eadem quantitate omnes efficiuntur ebrii, nec gradus ebrietatis ab eadem in omnibus idem eſt. Immo experientia docet habitum bibendi uſu acquiri poſſe, ut majore quantitate potus inebriantis hauſta non inebrieris, cum antea minor noceret.

§. 423.

Effectus ebrietatis. *Ebrietas primum turbat ratiocinationem & uſu rationis hominem privat.* *Hinc porro*

porro turbat imaginationem ac tandem facultatis cognoſcitivæ inferioris uſum aufert, ipſamque facultatem locomotivam lædit. Patet hoc ex actionibus ebriorum. Videmus enim eos loqui & agere, quæ non loquerentur, nec facerent, ſi ebrii non eſſent, & quorum poſtea pœnitet, ubi ab ebrietate liberati. Unde patet, quod de eo, quod locuti fuerunt, vel fecerunt, non fuere ratiocinati; ſed ea locuti fuerunt & fecerunt, quæ vi ſenſuum imaginatio ſuggeſſit (§. 117 *Pſych. empir.*). Si ulterius progreditur ebrietas, actiones ebriorum actionibus delirantium ſimiles deprehenduntur, ut ideo ebrietas inſania voluntaria dudum appellata fuerit. Quemadmodum itaque in deliriis facultas imaginandi turbatur; ita ex ſimilitudine actionum ebriorum & delirantium liquet, quod etiam imaginatio ebriorum perturbetur. Si major adhuc fuerit ebrietatis gradus, homines non amplius ſui conſcii ſunt, ut quid agant, ipſimet ignorent. Unde intelligitur, facultatem imaginandi & ſentiendi valde imminui. In ſummo ebrietatis gradu vix amplius pedibus inſiſtere valent, tandemque inſtar trunci jacent. Atque hinc manifeſtum eſt, lædi quoque facultatem locomotivam, tandemque ejus uſum una cum uſu ſenſuum prorſus auferri.

Pro diverſitate ſubjectorum diverſæ quoque deprehenduntur actiones, quibus ebrii ſe delirantibus ſimiles probant. Probe enim obſervavit *Sennertus* Medic. Pract. lib. 1. part. 2. cap. 7. ſ. m. 86. Alios in hilaritatem nimiam, riſum, cachinnos, cantilenas & jocos ſe effundere, alios triſtes evadere & de rebus ſacris aut de morte verba facere, vel etiam lachrymari; alios ad iram, rixas, contentiones, clamores pugnasque concitari. Qui loca viſitarunt, in quibus homines multi inſanæ mentis aluntur & cuſtodiuntur, & eorum actiones obſervarunt, eandem harum varietatem pro diverſitate ſubjectorum commemorare ſolent. Nemo adeo dubitaverit, ebrios inſanire.

§. 424.

Obligatio abſtinendi ab ebrietate.

Ebrietatem fugere tenemur, ſeu unusquiſque ſibi cavere debet, ne in ebrietatem incidat. Etenim ebrietas turbat ratiocinationem, & uſu rationis hominem privat; turbat imaginationem ac tandem facultatis cognoſcitivæ inferioris uſum aufert, ipſamque facultatem locomotivam lædit (§. 423.), adeoque impedit, quo minus, dum agimus, omnem facere poſſimus facultatum noſtrarum uſum, quem habere poſſunt. Quoniam itaque, quicquid agimus, omnem facere debemus facultatum noſtrarum uſum (§. 302.), conſequenter quod hoc impedit, fugere tenemur; ebrietatem quod fugere debeamus dubitandum non eſt.

Nimirum ebrietas impedit, quo minus ſatisfaciamus alicui officio, quod in omni actione nobis obſervandum. Adeoque maxime pugnat cum obligatione naturali. Quis ergo ſibi perſuaſerit, jure naturali ebrietatem permitti? Poterat idem aliis adhuc modis oſtendi. Etenim ebrietas debetur exceſſui in potus quantitate (§. 422.), adeoque intemperantiæ quædam ſpecies. Quamobrem cum temperantes eſſe debeamus (§. 406.), adeoque ab intemperantia abſtinendum ſit; ab ebrietate quoque abſtinendum. Similiter ebrietas turbat functiones cerebri (§. 422.), adeoque hoc ineptum efficitur ad eas rite obeundas, conſequenter ad imperfectionem corporis tendit (§. 323.). Eam igitur evitare debemus (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero conſultius viſum fuit turpitudinem naturalem ebrietatis demonſtrare ex iis, quæ eidem propria ſunt, ne ad principia remota confugiamus, ubi propria adſunt. Immo turpitudo ebrietatis non rectius agnoſcitur, quam quod ex hominibus faciat bruta, ex hominibus ſanæ mentis inſanos, præſertim ubi ad diverſos gradus, qui ſe invicem conſequuntur, animum advertimus. Quatenus potus nimius ſanitati nocet, ſub intemperantia jam comprehenditur, cumque ſuperius inculcaverimus a nimia potus quantitate eſſe abſtinendum (§. 402.), eo ipſo quoque ebrietatem vitandam eſſe jam oſtendimus, ſed non qua ebrietatem, quatenus nempe nimio potu inducitur ſtatus, quo homo evadit brutum & deliranti ſimilis, immo præter facultatem viralem nullum retinet ceterarum uſum. Cum adeo manifeſti ſint ebrietatis effectus, mirum profecto videri poterat, quod naturalis ejus turpitudo non agnoſcatur, niſi conſtaret quid ſit ſervire gulæ.

§. 425.

Digitized by Google

§. 425.

Sobrietas quid ſit.

Sobrietas eſt habitus ſibi a nimio potu inebriante temperandi.

Hinc ſobrium dicimus eum, qvem nunquam vidimus ebrium, etſi bibendi ultra modum occaſione oblata, cum ſibi a nimio potu inebriante temperet.

§. 426.

Obligatio ad ſobrietatem colendam.

Homines ſobrii eſſe debent. Caveri enim ſibi debent, ne in ebrietatem incidant (§. 424.), adeoque abſtinere a potu nimio inebriante (§. 422.). Quamobrem cum ſobrius ſit, qui a potu nimio inebriante ſibi temperat (§. 425.); homines ſobrii eſſe debent.

§. 427.

Actiones miniſtræ quænam dicantur.

Actiones miniſtræ ſunt, quæ ad officium aliquod explendum neceſſariæ ſunt, ſeu requiruntur, in ſe ſpectatæ autem actus obligatorii non ſunt.

Officium hominis eſt conſervatio corporis: Ad corpus enim conſervandum obligamur (§. 349.): omnis autem actio juxta legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obligamur, officium eſt (§. 224. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Hujus officii pars eſt uti cibo ac potu juſta quantitate, quemadmodum ex antea demonſtratis abunde conſtat: Enimvero ſi edere volueris, cibus apprehendendus, & ori ingerendus, maſticandus & deglutiendus. Cibi adeo apprehenſio & ingeſtio in os, maſticatio & deglutitio ſunt actiones miniſtræ, cum ſine iiſdem non detur cibi ac potus uſus, quem exigit conſervatio corporis. Actiones miniſtræ haud raro plures involvunt actus, tanquam actiones ex pluribus ſimplicibus compoſitæ; ſubinde etiam alias requirunt actiones, ſine quibus ipſæmet abſolvi nequeunt; miniſtrarum adeo quaſi miniſtræ. Ita ſi cibus ori ingerendus, os aperiendum: apertio adeo oris eſt actio quaſi miniſtra actionis miniſtræ alterius, ingeſtionis nimirum cibi in os. Quodſi cibus maſticandus, dentibus incidendus & comminuendus atque ſaliva permiſcendus eſt. Hiſce vero actionibus cum abſolvatur maſticatio, ea ex iiſdem tanquam ex partibus componitur. Ad actiones igitur miniſtras referimus omnes, qualeſcunque tandem fuerint, ſive ex iis tanquam partibus componatur miniſtra quædam actio, ſive hæc quaſi ſui miniſtras eas exigat. Neque enim neceſſe eſt, ut eas nomine diſtinguamus, etſi neceſſe ſit ad differentiam animum advertere, ne facile aliqua in caſu dato attentioni noſtræ ſeſe ſubducat.

§. 428.

Actiones ſuperfluæ quænam.

Actio, quæ ad finem ab agente intentum vel intendendum nil facit, *ſuperflua* dicitur.

E. gr. Si cibum ori ingerere vis; nullo opus eſt motu labiorum, dum os aperitur. Quodſi ergo quocunque modo eadem moveas, actio iſta ſuperflua eſt. Quoniam notio actionis ſuperfluæ relativa eſt, eadem actio nunc ſuperflua eſt; nunc minus ſuperflua, pro diverſitate finis, qui intenditur.

§. 429.

Actiones acceſſoriæ quænam dicantur.

Actiones ſuperfluæ miniſtris ſuperaccedentes dicuntur a nobis *acceſſoriæ*. Quamobrem cum actio ſuperflua ad finem ab agente intentum vel intendendum nil faciat (§. 428.); *actio acceſſoria nil facit ad finem per actionem miniſtram intentum vel intendendum.*

E. gr.

Digitized by Google

Ex. gr. Si cibus ori ingerendus, os aperiendum, adeoque per oris aperturam intendimus ingeſtionem cibi. Ad os aperiendum ſufficit, ut mandibula inferior deprimatur, nullo autem opus eſt labiorum motu. Apertio oris actio miniſtra eſt (§. 427); motus vero labiorum ad eam oris aperturam non requiritur, ut cibum eidem ingerere poſſis, adeoque ſuperflua eſt actio (§. 428.). Quoniam itaque actio hæc ſuperflua miniſtræ ſuperaccedit, acceſſoria eſt. Equidem vulgo actionum acceſſoriarum nulla habetur ratio in theoria; patebit tamen ex iis, quæ mox ſequuntur, quod eadem neceſſitate a miniſtris ſint ſeparandæ, qua miniſtræ ab actu obligatorio diſtinguuntur. & in praxi videmus ad illas reſpicere ſolere morum elegantium æſtimatores, utut diſtincte non expenſas.

§. 430.

Actionum miniſtrarum rectitudo.

Actiones miniſtræ rectæ ſunt, ſi tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus, Quodſi fini intentio vel intendendo conveniat actio, ſeu talis fuerit, qualem is exigit, actio miniſtra ſpectatur tanquam medium finem iſtum conſequendi (§. 937. *Ontol.*), adeoque ſapientiæ convenit (§. 678. *Pſych. rat.*). Quoniam itaque ad ſapientiam acquirendam obligamur (§. 254.), hæc autem obligatio rationem ſufficientem in ipſa natura ac eſſentia hominis habet (§. 143. *part.* 1 *Phil. pract. univ.*); actiones miniſtræ rationem ſufficientem in ipſa eſſentia & natura hominis habent, ſi tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus. Recta eſt actio, quæ rationem ſufficientem in eſſentia & natura hominis habet, cur ſcilicet talis ſit (§. 64. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo actiones miniſtræ rectæ ſunt, ſi tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus.

Forſan mirum videbitur nonnullis, quod ſapientia extendatur ad actiones adeo leves, quales ſunt v. gr. cibi in os ingeſtio & oris apertio, ut cibus ingeri poſſit. Enimvero hi erunt, qui non ex notionibus diſtinctis ratiocinati conſueverunt, ſed ex falſis ſuppoſitis, quas nonniſi confuſe concipiunt, de rebus ſtatuunt. Sive actio videatur magni momenti, ſive exigui, aut propemodum nullius, ea fieri non debet ſine fine. Ubi agitur propter finem, ex hoc determinanda eſt actio. Actionem ex fine determinare ſapientiæ eſt, & ſapienter determinata rectitudinis laudem meretur. Immo nec ea, quæ hic dicuntur, abhorrent a notionibus communibus. Ecquis enim eſt qui neſciat, cenſeri etiam actiones viliſſimas, veluti apertionem oris cibi ingerendi gratia factam, tanquam minus rectas, nec aliam afferri rationem, quam quod tales non ſint, quales exiget finis, qui intenditur vel intendi ſaltem poterat ac debebat, veluti quod major ſit oris apertura, quam quæ ad cibum ingerendum requiritur?

§. 431.

Obligatio hominis quoad actiones miniſtras.

Quoniam actiones miniſtræ tum rectæ ſunt, ſi tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus (§. 430.), ad recte agendum vero obligamur (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *operam* utique *dare debemus, ut actiones miniſtræ ſint tales, quales exigit finis intentus vel intendendus.*

Ita nemo negaverit, dandam eſſe operam, ut apertura oris cibi ingerendi gratia facta talis ſit, qualem cibus ingerendus requirit, & ut ipſe actus ingerendi cibum talis ſit, qualis eſſe debet, ut idem commode ori ingeratur. Si diſplicet obligatio in iſtiuſmodi actibus, cur dicis, os ſic aperiri debere, cibum hoc modo ori ingerendum eſſe. Anne debitum intelligitur abſque obligatione (§. 170. *part.* 1. *Phil pract. univerſ.*)? Si debitum videatur exigui momenti: dic etiam obligationem exigui momenti reſpectu aliarum, quæ majoris ſunt, non tamen nullam dicere licet. Neque enim jam quæritur, quanta ſit hæc obligatio, ſi cum aliis comparetur, veluti cum obligatione vitam ac ſanitatem conſervandi, neminem lædendi, ſuum cuique tribuendi; ſed de eo quæſtio eſt, num aliqua ſit obligatio, ut hoc potius agas modo, quam alio; an vero tibi integrum ſit quocunque agere modo. Quodſi poſterius ſtatuis, cur, quæſo, reprehendis, ſi quis in agendo ſua libertate uſus eo agit modo, qui tibi diſplicet? Facile intelligitur, ſi cujuſvis eſſet notiones confuſas, juxta quas communiter judicant homines, ad diſtinctas revocare, non fore quenquam, qui non ultro nobiſcum ſentiat.

Digitized by Google

§. 432.

Quando actiones miniſtræ hominem deceant. *Si actiones miniſtræ tales ſunt, quales exigit finis intentus vel intendendus, hominem decent.* Quodſi enim tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus, rectæ ſunt (§. 430.). Sed actiones rectæ hominem decent (§. 199. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo actiones miniſtræ, ſi tales ſunt, quales exigit finis intentus vel intendendus, hominem decent.

Ex. gr. Si apertura oris cibi ingerendi gratia fit, non aliud in ea requiritur, quam ut quantitati cibi ingerendi proportionata ſit, nec major, nec minor, quam ut per eam cibus ingeri poſſit. Talis oris apertio fit ſola depreſſione mandibulæ inferioris, neque ad eam requiritur præterea ullus labiorum motus. Dico decere hominem ut, ſi cibi ingerendi gratia os aperit, ſola mandibulæ inferioris depreſſione oris efficiat cibo ingerendo proportionatam aperturam, nullo labiorum motu facto, quo eorum ſitus reſpectu aliarum partium vicinarum mutatur.

§. 433.

Quando ſint decoræ. *Si actiones miniſtræ tales ſunt, quales exigit finis intentus vel intendendus, decoræ ſunt.* Hominem enim decent (§. 432.). Sed quæ decent hominem, actiones decoræ ſunt (§. 194. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Actiones igitur miniſtræ, ſi fuerint tales, quales exigit finis intentus vel intendendus, decoræ ſunt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si actiones miniſtræ tales ſunt, quales exigit finis intentus vel intendendus, rectæ ſunt (§. 430.). Sed actio recta decora eſt (§. 201. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo actiones miniſtræ, ſi tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus, decoræ ſunt.

Ita decorum eſt, ſi comedentes os aperimus, mandibula tantummodo abſque ullo labiorum motu deprimenda non magis, nec minus, quam ut tanta fiat apertura, quæ cibo ingerendo ſufficit. Habemus adeo principium fœcundiſſimum determinandi decorum quoad actiones miniſtras, in quibus non tam obligatio, quam decorum ſpectari ſolet.

§. 434.

Actiones miniſtræ quando indecoræ. *Quodſi* ergo *actiones miniſtræ non ſint tales, quales exigit finis intentus vel intendendus, ſed eidem contrarientur; indecoræ ſunt.* Nimirum actio miniſtra tum contrariatur ſapientiæ (§. 678. *Pſych. rat.*). Quamobrem cum homo ſapiens eſſe debeat (§. 254.), indecorum vero ſit, quod cuidam eorum diſconvenit, quod ineſſe debet (§. 195. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); actio miniſtra indecora eſt, ſi talis non ſit, qualem præciſe exigit finis intentus vel intendendus, ſed eidem contrarietur.

Ex. gr. Apertio oris actio miniſtra eſt, dum cibum capimus. Decora eſt hæc actio, ſi apertura nec major fuerit, nec minor, quam quæ quantitati cibi ingerendi proportionata. Major ergo & minor eum contrarietur fini, indecora cenſetur. Similiter cibus ori ingeritur, ut maſticetur, vel ſi maſticatione opus non ſit, ut degluriatur. Decorum adeo habetur, ſi uno actu non plus ingeritur, quam qui intra cavitatem faucium commode continetur, ne ſcilicet deformetur extus facies. Contrarium indecorum putatur.

§. 435.

Actiones acceſſoriæ cur indecoræ. *Omnis actio acceſſoria indecora eſt.* Etenim nil facit ad finem per actionem miniſtram, cui ſuperaccedit, intentum vel intendendum (§. 429.). Quamobrem cum ſapiens non faciat, quæ ad finem conſequendum nil conferunt (§. 678. *Pſych. rat.*); omnis actio acceſſoria ſapientiæ contrariatur. Sapientes eſſe debemus (§. 254.). Contrariatur itaque alicui, quod homini ineſſe debet. Quo-

Digitized by Google

Quoniam igitur indecorum eſt, quod contrariatur alicui, quod homini ineſſe debet (§. 195. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); actio acceſſoria omnis indecora eſt.

Acceſſoria actio eſt in apertione oris, cibi ingerendi gratia facta, motus quicunque labiorum (*not.* §. 429.). Quicunque adeo eorum motus depreſſioni mandibulæ inferioris, qua apertura efficitur, ſuperaccedit, actionem hanc miniſtram efficit indecoram.

§. 436.

Quomodo actiones miniſtræ determinandæ.

Actiones miniſtræ determinandæ ſunt convenienter obligationi, quæ eaſdem exigit. Operam enim dare debemus, ut actiones miniſtræ ſint tales, quales exigit finis intentus vel intendendus (§. 431.). Quoniam itaque ad officium aliquod explendum requiruntur (§. 427.), officium vero conſiſtit in actione juxta legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obligamur (§. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); per actiones miniſtras finem alium intendere non debemus, niſi ut obligationi ſatisfiat (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* §. 932. *Ontol.*). Quamobrem tales eſſe debent actiones miniſtræ, quia talis eſt obligatio, conſequenter ex obligatione, quæ eaſdem exigit, ſeu eidem convenienter determinandæ (§. 113. *Ontol.*).

Cibi apprehenſio actio miniſtra eſt (*not.* §. 427.). Debemus cibum appetere nonniſi ſanitati conſervandæ, non vero ſolius voluptatis percipiendæ gratia (§. 408. 412.), nec nimia quantitate (§. 402.). Actio igitur hæc non determinanda eſt ex ſapore nobis grato, vel majore quantitate. Quamobrem ſi contingat fruſtum carnis, quod alterius loco reſpondet in patina, vel magis ſeſe commendare palato tuo, aut majus eſſe eo, quod tuo reſpondet loco: ea ratio ſufficiens non eſt, ut illud capias, quin potius hoc contentus eſſe juberis. Similiter apertio oris cibi ingerendi gratia facta miniſtra actio eſt, quemadmodum ex modo dictis abunde conſtat. Quoniam igitur a nimia cibi quantitate abſtinere debemus (§. 402.); nec appetitionem majoris quantitatis prodere tenemur, conſequenter vitanda ſunt, quæ talem prodere ſolent. Apertura igitur major oris, quam modicæ cibi particulæ uno actu ingerendæ ſufficit, improbatur, cum conveniat iis, qui nimia cibi quantitate ventriculum opplere ſolent.

§. 437.

Finis decori in actionibus miniſtris.

Actiones miniſtræ decoræ ſunt, ſi obligationi, quæ eas exigit, convenienter determinantur. Etenim ſi actiones miniſtræ obligationi, quæ eas exigit, convenienter determinantur, per eas tanquam finis intenditur, ut obligationi, quæ eas exigit, ſatisfiat (§. 932. *Ontol.* & §. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque tales ſunt, quales finis intentus vel intendendus eas exigit (§. 113. *Ontol.*). Enimvero actiones miniſtræ decoræ ſunt, ſi tales fuerint, quales exigit finis intentus vel intendendus (§. 433.). Decoræ igitur ſunt, ſi obligationi, quæ eas exigit, convenienter determinentur.

Exempla, quæ ad propoſitionem præcedentem illuſtrandam adduximus, nemo non ad decorum refert. Hinc vero patet, decorum ex ipſis principiis honeſti atque juſti demonſtrari. Multum lucis exempla iſta affundunt modo, quo ex obligatione ac jure deducitur decorum.

§. 438.

Quando actiones miniſtræ indecoræ.

Si actiones miniſtræ fuerint obligationi, quæ eas exigit, contrariæ; indecoræ ſunt. Etenim cum actiones miniſtræ requirantur ad officium aliquod explendum (§. 427.), officium vero ſit actio juxta legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obligamur (§. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); per illas qua tales alius finis intendendus non eſt, quam ut obligationi, quæ eas exigit, ſatisfiat (§. 932. *Ontol.* & §. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo obli-

Digitized by Google

gationi, quæ eas exigit, contrariæ fuerint; fini intendendo contrariantur. Enimvero indecoræ ſunt actiones miniſtræ, ſi fini intendendo contrariantur (§. 434.). Ergo indecoræ ſunt, ſi fuerint obligationi, quæ eas exigit, contrariæ.

Non opus eſt aliis exemplis, quam ad quæ modo provocavimus (*not.* §. 436.). Pertinet huc quoque exemplum, quod alibi dedimus (*not.* §. 194. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 439.

Finis in cibo ac potu capiendo intendendus. *In capiendo cibo ac potu ſanitatem conſervandam tanquam finem intendere debemus.* Etenim nonniſi ſanitatis conſervandæ gratia cibum ac potum appetere debemus (§. 408.). Quoniam itaque id finis eſt, propter quod agimus (§. 932. *Ontol.*); in capiendo cibo ac potu ſanitatis conſervationem tanquam finem intendere debemus.

§. 440.

Quinam non ſit intendendus. *In capiendo cibo ac potu perceptionem voluptatis tanquam finem intendere non debemus.* Etenim ſolius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum appetere non debemus (§. 412.). Quoniam itaque finis eſſe nequit, propter quod agere non licet (§. 932. *Ontol.*); nec voluptatis perceptionem tanquam finem intendere licet in capiendo cibo ac potu.

§. 441.

Actiones miniſtræ in capiendo cibo ac potu indecoræ. *Si actiones miniſtræ in capiendo cibo ac potu, ſeu in edendo & bibendo, ſanitatis conſervationi convenienter determinentur; decoræ ſunt.* Quoniam enim in capiendo cibo & potu ſanitatem tanquam finem intendere debemus (§. 439.); ſi actio miniſtra ſanitatis conſervationi convenienter determinatur, talis eſt, qualem exigit finis intendendus. Enimvero ſi actio miniſtra talis eſt, qualem exigit finis intendendus, decora eſt (§. 433.). Ergo ſi actiones miniſtræ in capiendo cibo ac potu ſeu in edendo & bibendo ſanitatis conſervationi convenienter determinentur, decoræ ſunt.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam nonniſi ſanitatis conſervandæ gratia cibum ac potum appetere debemus (§. 408.); ſi actiones miniſtræ in edendo & bibendo ſanitatis conſervationi convenienter determinantur, obligationi noſtræ convenienter determinantur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero actiones miniſtræ decoræ ſunt, ſi obligationi, quæ eas exigit, convenienter determinentur (§. 436.). Ergo ſi actiones miniſtræ in capiendo cibo ac potu ſanitati convenienter determinentur, decoræ ſunt.

Dedimus in anterioribus principia quædam generalia, per quæ decorum, quod eſt in actionibus miniſtris, determinari poteſt. Nunc vero inde principia particularia deducere lubet, ut, quid decorum ſit in edendo & bibendo ſeu in cibo ac potu capiendo, definiri poſſit. Equidem ex principiis generalibus idem jam erui poterat, quemadmodum probant exempla, quibus illa illuſtravimus, ita ut ſufficere potuiſſent inventori; non tamen ideo prætereunda ſunt ſilentio particularia, ne de ſingulis actionibus miniſtris in præſenti caſu judicandum ſit per ambages. Principia generalia eruuntur, ut inde porro deducantur particularia, quorum applicatione prodeunt ea, quæ ſingulas actiones miniſtras definiunt. Ceterum probe notandum eſt, actiones miniſtras duplici modo ſpectari poſſe, tum quatenus faciunt ad explendum officium, tum quatenus ita ſibi invicem ſubordinantur, ut una fiat propter alteram. Hinc finis omnium actionum miniſtrarum ultimus eſt illa perfectio, quam promovendam præſcribit officium, veluti in præſenti caſu ſanitas, quæ nobis conſervanda. Actiones miniſtræ ſunt cibi in os ingeſtio &, ut ingerere eundem detur, oris apertio. Os aperiendum, antequam cibum ingerere potes, & aperitur, ut hoc fieri poſſit, atque adeo ingeſtio cibi ſpectatur tanquam finis particula-

Digitized by Google

tularis apertionis oris, finis tamen hic particularis ſubordinatur ultimo, ut adeo in determinanda apertione oris non modo reſpiciendum ſit ad cibum ingerendum, verum etiam ad conſervationem ſanitatis. Quando autem dicitur actio conſervationi ſanitatis convenienter determinari; hoc ipſo intelligitur, quod ab ea petatur ratio, cur hoc potius modo determinetur, quam alio, adeoque per conſervationem ſanitatis intelligatur, cur talis ſit, ubi non uno modo determinatio fieri poteſt. Maneamus in exemplo, quod dedimus. Os aperitur, ut cibum ingerere poſſis, adeoque non minor eſſe debet apertura, quam quantitas cibi ingerendi requirit. Atque hæc determinatio fluit ex fine particulari, quatenus actio una eſt propter alteram. Enimvero cibus nimius ſanitati conſervandæ nocet, adeoque a nimia quantitate abſtinendum (§. 402.). Appetitus adeo non debet ferri in nimium, ſed moderatus ſit, neceſſe eſt. Quoniam igitur apertura oris major, quam cibi ingerendi quantitas exigit, non moderato, ſed immoderato appetitui convenit; apertura major juſta perinde ac juſta minor indecora habetur, conſequenter cibi ingerendi quantitati proportionata decora eſt. Videmus adeo quomodo in determinationem decori in apertione oris obſervandi influat non minus finis ultimus, quam finis particularis. Hic potiſſimum attenditur determinatio per finem ultimum, quando conſervationi convenienter fieri jubetur: ad determinationem per finem particularem ſufficit principium generale. Qui fuerit in demonſtrando verſatus, facile prævidere poteſt, quomodo in determinationem unius actionis influant diverſa principia. Etſi enim decorum levioris momenti videatur, ubi tamen demonſtrandum eſt ex genuinis principiis actionem aliquam eſſe naturaliter decoram; ſubtilioti haud raro demonſtratione opus eſt, quam ubi oſtendendum aliquid eſſe honeſtum vel juſtum, quamvis etiam ex præcedentibus demonſtrationibus jam liquet, ſi obligatio ex genuino ſuo fonte deducenda, profundiorem eam eſſe, quam vulgo putatur, utut ipſa obligatio obvia habeatur. Quoniam igitur nobis propoſitum eſt obligationes naturales & jura naturalia ex ſuo fonte deducere, ipſa nimirum eſſentia atque natura hominis; nemo reprehendere poterit, quod, quæ obvia videntur nimis operoſe demonſtremus: neque enim ſcribimus, ut deſidioſis placeamus, ſed ut ad certam obligationum ac jurium naturalium cognitionem adſpirantibus ſatisfaciamus & agamus, quod Philoſophi eſt.

§. 442.

Si actiones miniſtræ in capiendo cibo ac potu ſeu edendo & bibendo ſanitatis conſervationi contraria ratione vel voluptati convenienter determinentur; indecoræ ſunt. *Quando indecoræ.* Etenim cum in capiendo cibo ac potu ſanitatis conſervatio intendi debeat tanquam finis (§. 439.), non vero tanquam finem intendere liceat voluptatem (§. 440.); ſi actiones miniſtræ in edendo & bibendo ſanitatis conſervationi contraria ratione vel voluptati convenienter determinentur, tales non ſunt, quales exigit finis. Enimvero ſi actiones miniſtræ non fuerint tales, quales exigit finis intendendus, ſed eidem contrariæ, indecoræ ſunt (§. 434.). Indecoræ igitur ſunt, ſi conſervationi ſanitatis contraria ratione vel voluptati convenienter determinentur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Homo cibum ac potum nonniſi ſanitatis conſervandæ gratia appetere debet (§. 408.), nequaquam vero voluptatis ſolius percipiendæ cauſa (§. 412.). Quodſi ergo actiones miniſtræ in edendo & bibendo ſanitatis conſervationi contraria ratione vel voluptati convenienter determinentur; obligationi, quæ eaſdem exigit, contrariæ ſunt (§. 113. *Ontol.*). Quoniam itaque actiones miniſtræ indecoræ ſunt, quæ obligationi eaſdem exigenti contrariæ (§. 438.); indecoræ ſunt actiones miniſtræ in capiendo cibo ac potu ſeu edendo atque bibendo, ſi ſanitatis conſervationi contraria ratione vel voluptati convenienter determinentur.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, mutatis mutandis præſenti etiam lucem quandam affundere poſſunt. Nolumus itaque eſſe prolixiores. Quamobrem ſufficit unum vel alterum afferre exemplum, quo propoſitionis præſentis veritas confirmetur & fœcunditas indigitetur. Indecora habetur major oris apertio, quam quæ cibi ingerendi quantitati ſufficit, non alia de cauſa, quam quia fini particulari contrariatur, cum cibi nonniſi ingerendi gratia os aperiatur, & quia nimii cibi appetitum loqui videtur, a quo tamen abſtinendum, adeoque fini in præſenti caſu ultimo contraria. Similiter indecorum exiſtimatur, ſi inter edendum exporrecta lingua lambuntur labia. Id enim indicio eſſe videtur, quod voluptatis percipiendæ gratia comedas, adeoque hæc actio voluptati convenienter determinatur. Præſtat

ita-

itaque labia, ſi opus fuerit, linteo abſtergere. In eundem cenſum venit, ſi quis ex patina ſibi vindicat, quod alterius loco reſpondet, vel in eligendo diu dubius hæret; ubi ex pluribus fruſtis carnis unum ſumendum.

§. 443.

Num actiones decoræ temperantiæ conveniant.

Actiones miniſtræ decoræ in capiendo cibo ac potu temperantiæ conveniunt. Determinantur enim ſanitatis conſervationi convenienter (§. 441.). Quoniam itaque temperans non appetit cibum ac potum niſi ſanitatis conſervandæ gratia (§. 407.); actiones miniſtræ decoræ in capiendo cibo ac potu temperantiæ conveniunt.

Quod hic de temperantia oſtenditur, etiam in omni alio virtutum genere obtinet. Temperantia virtus eſt, quæ moderatur appetitum circa cibum ac potum, ut ſit obligationi naturali conveniens. Actiones miniſtræ ex eodem appetitu procedere debent, atque adeo mores decentes cum habitu virtutis conſentiunt, nec alia eſt norma morum, quam virtutis. Atque hoc fœcundiſſimum principium eſt in doctrina de decoro, modo rite intelligatur, ſcilicet quod ratio, cur actiones miniſtræ tales ſint, contineatur in appetitu juxta legem naturæ determinato, ad eaſdem extenſo, quatenus ſcilicet conſiderantur ut miniſtræ, non vero abſolute, quemadmodum jam ſupra notavimus (*not.* §. 441.). Non tamen hic principia decori omnia explicari poſſunt, quæ ad determinandum decorum in edendo & bibendo requiruntur. Sunt enim adhuc alia, quæ aliunde deſumuntur, veluti a ſtatu externo, nec non officiis erga alios, ſi una cum aliis edis ac bibis, vel in præſentia aliorum: Ea igitur demum intelligentur, ubi officia quoad ſtatum externum & erga alios demonſtraverimus. Sufficit autem nobis principia tradere generalia, quæ ad particularia invenienda & ad mores hominum dijudicandos atque rectificandos faciunt. Specialem adeo tractationem de moribus elegantibus aliis relinquimus, qui, ubi ſuppoſituri ſunt de obligatione ac jure naturali a nobis demonſtrato ac methodi gnari principiis generalibus, quæ hic afferimus, tanquam heuriſticis utentur, theoriam morum elegantium demonſtratam dabunt, quam eſſe partem aliquam Juris naturalis nemo negaverit, cui cognitum atque perſpectum eſt, quod alibi (§. 204. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) demonſtravimus, dari etiam legem naturalem decori. Sane ad hanc pertinent, quæ hactenus de actionibus miniſtris cum in genere, tum in ſpecie in capiendo cibo ac potu demonſtravimus.

§. 444.

Num inde-coræ eidem diſconve-niant.

Quoniam actiones miniſtræ decoræ in capiendo cibo ac potu temperantiæ conveniunt (§. 443.), indecoræ autem iiſdem contrariantur (§. 195. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *actiones miniſtræ indecoræ in capiendo cibo ac potu temperantiæ diſconveniunt*, adeoque *intemperantiæ conveniunt*.

Quæ de actionibus miniſtris decoris ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea mutatis mutandis etiam de indecoris tenenda ſunt. Intemperantia vitium eſt, quæ appetitum circa cibum ac potum obligationi naturali repugnantem agnoſcit. Actiones miniſtræ ex inordinato hoc appetitu procedunt, aut ſaltem procedere videntur, ubi indecoræ ſunt. Atque adeo mores indecentes non cum habitu virtutis, ſed cum vitio conſentiunt, ut, ſi vel maxime virtutem colas, miniſtræ tamen actiones eidem repugnent. Quodſi miniſtræ actiones, non qua miniſtræ, ſed in ſe qua actiones certi generis vel certæ ſpeciei ſpectantur, ad virtutes intellectuales referendæ, quibus ſi conveniunt, decoræ, ſi diſconveniunt, indecoræ ſunt, quemadmodum ex ſuperius dictis jam patet (§. 430. *& ſeqq.*).

§. 445.

Obligatio naturalis quoad uſum veſtimentorum.

Homo corpus veſtimentis adverſus injurias tempeſtatum munire debet. Etenim ſanitatem ſuam conſervare (§. 393.) & adverſus morbos corpus ſuum tueri debet (§. 394.). Quoniam itaque ſanitas etiam ab aere pendet (§. 417.), veſtimenta autem corpus noſtrum adverſus injurias tempeſtatis defendunt, quemadmo-

Digitized by Google

modum nemini ignotum; corpus veſtimentis adverſus injurias tempeſtatum munire debemus.

Nemo non novit, quænam viciſſitudines in aere quotidie obſerventur, cum nunc ſit calidus, nunc frigidus; nunc ſiccus, nunc humidus; nunc ſerenus, nunc pluvius; nunc ventorum vi agitetur, nunc tranquillus exiſtat. Hæ mutationes gradu admodum variant, & pro diverſitate graduum major vel minor aeris vis eſt in corpus humanum, etſi eadem ſupponatur ejus diſpoſitio, quemadmodum ex adverſo pro diverſitate hujus diſpoſitionis variat quoque vis aeris in corpus, etſi idem ſupponatur ejus ſtatus: ſed in hæc inquirere non eſt hujus loci. Pertinent talia ad Phyſicam ſpecialiſſimam, quæ partem non poſtremam Theoriæ Medicæ abſolvit. Hic ſufficit advertere animum ad ea, quæ obvia experientia quotidie ſuggerit & unuſquiſque in ſeipſo obſervare poteſt, modo attentionem ſuam in ſe deſiderari minime patiatur.

§. 446.

Quoniam corpus veſtimentis adverſus injurias tempeſtatum munire debemus (§. 445.) id vero, propter quod agimus, finis eſt (§. 932. *Ontol.*); *uſus veſtimentorum finis eſt tueri corpus adverſus injurias aeris*, conſequenter *conſervatio ſanitatis* (§. 417.). *Finis uſus veſtimentorum.*

Quemadmodum pauci hominum in cibo & potu capiendo ad finem, quem intendere debent, vitæ nimirum ac ſanitatis conſervationem, attendunt animum; ita adhuc pauciores de fine uſus veſtimentorum cogitant, adeoque obligationem naturalem, qua circa eum tenentur, non agnoſcunt. Etſi vel maxime uſum veſtimentorum in tuendo corpore adverſus injurias tempeſtatum agnoſcant; penes ſe tamen ſtare ſibi perſuadent, quid facere velint. Hinc videas multiplici modo peccari contra naturæ legem, quam modo ſtabilivimus (§. 445.), nec quod peccatum ſit agnoſci. Immo mores, quos temeraria conſuetudo introduxit, haud raro eidem adverſantur.

§. 447.

Partes corporis obſcœnas appellare ſolemus, quæ conſpectæ vel contactæ ad libidinem ſtimulum addere ſolent. *Partes corporis obſcœnæ quænam dicantur.*

Talia ſunt organa genitalia utriuſque ſexus, item mammæ fœminarum. Quidni etiam ſubinde nates & partes aliæ pudendis vicinæ? Equidem non nego harum partium aliquas eſſe, quæ per ſe dici nequeunt irritamenta libidinis: ſufficit tamen, quod moribus libidinoſorum hominum talia facta fuerint. Hottentotti rident Europæos, quod voluptatem ex mammarum contactu percipiant, multo magis riſuri, quod quidam contactu ventris, immo natium delectentur. Dantur enim actus quidam proluſorii, quibus ſtimulus coeundi excitatur. Et in horum numero ſunt, quorum effectus non naturalis eſt, ſed conſuetudini debetur. Quamvis vero ex natura imaginationis a priori demonſtrari poſſit, quomodo vim iſtam proluſorii actus acquirant; non tamen opus eſſe videtur, ut demonſtratio in medium afferatur, ubi a poſteriori idem ſatis conſtat.

§. 448.

Partes corporis obſcœnæ veſtimentis velandæ ſunt. Partes enim obſcœne vel conſpectæ, vel contactæ ad libidinem ſtimulum addere ſolent (§. 447.). Quoniam itaque ſuo loco oſtendemus libidinem eſſe legi naturali adverſam, conſequenter ea eſſe facienda, quæ impediunt, quo minus ea excitetur; quin partes corporis obſcœnæ veſtimentis velandæ ſint, dubitandum non eſt. *Alius veſtimentorum uſus.*

Hinc etiam videas gentes maxime barbaras, quæ nullis veſtibus utuntur, ſed ob temperiem climatis nudæ incedunt, partes tamen genitales velare. Mammæ enim offendiculo iiſtis non ſunt, quemadmodum exemplo Hottentottorum jam docui (*not.* §. 447.). Non eſt quod excipias, brutorum partes obſcœnas omnium conſpectui patere, neque tamen conſpectu earundem bruta ſtimulari ad libidinem, quibus facultates animæ inferiores cum homine ſunt commu-

munes. Diſpar enim hominum & brutorum ratio eſt. Etenim homines abuſu facultatum ſuperiorum in abuſum quoque vertunt uſum facultatum inferiorum non modo in hoc caſum, verum in aliis etiam bene multis.

§. 449.

Veſtium finis alter.

Quoniam partes corporis obſcœnæ veſtibus velandæ ſunt (§. 448.), id vero, propter quod agimus, finis eſt (§. 932. *Ontol.*); *veſtium* quoque *finis eſt partes corporis obſcœnas velare.*

Facile apparet, utrumque finem æque intendendum eſſe, nec unum primarium, alterum ſecundarium dici poſſe (§. 942. *Ontol.*). Neque etiam unus intenditur propter alterum, ſed uterque ſimul intendendus.

§. 450.

Quales eſſe debeant veſtes.

Veſtes aptæ eſſe debent ad corpus contra injurias aeris tuendum & ad partes obſcœnas velandas. Etenim cum finis veſtium ſit tueri corpus adverſus injurias aeris (§. 446.) & velare partes obſcœnas (§. 449.); veſtium uſus ſpectandus eſt tanquam medium, quo utrumque finem conſequimur (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem ſi earum uſu finem utrumque conſequi volueris; veſtes aptæ eſſe debent ad corpus contra injurias aeris tuendum & ad partes obſcœnas velandas.

Ex hoc principio judicium fieri debet de veſtitu quoad eſſentialia. Cum enim obligatio in neceſſitate morali conſiſtat (§. 118. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*), ea, quæ a veſtibus abeſſe nequeunt, & per quæ eadem neceſſario concipiuntur (§. 142. *Ontol.*), hinc derivanda. Non tamen ſufficit ad determinandum in univerſum, quales veſtes eſſe debeant. Quamobrem e re eſt, ut cetera adhuc addamus.

§. 451.

Obligatio moleſtiam omnem evitandi.

Operam dare tenemur, ut omnem moleſtiam quantum libet exiguam evitemus. Operam homo dare tenetur, ut eum conſequatur ſtatum, quo vera voluptas perdurat (§. 281.), conſequenter cum tædium ſive moleſtia voluptati contrarietur (§. 511. 518. *Pſych. empir.*), ut liberum poſſideat ab omni moleſtia animum. Neceſſe igitur eſt, operam det, ut omnem moleſtiam quantum libet exiguam evitet.

Equidem in poteſtate noſtra non eſt omnem evitare moleſtiam: non tamen hoc obſtat, ut omnem evitare ſtudeamus, ne nobiſmetipſis moleſtiam creemus, a qua liberi eſſe poteramus. Exigua etiam moleſtia majorem procreat, ubi animadvertimus, quod illam evitare potuiſſemus, modo voluiſſemus. Atque hoc pacto incrementum capit, ut, quæ ob parvitatem initio contemnenda videbatur, poſthac haud parum torqueat animum. Felicitas omnem excludit moleſtiam (§. 636. *Pſych empir.*) & quicquid homini tædium aliquod ſive moleſtiæ quidpiam creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert (§. 639. *Pſych. empir.*).

§. 452.

Veſtes cur agenti commodæ eſſe debeant.

Veſtes commodæ eſſe debent agenti ad id, quod iis indutum agere oportet. Ponamus enim eas eſſe incommodas. Nemo non novit, eas nunc impedire poſſe, quo minus recte agamus, nunc nobis moleſtiam quandam creare, a qua liberi eſſe poteramus. Quoniam itaque ad recte agendum obligamur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & operam dare tenemur, ut omnem moleſtiam, quantum libet exiguam, evitemus (§. 451.); quin veſtes commodæ eſſe debeant agenti ad id, quod iis indutum agere oportet, dubitandum non eſt.

Obvi

Obviæ ſunt querelæ de incommoditate veſtium, quando agentibus moleſtiæ quidpiam creant. Ex adverſo prædicantur veſtes, quas in agendo commodas experimur. Non opus eſt ad exempla provocari, cum quotidiana ea ſuggerat experientia.

§. 453.

Quænam veſtes hominem deceant.

Decent hominem veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo convenientes. Etenim ſi veſtes conveniunt ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo, per utrumque hunc ſtatum intelligitur, cur tales ſint, adeoque ratio earum in ſtatu hominis continetur (§. 56. *Ontol.*). Enimvero decet hominem id, cujus ratio petitur a ſtatu ejus (§. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem eum quoque decent veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo convenientes.

Ad ſtatum externum ſpectant divitiæ. Hinc divitem decere affirmamus veſtes pretioſiores. Pertinet ad ſtatum externum dignitas, qua quis eminet. Hinc dignitate eminentem decere exiſtimamus veſtes ſplendidas. Nulla eſt objectio, quæ a ſuperbia petitur. Veſtes enim pretioſæ ac ſplendidæ in iis, quos decent, non neceſſario ſunt ſignum ſuperbiæ: id quod ſuo loco evincemus in Philoſophia morali. Si quis objectionem iſtam moveat, is ſatis ſuperque prodit, quod ex notionibus diſtinctis de virtutibus ac vitiis minime ſtatuat. Ad ſtatum animi internum refertur lætitia & triſtitia. Atque hinc patet, cur conſuetudo non ſine ratione introduxerit differentiam veſtium in ſtatu lætitiæ & ſtatu triſtitiæ. Vernaculo nobis ſermone Feyer-Kleider & Trauer-Kleider appellare ſolemus. Præſens autem propoſitio probat conſuetudinem iſtam eſſe rationalem. Atque ex his principia deduci poſſunt, quæ de veſtibus quoad obligationes & mores tenenda ſunt. Enimvero negandum non eſt, homines nulla in re minus ſequi ductum rationis quam in conficiendis veſtimentis, neque hic ſemper præfertur, quod eſt melius, nec ullibi magis litatur vanitati, nec conſuetudo magis tyrannus eſt. Forſan non inutilem prorſus operam navaret, qui veſtimenta, quibus & olim diverſæ gentes uſæ fuerunt, & hodienum utuntur, ad examen revocaret, quamvis hoc facturus earundem mores ac inclinationes intimius perſpicere deberet. Præterea veſtimenta ſunt aliqua corporum artificialium ſpecies, adeoque ſubjecta eorundem legibus generalibus hactenus nondum diſtincte expoſitis.

§. 454.

Quænam dedeceant.

Dedecent hominem veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo contrariæ. Etenim ſi veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo fuerint contrariæ, in ſtatibus iſtis quidpiam deprehenditur, per quod intelligere datur, cur ab illo veſtitu potius abſtinere, quam eodem uti debuiſſet, conſequenter in illis ratio continetur aliqua, cur abſtinere, quam uti debuiſſet (§. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque hominem dedecet, quod in ſtatu ejus aliquam agnoſcit rationem, cur idem potius nolle, quam non nolle debuerit (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*); veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo contrariæ eundem dedecent.

Propoſitio hæc notio quædam communis eſt: videmus enim homines in taxando veſtitu ad ſtatum animi internum ſtatumque externum reſpicientes. Ceterum me tacente intelligitur, quando quid ſtatui interno, vel externo convenire aut diſconvenire dicimus, nos in eodem nil ſupponere quod vitioſum eſt.

§. 455.

Circa inceſſum obligatio.

Homo in inceſſu ſe providum probare debet, ut ſit ab omni lapſus periculo immunis. Nemo non novit lapſu facillime damnum inferri corpori membrorumque externorum integritatem lædi. Quamobrem cum quilibet periculum integritatem organi cujuſdam corporis lædendi vitare debeat, quantum in poteſtate ipſius poſitum (§. 373.); animum attendere debemus ad periculum lapſus, quod in inceſſu metuendum. Quemadmodum improvidus eſt, qui ad malum

Digitized by Google

in dato caſu eventu poſſibile, quod prævidere poterat, animum non attendit (§. 764. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita ex adverſo providum ſe probat, qui hoc facit. Patet itaque, quod homo in inceſſu ſe providum probare debeat, ut ſit ab omni lapſus periculo immunis.

Ex principiis ſtaticis demonſtratur, quandoquidem inceſſus ſit ab omni lapſus periculo immunis, docetque experientia, homines inſtinctu quodam naturali leges haſce obſervare. Negari tamen non poteſt veritatem multo evidentius cognoſci, ubi a priori demonſtratur. Enimvero hæ demonſtrationes non ad Jus naturæ, nec Philoſophiam moralem ſpectant, ſed ad Phyſicam, aut accuratius loquendo ad cognitionem Naturæ mathematicam. Dantur tamen multi caſus, ubi periculum attentioni noſtræ ſeſe ſubducere nequit, modo eadem uti velimus. Nec minus multa, quæ uſui ſunt, a poſteriori addiſcere licet. Sed de his dicendum in Philoſophia morali.

§. 456.

Qualis inceſſus hominem deceat. *Decet hominem inceſſus ſtatui animi interno ſtatuique ejuſdem externo conveniens.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo paulo ante evicimus, quod hominem deceant veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo convenientes (§. 453.).

Ita ſtatui triſtitiæ convenit inceſſus tarditas, ac ideo improbatur celeritas. Vulgo hominum inceſſus ab eorum inclinationibus, ac moribus pendet, ſubinde quoque conſuetudini caſu contractæ debetur. Inde eſt, quod ex inceſſu etiam de moribus hominum fieri ſoleat conjectatio.

§. 457.

Qualis dedeceat. *Dedecet hominem inceſſus ſtatui animi interno ſtatuique ejuſdem externo contrarius.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo evicimus, quod hominem dedeceant veſtes ſtatui animi interno ejuſque ſtatui externo contrariæ (§. 454.).

Exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 456.), præſentem quoque propoſitionem illuſtrat. Quando paulo poſt obligationem hominis quoad ſtatum externum explicaverimus, ex principiis hiſce generalibus particularia colligere dabitur tum de veſtibus, tum de inceſſu. Ceterum quæ de inceſſu a nobis demonſtrata ſunt, in præſenti ſufficiunt, ubi in generalibus ſubſiſtendum. Quemadmodum enim ſuperius non inquiſivimus in ciborum ac potuum ſpecies, ut pateret, quinam ſint ſalubres, quinam inſalubres; ita nec de veſtibus & inceſſu tradenda ſunt particularia.

§. 458.

Jus hominis quoad veſtimenta. *Homo habet jus ad ea omnia, quæ veſtimentis conficiendis inſerviunt & ad omnes actus, quibus eadem conficiuntur.* Homo enim obligatur ad corpus veſtibus muniendum adverſus injurias aeris (§. 445.) parteſque obſcœnas iiſdem velandum (§. 448.). Lex naturæ dat eidem jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Habet igitur jus ad ea omnia, quæ veſtimentis conficiendis inſerviunt, & ad omnes actus, quibus eadem conficiuntur.

Ad actus, quibus veſtes conficiuntur, referuntur quoque actiones, quibus efficiuntur materiæ veſtium, veluti pannum, linteamina, corium. Immo huc referuntur operæ, quæ impenduntur obtinendis materiis in uſum veſtium conficiendarum, qualeſcunque tandem fuerint.

§. 459.

Ædium neceſſitas & uſus. *Ædibus habemus opus, ut ab injuriis tempeſtatum tuti laboribus & negotiis fungi, cibos præparare, corpus laſſum ſomno reficere & res noſtras cuſtodire valeamus.* Patet

Patet hoc a poſteriori, & nemo eſt, qui idem neſciat. Hinc vero conſtat, quo fine ædes extruantur.

§. 460.

Obligatio quoad ædes extruendas.

Homines obligantur ad ædes extruendas. Obligantur enim ad ſanitatem ſuam conſervandam, ſeu ad omnes actiones committendas, quæ ad ſanitatem conſervandam tendunt (§. 393.), eaque vitanda, quæ corpus morbis obnoxium reddunt, atque facienda, quæ ad eos avertendos conducunt (§. 394.). Quoniam itaque ſanitas a cibo ac potu, ab aere, a ſomno & vigiliis, a motu & quiete pendet (§.417.), ædibus vero opus eſt, ut ab injuriis tempeſtatum ſimus tuti ciboſque præparare & corpus laſſum ſomno reficere valeamus (§.459.); quin homines obligentur ad ædes extruendas dubitandum non eſt.

Quæ de rebus noſtris cuſtodiendis inter uſus ædium commemorantur, tum demum patebunt, ubi de dominiis rerum egerimus, ut conſtet, quænam nos quoad ea teneat obligatio. Tum etiam patebit, quænam ſit obligatio naturalis laborandi, quamvis ea ex parte paulo poſt demonſtrabitur. Quodſi hanc obligationem præſupponas, ex eadem quoque obligationem ædium extruendarum deducere poteris. Fateor equidem perpaucos eſſe, qui de hac obligatione cogitant: dantur autem plures aliæ, ad quas homines animum non attendunt. Non tamen ideo nulla eſt, quod a paucis agnoſcatur, obligatio. Quales vero extruendæ ſint ædes, Architectura civilis docet, quam in Elementis noſtris Matheſeos ad rationes ſuas revocavimus. Regulæ architectonicæ non ſunt leges naturales, quamvis lex naturæ, quæ ad recte agendum nos obligat (§ 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), etiam nos obliget ædes juxta eaſdem extruendi. Eſt vero architectura civilis in numero artium, quas homines acquirere tenentur (§. 261.), ſi praxin ſpectes; & ad ſcientiam artium, quam ut conſequantur, ſtudendum (§. 263.), theoria ejuſdem pertinet. Quamobrem & ad eam excolendam obligantur, qui hoc facere valent (§. 264.).

§. 461.

Jus hominis quoad ædificia.

Homo habet jus ad ea omnia, quæ ad ædes extruendas neceſſaria, omnes etiam actus, qui ad eas extruendas requiruntur. Obligantur enim homines ad ædes extruendas (§.460.). Quamobrem cum lex naturæ det nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus utique nobis eſt ad ea omnia, quæ ad ædes extruendas neceſſaria ſunt, atque ad actus omnes, qui ad eas extruendas requiruntur.

Licitus adeo eſt rerum, quas natura profert, uſus, quem facimus in ædibus extruendis, & quicquid ædium extruendarum cauſa faciunt homines, licite faciunt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nemo non hoc fatetur. Quamobrem cum jura ex obligatione quadam deſcendant (§ 23.); ædium quoque extruendarum obligationem agnoſcere tenentur. Fluit ea non minus ex natura hominis, quam obligationes ceteræ. Deſcendit enim ex obligatione ſe conſervandi, quam in natura hominis fundatam eſſe vidimus ſuperius, adeoque nec ipſa rationem ſufficientem niſi in eſſentia & natura hominis habet. Concurrunt etiam obligationes aliæ, quibus homo quoad animam tenetur. Provocavimus modo ad obligationem artium inveniendarum & excolendarum, quarum in numero Architectura civilis continetur (*not.* §.460.). Quaſnam vero obligationes alias hæc ſupponat, ex ſuperiori tractatione abunde conſtat. Qui ad nexum obligationum animum attendit, ei nihil difficultatis ſupereſſe poterit.

§. 462.

Quænam ædes hominem deceant.

Decent hominem ædes ſtatui ejus externo convenientes. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo evicimus ſuperius (§.453.), decere eundem veſtes ſtatui ipſius externo convenientes.

Decorum in habitatione ſpectandum conforme eſſe notionibus communibus judicia hominum quotidiana confirmant, quorum non alias afferunt rationes, quam a ſtatu externo deſumtas. Introductis dominiis & imperiis ſtatus externus hominum valde differt. Unde pro præſenti rerum ſtatu decorum in cibo ac potu, veſtibus & habitatione ſpectandum majus eſt, quam in ſtatu naturali.

§. 463.

Idem porro ex penditur.

Decent hominem ædes eſſentiæ ac naturæ animæ convenientes. Si enim ædes conveniunt eſſentiæ ac naturæ animæ, huic inſunt, per quæ intelligitur, cur ædes ita potius fuerint conſtructæ, quam aliter, adeoque ratio aliqua cur tales ſint, in eadem continetur (§. 194. *Ontol.*). Idem patet eodem modo, ſi quis tales ædes habitandas eligit, ubi jam fuerint ab aliis extructæ. Quamobrem cum agens liberum deceat, ſi in iis, quæ ipſi per naturam inſunt, continetur aliqua ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud (§. 332 *part. 1. Theol. nat.*); decere hominem ædes eſſentiæ ac naturæ animæ convenientes patet.

Homo a brutis diſtinguitur uſu rationis, & non modo operam dare debet, ut rationem perficiat (§. 253.), ſed etiam quicquid agit, omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt (§ 302.). Tanta igitur differentia intercedere debet inter habitationem hominum & latibula brutorum, quanta inter hominem ac bruta intercedit. Imaginem quandam obligationis ac juris quoad ædium extructionem conſpicimus in nidis avium, quorum adeo cognitio non ſolius curioſitatis eſt, ſed certiſſimi quoque in Philoſophia practica uſus. Quæ enim bruta uſus cujuſdam neceſſarii gratia faciunt, ea ob ſimilem uſum homines ex ratione facere tenentur. Quodſi ergo nidos avium ad examen revocare volueris, ea deprehendes principia, quæ inſtar legum naturæ eſſe poſſunt, immo pro talibus haberi debent (§. 162. *part. 1. Phil. pract. univ.*) in ædibus extruendis. Attenta enim differentia, quæ inter bruta atque homines intercedit, ex generalibus iſtis principiis deducentur ſpecialia. Sed noſtrum jam non eſt ea hic fuſius proſequi. Non inanem operam ſumeret, qui imaginem Juris naturæ in brutis conſpiciendam diſtincte exponeret, ut Juris naturæ communis idea luculentior evaderet. Ne vero per præcipitantiam ſtatuar, non modo uſum facultatum inferiorum animæ, quas bruta cum hominibus communes habent (§. 754. & *ſeqq. Pſych. rat.*), ex Pſychologia probe cognitum atque perſpectum habere: verum etiam attenta mente evolvere debet, quæ de definitione Juris naturæ juxta mentem JCtorum Romanorum in Horis ſubſecivis An. 1729. Trim. brum. Num. II. commentati ſumus, ne vitio tribuar, quod in hominibus vitio tribuendum ob diverſam ejus & brutorum conditionem, adeoque ut propoſitiones rite determinet. Dedimus ibidem exemplum de promiſcuo canum coitu, quod facem præferre poteſt in aliis. Equidem a præſenti inſtituto non prorſus alienum foret, ſi ipſimet hunc campum ingrederemur; non tamen convenit eſſe prolixioribus, adeoque abſtinendum ab iis, quorum notitia carere poſſumus, etſi ea cognitu non ſit inutilis. Hoc potius adhuc monemus, ſi quis noſtras demonſtrationes ex eſſentia atque natura hominis derivatas animo comprehenderit; eum facilius Jus naturæ commune ex eſſentia atque natura brutorum derivaturum, quatenus ejus quædam imago in iiſdem conſpicitur.

§. 464.

Quænam ædes hominem dedeceant.

Dedecent hominem ædes ſtatui ejus externo, immo eſſentiæ ac naturæ animæ minime convenientes. Oſtenditur eodem modo, quo paulo ante evicimus dedecere hominem veſtes ſtatui animi interno & ſtatui ejuſdem externo contraria (§. 453.).

Vivendum eſt homini humano more; adeoque etiam habitandum humano more. Et quo magis in poteſtate eſt, ut vitam homine dignam vivant; eo magis quoque operam dare tenentur homines, ne ipſos dedeceant ædes, quas extruunt. Quemadmodum vero obligatio non extenditur ultra id, quod vel phyſice, vel moraliter poſſibile: ita nec decorum ultra hos limites extendendum in præſenti caſu.

§. 465.

Vita quando commode tranſigatur.

Vitam commode tranſigere dicimur, ſi, quæ nobis agenda ſunt, ea abſque omni moleſtia peragere valemus. Unde *vitam incommodam faciunt*, quæ in cauſa ſunt, ut, quæ nobis agenda ſunt, ea non ſine omni moleſtia peragere valeamus. Dicuntur hinc etiam *commoda*, quæ ab actionibus noſtris omnem moleſtiam

Digitized by Google

ſtiam removent: *incommoda* vero, quæ eas moleſtas faciunt, ſeu in cauſa ſunt, ut ex iis moleſtiam quandam, ſeu tædium quoddam percipiamus. Germanice dicimus bequem / quod commodum vocatur; unbequem / quod incommodum appellatur.

Ita aſcenſus per ſcalas dicitur commodus, ſi ne minimum quidem nobis moleſtiæ creat, vel creare poteſt, & ipſæ ſcalæ dicuntur commodæ, ſi ita fuerint conſtructæ, ut aſcenſus per eas non ſit moleſtus. Libri per repoſitoria commode diſpoſiti ſunt, ſi unumquemque ſtatim reperire licet, ne diu quærendo moleſtia creetur. Scriptio eſt commoda, ſi atramentum ſit fluidum & penna ſcriptoria ad literas bene pingendas apta, ut citra ullam moleſtiam literas ea magnitudine, qua volumus, pingere valeamus accurate. Hinc facile intelligitur, quales eſſe debeant actiones, ſi vitam commode tranſigere velimus. Et hinc facile definietur in caſu quolibet dato, quænam adeſſe debeant, ne ex actione percipiatur moleſtia, dum editur. Ceterum probe notandum eſt, non confundendam eſſe moleſtiam, quæ percipitur ex iis, quæ actionem aliquam conſequuntur, cum moleſtia, quæ ex ipſa actione percipitur, dum patratur. E. gr. ex ſapore cibi inſalubris voluptatem percipiens cum comedit abſque ulla moleſtia. Enimvero ubi tormina ventris excitat, ex his torminibus moleſtia percipitur. Hinc non ſentimus moleſtiam ex eſu cibi, ſed ex eo, quod eſum cibi conſequitur. Enimvero ſi cibus fuerit nimium calidus, ut ori ingeſtus calore offendat palatum; cibum capere non licet, niſi calorem nimium exhalaverit. Aut igitur expectandum, donec eundem ſponte ſua exhalaverit, aut peculiaribus quibuſdam actionibus opus eſt ad ipſum refrigerandum, antequam ori ingeratur, alias ad cibum comedendum non requiſitis: id quod cum moleſtum accidat, ex ipſa actione naſcitur moleſtia.

§. 466.

Obligatio vitam commode tranſigendi.

Homo obligatur ad vitam commode tranſigendam. Operam enim dare tenemur, ut omnem moleſtiam quantumlibet exiguam evitemus (§. 451.). Quamobrem cum vitam commode tranſigamus, ſi, quæ nobis agenda ſunt, ea abſque omni moleſtia peragere valeamus (§. 465.); evidens omnino eſt hominem ad vitam commode tranſigendam obligari.

Erunt forſan, qui mirabuntur, quod hominem obligari affirmemus ad faciendum, quod ſua ſponte facturus, modo intellexerit, quale ſit factum. Vitam commode vivere volunt omnes, neque adeo opus eſt, ut demum ad vitam commode degendam obligentur. Tua intereſt, ut vitam commode tranſigas. Quodſi commode vivere nolueris, cum non interſit alterius, parum hoc referre videtur. Enimvero qui ita ſentiunt, nec mentem legis naturalis, nec vim obligationis naturalis capiunt. Cum legis naturalis cuſtodia felicitatem conſequamur (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & acquiſitam conſervemus (§ 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*); lex naturæ eſt medium felicitatem conſequendi (§. 937. *Ontol.*), conſequenter per eam felicitas noſtra tanquam finis intenditur (*§. cit.*). Neque ad illam ſervandam obligamur, niſi quia ejus cuſtodia felicitatem conſequimur, nec ſine eadem eandem conſequi datur (§. 398. *part. 1. Phil pract. univ.*). Immo nulla lege, ſi juſta ſit, aliud intenditur, quam ut hominibus bene ſit. Ipſa etiam natura non aliter obligat hominem ad actiones intrinſece bonas committendas & intrinſece malas omittendas, quam quatenus intrinſeca bonitas eſt motivum actionum committendarum & intrinſeca malitia motivum actionum omittendarum (§ 118 *part. 1. Phil. pract. univ*), neque alio modo obligatio naturalis concipi poteſt. Hæc qui perpendit, non amplius mirabitur obligationem ad vitam commode tranſigendam. Quicquid enim contra eam in medium attulerit, id non modo petit omnem obligationem, qua homo ſibimetipſi tenetur, ſed ſi rem penitius penſitare volueris, obligationem etiam, qua aliis devincimur, quatenus ſcilicet nobis ipſis proſumus, dum aliis prodeſſe ſtudemus.

§. 467.

Obligatio cognoſcendi ad vitæ commoditatem ſpectantia.

Quoniam *homo* ad vitam commode tranſigendam obligatur (§. 466.), vitam vero commode degere nequit niſi norit, quænam ad vitam commode degendam requirantur; *ad ſingula, quæ ad vitæ commoditatem ſpectant, cognoſcenda obligatur.*

Cognitio eorum, quæ ad vitam commode gendam requiruntur, non adeo facilis eſt, ſive eam diuturna experientia, ſive a priori tibi comparare volueris. Supponit ea actionis cujuslibet,

libet, qualiſcunque tandem ſit, rectitudinem pro datis quibuſvis circumſtantiis eſſe perſpectam & rerum omnium, quibus indigemus, conditionem in aprico poſitam (*not.* § 465.). Nulla igitur datur actio; quocunque tandem nomine veniat, cui non ſua competit commoditas, vel incommoditas, ubi ad agentem refertur. & idem eſto judicium de rebus ad agentem relatis, quarum uſus ipſi neceſſarius vel utilis. Non abhorrent ea, quæ de commoditate & incommoditate diximus; a notionibus communibus, modo ſatis acuti fuerimus in expendendis hominum judiciis obviis. Oſtendemus autem ſuo loco in Philoſophia morali, quantum faciat ſollicitudo vitam commode tranſigendi ad vitandum culpam. Cum animus ab omni culpæ ſenſu vacuus felicitatis noſtræ haud poſtrema pars ſit (§ 685. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*); ſollicitudo vitam commode tranſigendi majoris hinc momenti intelligitur, quam vulgo putatur.

§. 468.

Jus homini competens quoad vitæ commoditatem.

Homini jus eſt ad omnia, quæ ad vitæ commoditatem quomodocunque faciunt, & ad omnes actus huc requiſitos. Homo enim obligatur ad vitam commode tranſigendam (§. 466.). Dat vero lex naturæ nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem patet eſſe homini jus ad ea omnia, quæ ad vitæ commoditatem quomodocunque faciunt, & ad omnes actus huc requiſitos.

Neceſſe eſt ut cognoſcamus ea, ad quæ nobis jus dat lex naturæ, ut conſtet quid licitum ſit (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Vulgo talia habentur per ſe indifferentia, atque hinc licita exiſtimantur, quatenus in tuo arbitrio relictum ſit, quid facere, vel non facere velis, quaſi nulla detur ratio a priori, cur id licitum potius ſit, quam non ſit. Enimvero hoc non modo repugnat principio rationis ſufficientis, verum etiam ad errorem facillime deducit iſta opinio. Etenim ſi quis moralitatem alicujus actionis perſpicere nequit, is eandem ſtatim pro indifferente, adeoque pro licita habet. Quodſi vero convictus fueris non minus dari rationem ſufficientem, cur quid naturaliter ſit licitum, quam cur illicitum ſit; pro licito minime habes, niſi idem licitum eſſe demonſtrare poſſis. Præterea magna differentia intercedit, utrum licitum tantummodo ſpectetur ut in ſe indifferens, an vero ex jure tibi competente derivetur. Qui illud ſibi perſuadent, civiliter licitum cum naturaliter licito confundunt. Lege enim civili quædam tacite permittuntur, ac ideo pro licitis habentur: non tamen hinc ſequitur, quod etiam naturaliter licita ſint. Videbimus enim ſuo loco, lege civili permitti poſſe, quæ naturaliter illicita ſunt, ſeu lege naturali prohibentur. Ita lege naturali prohibitus eſt uſus cibi inſalubris (§. 399.), qui ſolius voluptatis percipiendæ gratia appetitur (§. 412.). Naturaliter adeo uſus iſte illicitus eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed de eo nihil cum diſponat lex civilis, tacite permittit uſum cibi inſalubris voluptatis ſolius percipiendæ gratia appetendum (§. 166. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*): uſus adeo iſte civiliter licitus. Talia dantur plura: ſed ſufficit hic uno exemplo oſtendiſſe, quod dubium videri poterat iis, qui Jus naturæ ex ſuo fonte non derivant, & ex notionibus Juris civilis de eodem ratiocinantur, differentia inter Jus naturale & civile non ſatis perſpecta.

§. 469.

Commoditas ædium L. N. conveniens.

Ædes commode ſunt extruendæ. Obligamur enim ad vitam commode tranſigendam (§. 466.) & ad ædes extruendas (§. 460.). Quamobrem cum in Architectura civili oſtendatur, ædes commode extrui poſſe; ædes commode ſunt extruendæ.

Sumitur hoc in Architectura civili inſtar axiomatis, & jam olim ſumſit *Vitruvius*, quemadmodum nemo ignorat, qui eandem vel primis labris deguſtavit. Quod vero recte ſumatur, ex præſenti demonſtratione patet.

§. 470.

Vita quando jucunde tranſigatur.

Vitam jucunde tranſigere dicimur, ſi ea agimus, ex quibus voluptatem veram, vel ſaltem innocuam percipimus. *Jucunde eam tranſigere videmur*, ſi ea agimus, ex quibus voluptatem nocuam percipimus. Vernaculo ſermone dicimus ſein Leben in Vergnügen zubringen.

Vulgo

Vulgo homines voluptatem innocuam a nocua non diſtinguunt, adeoque nec veram ab apparente ſeparant. Atque idcirco vitam jucunde tranſigere idem ipſis eſt ac ea agere, ex quibus voluptas percipitur. Enimvero ſi voluptas fuerit nocua, vel tædium ſive moleſtiam parit, vel in tædium degenerat (§. 383. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem vitam jucunde tranſigere nequit, qui ea agit, ex quibus nocuam percipit voluptatem, cum ex iiſdem actionibus poſthac reſultent tædia, quæ vitæ jucunditati adverſantur. Neceſſe igitur eſt, ut notio vitæ jucundæ ab omni errore liberetur, ne contradictioni obnoxia ſit. Unde verum ab eo, quod videtur, diſtinguimus. Quamvero neceſſo ſit verum ab apparente diſtingui, ad exempla animum advertenti apparet. Videntur plurimi ſibi vitam jucunde tranſigere, ſi quotidie fruantur cibo ac potu, ex cujus ſapore voluptatem percipiunt, cumque ſolius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum appetant, nec a nimio abſtinent. Cum cibi inſalubres deprehendantur, etiamſi ſapor ſit gratiſſimus, ac cibi etiam ac potus ſalubris quantitas ſanitati noceat; corpus vel morbo obnoxium evadit, vel ſaltem vigore ſuo privatur. Utrumque multarum moleſtiarum cauſa, quæ ubi devorandæ ſunt, vitam jucunde tranſigi ecquis dixerit? Aliter vero ſeſe res habet, ſi voluptas fuerit vera, vel ſaltem innocua. Cum enim voluptas innocua nunquam in tædium degeneret, nec unquam tædium ſive moleſtiam pariat (§. 384. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), veraque voluptas in ſe innocua ſit (§. 388 *part.* 1. *Phil pract. univ.*); qui ea agit, ex quibus veram vel ſaltem innocuam percipit voluptatem, ei verendum non eſt, ne vita jucunda degeneret in injucundam, conſequenter ut non ſit continua, ſed tædiis aut moleſtiis interrumpatur. Nemo itaque in dubium revocaverit, quin is demum vitam jucunde tranſigat, qui non niſi ea agit, ex quibus veram, aut ſaltem innocuam percipit voluptatem. Probe autem notandum eſt, voluptatem eandem uni eſſe poſſe innocuam, aſt nocuam alteri: id quod ex iis inprimis eluceſcet, quæ de officiis hominis quoad ſtatum externum demonſtraturi ſumus.

§. 471.

Homo obligatur ad vitam jucunde tranſigendam. Operam enim dare tenetur, ut eum conſequatur ſtatum, quo voluptas vera perdurat (§. 281.), nec tranſitoria fruatur voluptate, niſi quando fuerit innocua (§. 287.), conſequenter ea agere debet, ex quibus veram voluptatem, aut ſaltem innocuam percipit. Enimvero qui ea agit, ex quibus veram voluptatem aut ſaltem innocuam percipit, is vitam jucunde tranſigit (§. 470.). Homo itaque obligatur ad vitam jucunde tranſigendam.

Obligatio quoad vitæ jucunditatem.

Quæ paulo ante de vita commode tranſigenda annotavimus (*not.* §. 466.), ea mutatis mutandis huc etiam referenda. Immo repetenda hic etiam ſunt, quæ ſupra de obligatione ad felicitatem conſequendam annotavimus (*not.* §. 280.). Neque exiſtimandum eſt, quaſi periculoſum ſit docere, quod homo obligetur ad vitam jucunde tranſigendam, cum reperiantur adeo multi, qui nulla re magis, quam de vita jucunde tranſigenda cogitant, atque ideo tempus omne nonniſi in deliciis conſumere volunt. Etenim qui hoc faciunt, de vita jucunde tranſigenda omnium minime cogitant, quemadmodum modo (*not* §. 470.) ſatis clare ac perſpicue oſtendimus. Vitam jucundam non aliter interpretari debemus, quam ex definitione allata (§. *cit.*). In hoc enim ſenſu evicimus, hominem ad vitam jucunde tranſigendam obligari.

§. 472.

Homini jus eſt ad ea omnia, quæ ad vitam jucunde tranſigendam faciunt & ad actus omnes huc requiſitos. Obligatur enim ad vitam jucunde tranligendam (§. 471.). Quamobrem cum lex naturæ det homini jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); homini jus eſt ad ea omnia, quæ ad vitam jucunde tranſigendam faciunt, & ad actus omnes huc requiſitos.

Jus ad ea, quæ vitam jucundam faciunt.

§. 473.

Digitized by Google

§. 473.

Jus quoad pulchritudinem ædium.

Homini jus eſt extruendi ædes pulchras. Ædes enim pulchræ aptæ ſunt ad voluptatem in nobis producendam (§. 545. *Pſych. empir.*), adeoque earum extructio facit ad vitam jucunde tranſigendam (§. 470.). Quoniam itaque homini jus eſt ad ea omnia, quæ ad vitæ jucunditatem faciunt, & ad omnes actus huc requiſitos (§. 472.); jus etiam ipſi eſt ædes pulchras extruendi.

Sumitur *Vitruvio* præeunte inſtar axiomatis in Architectura civili, ædes pulchras eſſe debere, atque adeo in iis extruendis habendam quoque eſſe rationem pulchritudinis. Hic vero oſtendimus hominem hoc facere ſuo jure, ut pateat recte id ipſum ſumi. Pulchritudinem ædium facere ad vitæ jucunditatem notionibus communibus conforme eſt. Hic vero dicimus, notionem communem non abhorrere a veritate. Conſtat ex Architectura civili dari pulchritudinis ædium gradus, & eſſe quandam pulchritudinem eſſentialem, quæ locum habet in omni ædificiorum genere. Unde vero definiantur gradus unicuique obſervandi, ex ſtatu hominis externo intelligitur, quem nunc pendere a dominiis & imperiis introductis nemo eſt, qui nonniſi culpa ſua ignoret. Unde & officia hominis quoad ſtatum externum penitus perſpicere non datur, antequam de dominio & imperio ſummo civili fuerit actum.

§. 474.

Vita commoditas quatenus in poteſtate noſtra.

Vitæ commoditas in poteſtate noſtra eſt, quatenus facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio efficere poſſumus, ut, quod nobis agendum abſque moleſtia peragatur. Vitæ enim commoditas in eo conſiſtit, ut, quæ nobis agenda ſunt, abſque omni moleſtia peragere valeamus (§. 465.). Quamobrem cum nonniſi id in noſtra poteſtate ſit, quod facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio conſequi poſſumus (§. 175.); nec vitæ commoditas in poteſtate noſtra eſt, niſi quatenus facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio efficere poſſumus, ut, quod nobis agendum, abſque moleſtia peragatur.

Propoſitionem hanc addere debuimus, ut pateat quouſque ſeſe extendat obligatio vitam commode tranſigendi, ne contra eam agamus, dum eidem ſatisfacere intendimus. Demus itaque exemplum, ut pateat, commoditatem vitæ non ſemper in noſtra eſſe poteſtate, conſequenter, nec in eo caſu ullam eſſe obligationem, qua teneamur. Diximus in anterioribus, ædes commodas eſſe debere, ſeu in iis extruendis rationem habendam eſſe commoditatis. Non cujuſvis eſt ædes extruere, quæ ſibi ſunt commodæ. Plerique enim tenentur inhabitare ab aliis extructas, quas non ſemper in omnibus ſibi commodas experiuntur. Quoniam nemo obligatur ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), veſanum eſſet obligationem eo uſque extendere. Quin potius curandum eſt, ne moleſtæ nobis accidant, quæ tales recte haberentur, ſiquidem ea, unde oritur moleſtia, evitare in poteſtate noſtra poſitum fuiſſet. Immo ſi quis ſibimetipſi ædes extrui curet, cum ſit Architecturæ ignarus, aliorum judicio relinquere debet, quæ quoad commoditatem in extruendis ædibus obſervanda. Quamobrem ſi peccatur, non habet quod ſibi imputet. Enimvero ſi nullum in libris per repoſitoria diſponendis ordinem ſerves, ut eum, quem vis, non ſine moleſtia reperire poſſis; vitæ commoditas hac ex parte in poteſtate tua erat.

§. 475.

Vitæ jucunditas quatenus in poteſtate noſtra.

Similiter vitæ jucunditas in poteſtate noſtra eſt, quatenus facultatum, virium, ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio efficere poſſumus, ut ea agere valeamus, ex quibus voluptatem veram, vel innocuam ſaltem, percipere datur. Vitæ enim jucunditas in eo conſiſtit, ut ea agamus, ex quibus voluptatem veram, vel ſaltem innocuam percipimus (§. 470.). Quamobrem cum in poteſtate noſtra non ſit, niſi quod facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu alio-

aliorumque ope ac auxilio conſequi poſſumus (§. 175.); nec vitæ jucunditas in poteſtate noſtra eſt, niſi quatenus facultatum, virium ac rerum noſtrarum uſu aliorumque ope ac auxilio efficere poſſumus, ut ea agere valeamus, ex quibus voluptatem veram vel ſaltem innocuam percipere datur.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque trahenda ſunt; mutatis, ubi opus fuerit, mutandis.

§. 476.

Corpus ornare dicitur, ſi facto quodam noſtro pulchritudinem quandam ipſi conciliamus. *Corpus ornare quid ſit.*

Ita caput ornatur criſpatione capillorum, digiti ornantur annulis, brachia armillis, collum monilibus & torquibus aureis. Petitur etiam ornatus a floribus tam nativis, quam arte factis.

§. 477.

Symmetria corporis conſiſtit in conveniente partium externarum ad ſe invicem & ad totum corpus proportione. *Symmetria corporis quid ſit.*

Applicamus ad corpus humanum definitionem ſymmetriæ in genere, quam in Architectura civili dedimus (§. 24). Dari autem ſymmetriam in corpore humano, dudum agnovere veteres, ut adeo eandem ex corpore humano deſumſerint Architecti. Unde *Vitruvio* enatam eſſe regulam, quod ædificium ad hominis bene figurati membra exactam habere debeat rationem, alias jam monuimus (§. 27. *Arch. civ.*).

§. 478.

Eurythmia eſt ſimilitudo partium corporis externarum, quæ ab utroque latere ſunt partium mediarum diſſimilium. *Eurythmia corporis quid ſit.*

Applicavimus hic denuo definitionem generalem Eurythmiæ ad corpus humanum, quam dedimus alibi (§. 31. *Arch. civ.*). Dari Eurythmiam in corpore humano, nemo eſt, qui neſciat. Etenim naſus & os medium faciei locum occupant: a latere ſunt oculi cum genis & malæ. Similiter ab utroque latere trunci ſunt artus, manus ſcilicet ac pedes. Si corpus fuerit bene figuratum, oculus unus alteri ſimilis, nec in genis & malis, manibus ac pedibus ulla deprehenditur diſſimilitudo. Naſus vero & os nullam cum oculis, genis & malis, truncus cum manibus ac pedibus ſimilitudinem habet. Partes vero mediæ lateralibus diſſimiles in duas ſimiles dividuntur. Immo nullum eſt dubium, quin Architecti eurythmiæ, perinde ac ſymmetriæ notionem a corpore humano abſtraxerint, imitaturi in ædificiis, quod in corpore humano non qua humano, ſed qua compoſito ex diverſis partibus conſpicitur, cum etiam iſtiuſmodi corpus compoſitum ſit ædificium, etſi artificiale. Non nego dari ſymmetriæ ac eurythmiæ in corpore humano rationes a perfectione ejus naturali deſumtas: ſed eas hic expendi nil attinet, propterea quod ſymmetriam ac eurythmiam jam tantummodo conſideramus, quatenus faciunt ad pulchritudinem corporis.

§. 479.

Symmetria & Eurythmia requiritur ad pulchritudinem corporis. Conſtat experientia corpus humanum placere, ſi exacta in eodem deprehenditur ſymmetria & eurythmia; diſplicere autem, ſi defectus quidam in ſymmetria & eurythmia notetur. Unde videmus, ubi monſtroſitates corporis humani recenſentur, aut, ſi mavis, corpora male figurata deſcribuntur, notari quoque defectus in ſymmetria & eurythmia. Quoniam itaque ad pulchritudinem corporis ſpectat, quod efficit, ut idem nobis placeat; ad deformitatem vero, quod in cau- *Symmetria & Eurythmia num ſpectet ad corporis pulchritudinem.*

in cauſa eſt, ut diſpliceat (§. 543. *Pſych. empir.*); Symmetria & Eurythmia ad pulchritudinem corporis ſpectat.

Novi equidem non deeſſe, qui ſibi aliiſque perſuadent, placere corpus ob ſymmetriam & eurythmiam, quod in pleriſque corporibus eam obſervemus, pauciora vero dentur corpora humana, in quibus quoad utramque defectus in ſenſum incurrentes notentur: parum tamen me movet hæc objectio. Conſtat plura conſtructa eſſe ædificia, quæ a ſymmetria & eurythmia aberrant, quam in quibus exacta ſymmetria & eurythmia deprehenditur. Enimvero ſi quis conſtanter viderit ædificia, in quibus nullum ſymmetriæ & eurythmiæ veſtigium apparet, poſtea vero contigerit videre ædificium ad leges ſymmetriæ ac eurythmiæ conſtructum; hoc ipſi extemplo placet, illa diſplicent, etiamſi non diſplicuerint antea, cum nondum ullam ædificii juxta leges ſymmetriæ atque eurythmiæ conſtructi ideam haberet. Patet itaque ſymmetriam & eurythmiam non efficere, ut corpus ex pluribus partibus, ſimilibus ac diſſimilibus, compoſitum placeat, quia utrique ſumus adſueti. Etſi contrarium ex ipſa notione pulchritudinis a priori demonſtrari poſſit; demonſtratio tamen ſupponit principia, quæ hic ſtabiliri minime poſſunt. Sufecerit itaque hic, quemadmodum ſuperius in aliis, non ſumi niſi experientia comprobatum.

§. 480.

Præterea ad pulchritudinem requiſita. *Pulchritudo corporis etiam dependet a conveniente partium externarum figura, colore aliiſque qualitatibus ſenſibilibus.* Sumitur hoc denuo experientiæ fide. Ita dentes inciſivos, qui labiis diductis in conſpectum veniunt, commendat figura ad parallelogrammum propemodum accedens atque albedo; labia rubedo; cutem albedo & tenuitas; oculos nitor.

Prolixum nimis foret in rationes a priori inquirere, ut ex notione perfectionis demonſtrari poſſit, cur hæc placeat figura, cur hic color, cur hæ qualitates aliæ ſenſibiles. Innoteſcunt talia ex comparatione earundem corporis partium in diverſis ſubjectis. Ne vero præjudiciis detur locus, ut rana putetur eſſe Diana, animus nullo amore Venereo præoccupatus eſſe debet, ne ſit locus illi pervulgato: Si quis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam. Amor nimirum in cauſa eſt, ut placere videantur, quæ revera non placent. Inde eſt, ut, amore mutato, diſpliceant, quæ ante placuerant & contra. Quodſi ergo acumine pſychologico utaris, ne, cur quid placeat, ratio lateat: facile animadvertes, num quid per ſe placeat, an vero amor commendet aliis non placiturum.

§. 481.

Pulchritudinis naturalis & artificialis differentia. *Pulchritudo naturalis* dicitur, quæ corpori hominis natura ineſt: *Artificialis* vero vocatur, quæ facto quodam noſtro eidem conciliatur.

Experientia docet, dari corpora humana, quæ pulchritudo commendat, hancque ſpectari non modo in toto corpore, verum etiam in ſingulis ejus partibus, quæ in conſpectum veniunt. Immo totum corpus pulchrum eſſe nequit, niſi ſingulæ quoque partes fuerint pulchræ, etſi toti præterea inſit, quod in partibus non deprehenditur, quemadmodum ex ſymmetria & eurythmia ad pulchritudinem requiſita (§. 479.) a priori intelligitur, & a poſteriori attento obſervatori innoteſcit. Nemo igitur eſt, qui dubitet, dari quandam pulchritudinem naturalem. Cum vero multa admodum ſint, quæ ad pulchritudinem totius corporis requiruntur: ita non facile reperire licet corpus humanum adeo deforme, cui non quidpiam inſit pulchritudinis. Hinc audias, ob pulchritudinem laudari nunc hanc, nunc iſtam corporis, præſertim faciei partem & in parte una nunc quædam notari, quæ aliis pulchritudinis laudem mereri judicantur. Nemo vero eſt, qui non ultro fateatur, pulchritudinem perfectam, quæ in toto corpore conſpicitur, eſſe admodum raram, nec aliam afferri audias rationem, quam quod nimis multa ad pulchritudinem requirantur, ut ſcilicet totum corpus pulchrum dici poſſit, nec quicquam hac ex parte in eo deſideretur. Pulchritudini artificiali cum nimia ſtudeant homines, præſertim mulieres, quam par erat; neminem fore puto, qui eandem in dubium vocet.

Digitized by Google

§. 482.

Homo obligatur ad pulchritudinem naturalem conſervandam. Quoniam enim pulchrum eſt, quod placet (§. 543. *Pſych. empir.*); per pulchritudinem naturalem aliud intendi nequit, quam ut placeas aliis. Quodſi ergo eandem conſervare ſtudes, omnes actus, qui ad eam conſervandam faciunt, per eandem rationem finalem determinantur, per quam determinantur naturales. Quamobrem cum homo obligetur ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quin homo obligetur ad pulchritudinem naturalem conſervandam, dubitandum non eſt. *Obligatio ad pulchritudinem naturalem conſervandam.*

Non omnes obligationes ſunt ejuſdem momenti. ſicuti enim obligationes perficiendi animum majoris ponderis ſunt, quam obligationes perficiendi corpus; ita etiam obligatio conſervandi vitam & ſanitatem corporis multo majoris ponderis eſt, quam obligatio conſervandi pulchritudinem. Quanto intervallo ſanitas & vita diſtant a pulchritudine, tanto etiam obligatio illam conſervandi diſtat ab obligatione hanc conſervandi. Etſi autem hæc obligatio valde exigua ſit, ſi cum illa comparetur; non tamen ideo nulla eſt. Quando quæritur, num homo obligetur ad aliquid faciendum, non de eo quæſitio eſt, quanta ſit obligatio, ſed num detur aliqua obligatio.

§. 483.

Homini jus eſt ad ea, quæ ad pulchritudinem naturalem conſervandam faciunt. Eam enim conſervare obligatur (§. 482.). Quoniam itaque ipſi jus eſt ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus quoque ipſi eſt ad ea, quæ ad pulchritudinem naturalem conſervandam faciunt. *Jus quoad pulchritudinem naturalem.*

Ex hoc principio judicium fieri poteſt, quid jure ſuo faciant, qui pulchritudinem naturalem curant, ne promiſcue damnentur, quæ laudem potius, quam vituperium merentur.

§. 484.

Pulchritudo artificialis ſupplet defectum naturalis & naturalem auget. Pulchritudo enim naturalis homini natura ineſt; artificialis vero facto quodam ipſius eidem conciliatur (§. 481.). Quamobrem ſi naturalis deficit, & artificialis accedit; aliqua jam ipſi pulchritudo eſt, cum alias nulla eſſet. Supplet adeo artificialis defectum naturalis. *Quod erat unum*. *Effectus pulchritudinis artificialis.*

Quodſi naturalis adeſt & artificialis eidem ſuperaccedit; plus homini pulchritudinis eſt, quam ſi ſola naturalis adeſſet. Quoniam itaque augetur, quod homogeneo adjecto efficitur majus (§. 426. *Ontol.*); pulchritudo artificialis naturalem auget. *Quod erat alterum*.

Pulchrum dicitur, quod placet (§. 543. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum unum magis placeat altero, non tantummodo ob præjudicium aliquod, verum etiam in ſe, quemadmodum ex notione pulchritudinis (§. 545. *Pſych. empir.*) facile oſtendi poterat; pulchritudo admittit gradus (§. 746. *Ontol.*); qui cum in numero quantitatum ſint (§. 747. *Ontol.*), pulchritudinem artificialem naturali homogeneam efficiunt (§. 364. *Ontol.*). Non igitur contra rei veritatem tacite ſupponimus, pulchritudinem artificialem naturali homogeneam eſſe. Ceterum propoſitio præſens abſque ulla probatione ſumi poterat tanquam notio quædam communis. Qui enim agnoſcit dari pulchritudinem hominis artificialem, quod tanquam obvium nemo non agnoſcere debet, is etiam ultro fatetur artificiali ſuppleri defectum naturalis & naturalem eadem augeri. Nec videas aliter ſentire, qui pulchritudinem corporis curant.

§. 485.

An artificialis prohibita.

Quoniam pulchritudo artificialis ſupplet defectum naturalis & naturalem auget (§. 484.), homo autem ad naturalem conſervandam obligatur (§. 482.); *pulchritudo artificialis naturali obligationi non contradicit*, conſequenter *prohibita non eſt* (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Præter rationem adeo pulchritudo artificialis ſimpliciter & per ſe damnatur, quemadmodum vulgo faciunt qui non ſatis non confundenda a ſe invicem diſtinguunt.

§. 486.

Quando hominem deceat.

Si in ſtatu hominis externo vel interno contineatur aliqua ratio pulchritudinis artificialis, ea hominem decet. Id enim hominem decet, cujus aliqua ratio in ejus ſtatu externo, vel interno continetur (§. 194. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem etiam decet pulchritudo artificialis, ſi in ſtatu ejus externo vel interno aliqua illius contineatur ratio.

Non eſt quod excipias, loco citato non fieri mentionem ſtatus interni, ſed ſaltem externi. Etenim ibidem aſſeritur, decori rationem quoque peti ab iis, quæ homini inſunt. Eorum vero, quæ homini inſunt, numero etiam continentur mutabilia, per quæ ſtatus (§. 705. *Ontol.*) iſque internus conſtituitur (§. 706. *Ontol.*).

§. 487.

Num detur aliqua obligatio quoad pulchritudinem artificialem.

Quoniam lex naturæ nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam, etſi utraque in ſe ſpectata ſit indifferens (§. 203. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), pulchritudo autem artificialis hominem decet, ſi in ſtatu ejus externo, vel interno aliqua continetur illius ratio (§. 486.); *homo ad pulchritudinem artificialem non negligendam obligatur, ſi in ſtatu ejus externo vel interno contineatur aliqua ratio illius.*

Tanta nimirum eſt obligatio, quanta eſt ad decorum obſervandum, cumque decori etiam dentur gradus, illa erit tanta, quanta reſpondet gradui decori in pulchritudine artificiali ſpectandi. Qui de obligatione non ex notione ejus judicant, iis multa paradoxa videntur; quæ ceteris plana ac perſpicua ſunt.

§. 488.

Jus quoad pulchritudinem artificialem.

Homini jus eſt ad ea, quæ ad pulchritudinem artificialem faciunt & ad eos actus, qui ad eandem requiruntur. Obligatur enim ad pulchritudinem artificialem non negligendam (§. 487.). Quamobrem cum homini jus ſit ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus quoque ipſi eſt ad ea, quæ ad pulchritudinem artificialem faciunt & ad eos actus, qui ad eandem requiruntur.

Sunt qui uſum rerum ad pulchritudinem artificialem conciliandam aptum ad abuſum creaturarum referunt & actus, quibus conciliatur, vanitati adſcribunt, quaſi homini jus nullum ſit utendi rebus naturalibus ad conciliandam corpori pulchritudinem, immo quaſi obligemur ipſa naturæ lege ad pulchritudinem artificialem fugiendam. Enimvero id inde eſt, quod ſibi perſuadeant, artificiali pulchritudini operam non navari niſi ex ſuperbia: quod quam ſit a veritate alienum ex iis intelligitur, quæ modo demonſtravimus.

§. 489.

An corpus ornare liceat.

Corpus ornare non illicitum. Etenim qui corpus ornat, facto quodam ſuo pulchritudinem quandam eidem conciliat (§. 476.), adeoque artificialem (§. 481.). Quoniam itaque pulchritudo artificialis prohibita non eſt (§. 485.); nec corpus ornare prohibitum, conſequenter ad hoc omittendum non obligamur (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum illicitum non ſit, ad quod omittendum non obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec corpus ornare illicitum.

§. 490.

Idem porro expenditur.

Corpus ornare licitum. Homini enim jus eſt ad eos actus, qui ad pulchritudinem artificialem conciliandam requiruntur & ad eas res, quæ ad eandem faciunt (§. 488.). Quamobrem cum corpus ornet, qui facto quodam ſuo pulchritudinem, eamque artificialem (§. 481.), eidem conciliat (§. 476.); homini jus eſt ornandi corpus. Quoniam itaque licitum, ad quod faciendum nobis aliquod jus eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); corpus ornare licitum.

§. 491.

Quando deceat, immo debeatur.

Si in ſtatu hominis interno vel externo contineatur ratio aliqua pulchritudinis artificialis, decet hominem ornare corpus, immo hoc negligere non debet. Si enim in ſtatu hominis interno vel externo contineatur ratio aliqua pulchritudinis artificialis; ea hominem decet (§. 486.), immo homo eandem negligere non debet (§. 487.). Sed qui corpori pulchritudinem artificialem conciliat, idem ornat (§. 476.). Quare ſi in ſtatu hominis interno vel externo contineatur ratio aliqua pulchritudinis artificialis, corpus ornare hominem decet, immo hoc negligere non debet.

Sunt qui omnem ornatum corporis illicitum pronunciant & ideo ornatum quoque ſacrum ſacerdotum tanquam ſuperſtitioſum damnant. Alii eundem licitum pronunciant, ſed tacita magis legis permiſſione, quam permiſſione perfecta, ita ut homo hoc faciat jure ſuo. Quod is deceat hominem in caſu propoſitionis præſentis, nec hic eundem negligere debeat, in confuſis magis notionibus communibus continetur, quam diſtincte doceatur. Quamobrem tum ad profligandos errores, tum ad tollenda præjudicia, tum ad veritatem in aprico collocandam noſtrum fuit hæc omnia accurate definire, ne ulla ex parte errorem trahant judicia in caſibus particularibus obviis. Quod illicitum non eſt, non ideo ſtatim licitum, ſi licitum venire debet a lege permiſſiva. Naturaliter enim licitum in ſe indifferens non eſt, quemadmodum in civilibus habetur, quod tacite lex permittit. Ipſa enim lex naturæ præceptiva aliquid obligationis ſuæ in actum iſtum diffundit, ad quem permiſſiva jus confert, ut non modo agens immunis ſit a reprehenſione, ſed actio etiam ejus approbanda veniat & rectitudinis quandam laudem mereatur. Qui ex Philoſophia practica univerſali notiones omnes intime perſpexit, haud difficulter intelliget, quæ dicuntur. Quibus vero notiones confuſæ nebulam quandam offundunt, ii ſibi imputent, quod luce notionum diſtinctarum eandem diſcutere negligant.

§. 492.

Ornamentorum & veſtium differentia.

Ornamenta dicuntur, quæ tantummodo corpori ornando inſerviunt, ſeu ejus ornandi gratia parantur. *Veſtes* vero, quæ corpori tegendo adhibentur. Quæ ſimul corpori tegendo & ornando inſerviunt, proprio nomine apud Latinos deſtituuntur. Unde JCti Romani reſpicientes ad uſum, cujus gratia fuere reperta; ad ornamenta referunt, quæ corporis ornandi cauſa; ad veſtes vero, quæ ejuſdem tegendi gratia reperta fuerunt.

In-

Digitized by Google

Inter ornamenta referuntur annuli, quippe quorum non alius eſt uſus, quam ut ornatui corporis inſerviant. Excipitur annulus ſignatorius, qui literarum ſignandarum gratia paratur, etſi etiam ornatus gratia adhiberi ſoleat. Similiter ad ornamenta ſpectant armillæ, inaures, torques, periſcelides, capillamenta fictitia, & quæ ſunt alia hujus generis pro diverſis populorum moribus diverſa, ex definitione ornamentorum facile agnoſcenda & a veſte diſtinguenda. Definitiones ornamentorum & veſtium non diſſentiunt a mente JCtorum Romanorum. Diſerte enim *Ulpianus* l. 25. ff. *de aur. arg. mundo &c.* Ornamenta, inquit, muliebria ſunt, quibus mulier ornatur, & ad ea referri jubet omnia, quæ ad rem aliam nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſa. Et *Paulus* l. 26. *tit. eod.* dum veſtes, quæ ornatus magis cauſa, quam quo corpus tegant, comparatæ, ex numero ornamentorum aufert, utique inſinuat, veſtes eſſe, quæ tegendi corporis cauſa repertæ. Hinc vero ſimul intelligitur, JCtos Romanos in iis, quæ & tegendi, & ornandi corporis uſum habent, reſpexiſſe ad uſum, cujus gratia reperta ſunt, ubi quærebatur, num in numero veſtium, an vero ornamentorum haberi debeant. Idiomate vernaculo diſtinguimus inter ſchmücken & puken. Iſto vocabulo indigitamus actum, quo corpus tantummodo ornatur; hoc vero actum, quo ſimul veſtitur & ornatur. Etenim non modo de fœminis, verum etiam de maſculis dicimus: Er hat ſich geputzt, ubi quis ſplendido veſtitu ornatus incedit. Quoniam vero in legatis interpretandis definiendum erat, quid ornamentorum, quid veſtium nomine veniat; recte omnino JCti Romani ad eum uſum reſpexerunt, cujus gratia repertum fuerat, de quo quærebatur, utrum in ornamentorum, an veſtium numero ſit.

§. 493.

Jus quoad ornamenta. *Homini eſt jus ad ea, quæ ornamentis parandis inſerviunt, & ad eos actus, quibus & parantur, & quos requirit eorum uſus.* Ornamenta enim corpori ornando inſerviunt (§. 492.). Quoniam itaque corpus ornare licitum (§. 490.); homini quoque jus eſt ad ea, quæ ornamentis parandis inſerviunt, conſequenter ad eos etiam actus, quibus parantur, & quos requirit eorum uſus.

Auſteri nimis morum cenſores damnant actus ad paranda ornamenta requiſitos, quia damnant ornamenta, quaſi homini nullum jus ſit ad eos actus, immo quaſi ſint prohibiti. Oſtendendum itaque erat, actus hoſce non eſſe illicitos, nec ad abuſum referendum, ubi rebus naturalibus utimur ad paranda ornamenta. Ipſa vero ornamenta ſuum habent ſicuti uſum, ita etiam abuſum. Abuſus vero ipſa ornamenta non facit illicita, conſequenter nec illicitos reddit actus, quibus ea parantur.

§. 494.

Mundus quid ſit. *Corpus mundum facere* dicimur, ſi pulchritudinem corporis naturalem, quatenus a qualitatibus ſenſibilibus pendet, conſervare & perficere ſtudemus. Hinc *Mundus* appellatur, quod eum præſtat uſum, ut mundiores fiamus.

Convenit hæc notio cum mente JCtorum Romanorum. Etenim *Ulpianus* l. 25. *de aur. arg. mundo &c.* mundum muliebrem eſſe dicit, quo mulier mundior fit, & ad eum refert ſpecula, matulas, unguenta, vaſa unguentaria, lavationem, riſcum. Intelliguntur autem hic per matulas vaſa, quibus aqua ad lavandum inferebatur: ſit ita, quod alii vocabulum accipiant in ſignificatu communi pro vaſe; quo lotium excipitur, inſtituto præſenti parum convenienter. Riſcum vero arculam veſtiariam interpretatur *Schardius* in Lexico Juridico. Jus homini quoad mundum competens patet per ea, quæ ſuperius oſtendimus (§. 483.), ut adeo brevitatis gratia de *Jure ad mundum* non demum verba faciamus.

§. 495.

Rei nomine quid veniat. *Rei* nomine hic venit ens omne, quod homini uſui eſſe poteſt, veluti ad vitam conſervandam & commode atque jucunde tranſigendam, vel ad animæ corporiſque perfectionem quomodocun que promovendam.

Rem in genere definivimus in philoſophia prima (§. 243. *Ontol.*). Enimvero hic ſumitur vocabulum in ſenſu ſtrictiori, cum reſtringatur ad eas, quæ homini uſum quendam præbere

re poſſunt. Etenim hic non conſideramus niſi eas res, ad quas homini jus quoddam eſt, eaſque homini, cui jus ad eas vel in iis competit, contradiſtinguimus. Jus autem homini ad res competere nequit, niſi quatenus aliquem ipſi præbent uſum (§. 159. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec ullus mortalium appetit, quod nulli prorſus uſui hominibus eſſe poteſt. Ex. gr. Fructus arborum, veluti poma, ſunt in numero alimentorum, atque adeo aliquem homini præbent uſum. Sunt igitur in numero rerum. Aere indigemus ad reſpirandum, nec ſine reſpiratione vivere poſſumus. Eſt adeo aer in numero rerum. Ligna nobis multiplicem præſtant uſum. Sunt itaque in numero rerum. Lumen ſolis uſum non minus multiplicem habet in iis, quæ calore ſolari perficiuntur. Eſt adeo in numero rerum. Actiones hominis alterius uſui ſunt homini alteri. Sunt adeo in numero rerum. Ipſa jura homini competentia, itemque obligationes, quibus alii tibi adſtringuntur, uſum multum habent. Sunt igitur & ipſa in numero rerum. Quod vocabulum hic non ſumatur in ſignificatu a mente Juris Romani alieno, ſatis patet. Etenim §. 1. *Inſt. de rer. div.* inter res recenſentur aer, aqua profluens, mare, §. 2. *hoc t.* flumina, §. 8. *hoc t.* ædes ſacræ & donaria, §. 12. *hoc t.* feræ beſtiæ, volucres, piſces, § 14. *h. t.* aper &c. Quod vero etiam jura & obligationes in numerum rerum referantur, patet ex §. 2. *de reb. corp. & incorp.*

§. 496.

Res corporalis quænam ſit.

Res corporalis dicitur, quæ ſenſu percipi poteſt.

Ita aerem tactu percipimus, dum vi venti agitatur, vel manu adverſus faciem propellitur. Eſt igitur res corporalis. Similiter in ſenſum incurrunt lumen ſolis, aqua profluens, animantia bruta, vegetabilia, mineralia. Sunt adeo res corporales. *Gajus* res corporales definit per eas, quæ tangi poſſunt *l.* 1. *ff de div. rer.* Enimvero conſtat veteres quoſdam philoſophos ſenſum omnem ad tactum reduxiſſe, ut adeo tangi idem ſit ac ſenſu quodam externo percipi, quemadmodum etiam Juris Romani interpretes explicare ſolent. Vid. *Pomereſchius* in Tyrocinio Juris ſuper IV. Inſtit. libros ad tit. de reb. corp. & incorp. Ceterum *Gajus* res corporales quaſdam enarrans veluti fundum, hominem, veſtem, aurum, argentum, inter eas quoque refert hominem, propterea quod ſervi jure Romano habebantur pro rebus, de quo ſuo loco.

§. 497.

Res incorporalis quænam ſit.

Res incorporales ſunt, quæ ſenſu externo percipi non poſſunt, ſed intellectu tantummodo concipiuntur.

Talia ſunt jura homini competentia, veluti uſusfructus hæreditas, ſervitus: de quibus ſuo dicemus loco. Ex harum enim rerum definitionibus ſtatim intelligitur, quod ſenſu nullo externo percipi queant, ſed intellectu tantummodo concipiantur; ex rei autem definitione ontologica ad eaſdem applicata liquet, quod in numerum rerum recte referantur. Quod denique in numero quoque rerum ſint in ſignificatu ſtrictiori, qui hic attenditur (§. 495.) ex ea, quam homini præſtant, utilitate patet. *Gajus l. c.* res incorporales dicit, quæ tangi non poſſunt, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, quæ corporales non ſunt. Alibi enim dudum docuimus, uno oppoſitorum definito alterum negative definiri poſſe. Quemadmodum autem ante monuimus (*not.* §. 496.), tactum ſumi pro ſenſu externo omni in genere in definitione rei corporalis; ita idem etiam intelligitur in definitione incorporalis. Monuit autem jam *Gajus* res incorporales non concipi niſi in relatione ad corporales, veluti hæreditatem ſeu jus ſuccedendi in alterius bonis in relatione ad eas res corporales; quas defunctus reliquit, uſusfructus ſeu jus utendi fruendi in relatione ad rem quandam corporalem, veluti hortum, qui alterius eſt, & ita porro.

§. 498.

Rerum incorporalium enumeratio.

Quoniam *jura hominis naturalia, ejuſdem obligationes naturales, omnes* item *habitus acquiſiti & facultates animæ* ſenſu percipi non poſſunt externo; omnia hæc & ſingula *res incorporales ſunt.*

Non omnes hic enumeramus res incorporales, ſed ſaltem aliquas, cum quibus nobis in Jure naturæ potiſſimum negotium eſt, ut appareat diſtinctionem rerum in corporales & incorporales non eſſe inanem ſuamque habere utilitatem, cum ex anterioribus jam intelligatur & per univerſum Jus naturæ eluceſcat leges naturæ diſponere de rebus incorporalibus.

§. 499.

Res neceſſariæ quænam. *Res neceſſariæ* ſunt, quæ ad vitæ ac ſanitatis conſervationem requiruntur, ſeu ſine quibus vita ac ſanitas conſervari nequit, & quæ ad animam perficiendam requiruntur; ſeu ſine quibus ea perfici nequit, ut vitam perfectam vivat.

Etſi plana videatur rerum neceſſariarum definitio, non tamen adeo facilis eſt in caſu particulari applicatio. Supponit enim applicatio, ut cognoſcas indiſpenſabilem uſum in vita ac ſanitate conſervanda, indiſpenſabilem etiam uſum in perfectione quadam animæ, qua ea carere nequit, ſi vitam perfectam vivere debet, acquirenda. Difficilior vero ex parte animæ, quam ex parte corporis eſt applicatio, prouti ex Philoſophia morali eluceſcet. Præterea qualitates quoque rerum nobis eſſe debent perſpectæ, ut, quemnam afferant ad vitæ ac ſanitatis conſervationem & animam perficiendam utilitatem, conſtet. Suppono autem verum eſſe debere judicium de neceſſitate rerum, ne tantummodo neceſſariæ habeantur, quæ ad vitæ ac ſanitatis conſervationem, & perfectionem animæ, quam vita perfecta exigit, requiri putantur.

§. 500.

Res utiles quænam. *Res utiles* ſunt, quæ ad vitam commode degendam requiruntur.

Qui ex anterioribus didicit, quid ſit vitam commode tranſigere, eidem facile conſtabit, quænam res in numero utilium ſint referendæ. In applicatione tamen definitionis conſultum eſt, ſi rem, de qua ferendum eſt judicium, ante eximas e numero neceſſariarum, quam eidem vindices locum inter utiles. Neque hoc abhorret a notionibus communibus. Cum enim homines in perſpiciendis nævis aliorum ſatis ſint acuti, ubi reprehendere volunt, quod commoditatis vitæ major habeatur ratio, quam permittit ſtatus externi conditio, res utiles omnium primo e numero neceſſariarum tollunt, concedentes deinde utilitatem, ſed cujus in præjudicium neceſſitatis non habenda ſit ratio.

§. 501.

Res voluptuariæ quænam. *Res voluptuariæ* dicuntur, quæ nonniſi ad vitæ jucunditatem faciunt.

Qui ex anterioribus didicit, quid ſit vitam jucunde tranſigere, definitionem hanc facile intelliget. Unum tamen moneri inconſultum non eſt. Quoniam res voluptuariæ nonniſi ad vitæ jucunditatem facere debent, eorum uſu non intendi debet niſi delectatio: vera enim, quæ percipitur voluptas, veram ſupponit perfectionem (§. 514. *Pſych empir.*), quæ adeo per ſe intenditur, etſi voluptas inde percipienda motivum ſit, cur eam acquirere ſtudeamus. Enimvero non dantur tantummodo quoad corpus, quæ nonniſi ad vitam jucunde tranſigendam faciunt; verum etiam quoad animam. Sane dantur ſtudia literaria, quibus incumbunt complures, non quod inde redundat manifeſta in genus humanum utilitas, qua carere non poterat, & quam alio modo obtineri non datur; ſed quia iiſdem delectantur.

§. 502.

Ordo rerum. *Res utiles voluptuariis, res autem neceſſariæ utriſque præferendæ.* Res neceſſariæ faciunt ad vitæ ac ſanitatis conſervationem, & ad acquirendam animæ perfectionem, ſine qua vita perfecta vivi nequit (§. 499.); utiles autem nonniſi ad vitam commode (§. 500.), voluptuariæ non niſi ad eandem jucunde tranſigendam (§. 501.). Quamobrem cum ſine probatione concedatur, potius eſſe conſervare vitam ac ſanitatem, quam commode ac jucunde vivere, & commoditatem vitæ præſtare nuda delectatione; res utiles voluptuariis, neceſſariæ autem utriſque præferendæ.

Nemo diffitebitur, ante omnia eſſe curandum, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Illud obtinetur, ſi anima perficitur ut vitam perfectam vivere poſſis, quantum datur; hoc vero conſequimur, ubi vitam & ſanitatem conſervamus. Ex anterioribus patet, huc tanquam ad

finem

Digitized by Google

finem tendere totam naturæ legem. Principalis adeo obligatio conſiſtit in eo, ut vita ac ſanitas corporis conſervetur atque anima perficiatur, quo vitam perfectam vivere apti evadamus. Res itaque, quæ ad hunc finem conſequendum requiruntur, ceteris omnibus præferendas eſſe, ecquis dubitaverit? Quoniam itaque eædem ſunt, quas neceſſarias dicimus (§. 499.); nemo dubitabit neceſſarias præferendas eſſe rebus ceteris omnibus, adeoque utilibus & jucundis. Quodſi jam utiles & jucundæ de prærogativa inter ſe contendant, utilibus hanc largietur, qui quid interſit diſcriminis inter commoditatem & jucunditatem vitæ (§. 465. 470.) intellexerit, atque perpenderit, res voluptuarias nonniſi ſenſus delectare, conſequenter veram voluptatem, quæ maximum ad vitæ jucunditatem adjumentum affert, res voluptuarias minime exigere. Non dicam, quod cautus eſſe debeat rerum voluptuariarum uſus, cum is non permittatur, niſi ubi voluptatem creant innocuam (§. 470.). Non nego dari plurimos, qui res voluptuarias ceteris omnibus præferunt: ſed hi non ſunt, qui de earum valore ex ratione ſtatuunt.

§. 503.

Res pure naturales quænam ſint.

Res pure naturales dicuntur, quæ natura ſua ſponte producit.

Ita piſces in mari & fluminibus gignuntur abſque opera humana. Sunt igitur res pure naturales. Idem eodem modo patet de avibus & de feris, de vegetabilibus ſponte naſcentibus, de mineralibus.

§. 504.

Res induſtriales quænam ſint.

Res induſtriales ſunt, quas natura nonniſi interveniente opera humana producit.

Pertinet huc olera, quæ naſcuntur in hortis, & fruges in agris. Pecora quoque in hunc cenſum veniunt, quæ ab hominibus educantur & aluntur.

§. 505.

Res artificiales quænam ſint.

Res artificiales ſunt, quæ arte humana parantur.

Tales ſunt horologia, utenſilia, ædificia, libri typis deſcripti & compacti, veſtes, ornamenta & innumera alia in rerum natura minime extitura, niſi artes eſſent inventæ. Patebit vero ſuo loco, non abſque ratione res pure naturales ab induſtrialibus, haſque ab artificialibus diſtingui.

§. 506.

Obligatio quoad res induſtriales.

Si natura non ſua ſponte profert res neceſſarias tanta copia, quanta omnibus ſufficit; ad earum proventum opera ſua multiplicandum obligantur homines. Etenim ſine rebus neceſſariis vita ac ſanitas corporis conſervari nequit (§. 499.). Quamobrem cum ad vitam (§. 350.) & ſanitatem corporis conſervandam obligemur (§. 393.); opera quoque danda eſt, ne deſint res neceſſariæ. Quodſi ergo natura non ſua ſponte profert res neceſſarias tanta copia, quanta omnibus ſufficit, neceſſe utique eſt, ut earum proventum multiplicare ſtudeamus. Patet igitur, ſi natura non ſua ſponte profert res neceſſarias tanta copia, quanta omnibus ſufficit; ad earum proventum opera ſua multiplicandum obligari homines (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Non eſt, quod excipias, obligationi huic non eſſe locum, niſi introductis dominiis. Etenim homines per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligantur ad perfectionem ſuam ſtatuſque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ita ut unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre teneatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet. Quamobrem ſi multiplicatus fuerit hominum numerus, ut terra ſponte ſua non proferat ad victum neceſſaria tanta copia, quanta omnibus ſufficit; communis uſus cauſa unuſquiſque ad illorum proventum multiplicandum operam

ſuam pro virili conferre debet. Fluit adeo hæc obligatio ex ipſa eſſentia atque natura hominis tanquam ex fonte ſuo, nullis ſuppoſitis dominiis, & eidem ſatisfacerent homines in ipſa communione rerum omnium viventes, ſiquidem integri eſſent (§.75.).

§. 507.

Obligatio ad agriculturam & horti culturam.

Multiplicato genere humano, homines obligantur ad agros & hortos uſui œconomico deſtinatos colendum. Diuturna experientia comprobatum eſt, fruges, olera ac mitiores fructus arborum inſervire corpori noſtro nutriendo. Nec minus eadem magiſtra patet, naturam neque fruges, neque mitiores fructus arborum ſua ſponte proferre, ea inprimis copia, quæ multiplicato genere humano omnibus ſufficit. Quoniam quæ corpori nutriendo inſerviunt, ad ejus conſervationem neceſſaria ſunt (§.380.), quæ vero ad vitæ ſanitatis conſervationem requiruntur, res neceſſariæ ſunt (§.499.); fruges, olera ac mitiores arborum fructus in numero rerum neceſſariarum ſunt. Enimvero ſi natura ſua ſponte non profert res neceſſarias tanta copia, quanta omnibus ſufficit; ad earum proventum opera ſua multiplicandum obligantur homines (§.506.). Quamobrem genere humano multiplicato obligantur homines ad frugum, olerum ac mitiorum fructuum arborum proventum multiplicandum. Nemo eſt qui neſcat, frugum proventum multiplicari non poſſe niſi agrorum cultura, nec olera ac mitiores fructus arborum magna copia haberi poſſe, niſi horti colantur. Patet itaque genere humano multiplicato homines obligari ad agros & hortos colendum.

Quodſi objicias, Deum injunxiſſe Adamo agriculturam, antequam multiplicaretur genus humanum, adeoque obligationem colendi agrum non pendere a multiplicationi generis humani, facilis eſt reſponſio. Adamus repræſentavit totum genus humanum: quod adeo ipſi dictum eſt, omnibus dictum. Atque locum habet obligatio, quam primum res ad vitæ conſervationem neceſſarias natura ſua ſponte non profert. Quodſi ergo pauci fuerint homines, immo vel unus fuerit ibi terrarum, ubi natura ſua ſponte non profert ad vitæ conſervationem neceſſaria, paucos iſtos ibi locorum, immo unum tenet obligatio colendi agrum & hortum. Quodſi porro excipias, hominem in pœnam damnatum ad agriculturam, non adeo dari obligationem naturalem ad colendum agrum; nec hic difficilis eſt reſponſio. Obligatio naturalis hypothetica eſt, ſupponens factum aliquod naturæ privativum, ſcilicet quod non ſua ſponte proferat terra ad victum ſufficientia. Juxta Sac. Script. Deus maledixit terræ ob peccatum hominis, hoc eſt, ſterilitatem induxit, ne ſua ſponte proferret ad victum ſufficientia, atque adeo fecit, ut factum iſtud naturæ privativum poneretur, conſequenter ut obligatio naturalis hypothetica oriretur. Quamobrem non implicat hominem naturaliter obligari ad colendum agrum & in pœnam a Deo ad colendum agrum fuiſſe condemnatum. In philoſophia ſumimus ſtatum terræ, qualis deprehenditur, neque inquirimus, undenam is ſit. Facta enim nec ad philoſophiam ſpectant, ſed ad hiſtoriam, nec ratiocinando colligi poſſunt ex aliis principiis, niſi quatenus effectus quidam ſingularis arguit factum quoddam, ſine quo concipi nequit. Certum adeo eſt obligationem ad colendum agrum & hortos ex ipſa natura hominis fluere in hypotheſi propoſitionis præſentis, etiamſi non ſupponatur a Deo propter hominis peccatum ademtam fuiſſe fertilitatem terræ in pœnam. Obtinet enim iſta obligatio, quacunque de cauſa terra ſua ſponte non profert ad victum hominis ſufficientia. Fluunt obligationes naturales ex ipſa eſſentia & natura hominis ſuppoſito quodam facto humano: nihil igitur abſoni fingere licet, quod obligatio quædam naturalis ex eadem hominis eſſentia atque natura reſultet; facto quodam divino ſuppoſito, quale commemorat hiſtoria ſacra. Neque etiam eſt, quod urgeas, poſſe homines vivere abſque frugibus, oleribus & fructibus arborum mitioribus, quemadmodum probant exempla nonnullarum gentium barbararum, quæ hodienum omnia hæc eſculenta ignorant. Ut enim taceam neminem, qui ſapit, pane invento glandibus cum porcis veſci velle; ita nec cibi, quibus illæ famem tolerant, ubivis locorum ſufficiente copia haberi poſſunt, etiamſi agreſte vivendi genus vitæ cultiori præferre volueris. Ceterum ex demonſtratione intelligitur, hic tantummodo ſermonem eſſe de horti cultura œconomica. Hortos, qui uſui œconomico deſtinantur, vernaculo ſermone diſtinguimus in Küchen-Gärten & Obſt-Gärten. Hi Latine dicuntur pomaria, illi proprie horti appellantur. Quodſi vocabulum horti in ſignificatu generali accipere volueris, quemadmodum accipitur Germanicum Garten, hortus, in quo plantantur olera, dici poterat hortus olitorius, quemadmodum *Livius* forum olitorium appellat, in quo olera venduntur: quidam viridaria vocant. Monui jam ſuperius (*not.* §. 169.) lingua Germanica genera & ſpecies rerum multo accuratius diſcerni, quam in linguis aliis.

§. 508.

§. 508.

Multiplicato genere humano homines obligantur ad rem pecuariam faciendam. Conſtat hominem veſci carne pecudum & aliis, quæ a pecudibus proveniunt, veluti lacte, butyro, caſeo, nec non carne avium domeſticarum, ac materiam veſtium ab illis petere. Unde eodem prorſus modo, quo in propoſitione præcedente oſtenditur, multiplicato genere humano homines ad rem pecuariam faciendam obligari. *Obligatio ad rem pecuariam.*

Ad rem pecuariam proprie tantummodo ſpectat cura pecudum. In pecudum vero numero ſunt boves cum vaccis, oves atque ſues. Vocabulum vero Germanicum die Vich-Zucht latius ſumitur, ut etiam curam avium domeſticarum, quas das Feder-Viehe appellamus, ſub ſe comprehendat. In harum numero ſunt galli cum gallinis, gallopavi cum meleagridibus, anſeres, anates & columbæ. Nemo non novit cura hominum hæc animalia multiplicari, ſive quadrupedia, ſive volatilia ſpectes, quæ ſibi relicta ſpeciem ſuam tanto numero non propagarent, præſertim cum pecoribus feræ beſtiæ, avibus domeſticis aves rapaces inſidias ſtruant. Quamobrem eadem ratio eſt, cur homines obligentur ad curam pecudum, quam cur obligentur ad curam avium domeſticarum, ut adeo nil obſtet, quo minus vocabulum rei pecuariæ ad utramque extendatur. Ceterum ſi expendere volueris, quomodo obligatio naturalis ad rem pecuariam ex ipſa eſſentia & natura hominis fluat, nullo ſuppoſito facto divino, quo hæc cura in pœnam homini injungatur, haud difficulter perſpicies, eodem prorſus modo concipi naturalem hominis obligationem ad agriculturam atque horticulturam, ut adeo philoſophus utramque concedere teneatur. Monuimus autem jam ſuperius, dari quaſdam obligationes, quæ non omnium hominum communes ſunt, ſed quorundam tantummodo propriæ (§.185.). Et ad has poſteriores referenda eſt obligatio ad agri & horti culturam atque rem pecuariam. Sufficit nimirum curs quorundam ad ſupplendum defectum naturæ, ut ne deſit ſufficiens alimentorum copia, adeoque cum communibus viribus commune bonum promovere teneantur homines (§.221. *part. I. Phil. pract. univerſ.*), non omnes tangere debet hæc cura. Alia enim aliis ad commune bonum promovendum facienda ſunt.

§. 509.

Si natura non ſua ſponte profert tantam lignorum copiam, quanta hominibus ſufficit ad vitam conſervandam & commode tranſigendam; homines ad ſylvas colendum, ſeu arbores ſylveſtres plantandas obligantur. Ligni uſum multiplicem, ob quem inter res non minus neceſſarias (§.499.), quam utiles, collocanda ſunt ligna (§.500.), nemo eſt qui neſciat. Enimvero ſi natura non ſua ſponte profert res neceſſarias tanta copia, quanta omnibus ſufficit, ad earum proventum opera ſua multiplicandum obligantur homines (§.506.). Quamobrem ſi natura non ſua ſponte profert tantam lignorum copiam, quanta hominibus ſufficit ad vitam conſervandam & commode tranſigendam; homines etiam obligantur ad lignorum proventum opera ſua multiplicandum, conſequenter ad arbores ſylveſtres plantandas, ſeu ad ſylvas colendum. *Obligatio ad ſylviculturam.*

Natura arbores ſylveſtres tanta copia producit, ut hactenus eas ab hominibus plantari ac curari non fuerit opus. Enimvero in Germania noſtra, ut alias regiones taceamus, multis in locis ſylvæ extirpatæ & in agros converſæ fuerunt, incolarum numero aucto. Dantur etiam cauſæ plures, cur in ſylvis non copioſæ vegetentur arbores, quas hic recenſere noſtri non eſt inſtituti. Unde pluribus in locis defectus lignorum ſeſe prodit ac in futurum magis prominet. Nullum adeo eſt dubium, quin homines obligentur ad ſylviculturam, de qua etiam laudanda opera commeotatus eſt vir generoſiſſimus *Joannes Carolus a Carlowitz* in Sylvicultura œconomica ſermone patrio conſcripta, ut adeo huic obligationi ſatisfacere poſſint, qui eadem tenentur. Si dubium ſuboriatur, quaſi præſens neceſſitas culturam ſylvarum nondum urgeat; cogitandum eſt, nos etiam proſpicere debere futuræ propter obligationem, qua tenemur poſteris, inferius expendendam.

§. 510.

Obligatio quoad paranda ea, quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt.

Si qua natura non ſua ſponte profert, aut ſola producere nequit, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt; homines obligantur ad ea arte ſua parandum. Etenim ad vitam commode (§.466.) & jucunde tranſigendam obligamur (§.471.). Quamobrem danda quoque opera eſt, ne deſint, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt. Quodſi ergo hæc natura non ſua ſponte profert, aut ſola producere nequit, quin homines ad ea arte ſua parandum obligentur dubitandum non eſt.

Qui capiunt obligationem vitæ commode ac jucunde tranſigendæ, iis, quoad obligationem præſentem nihil dubii ſupereſſe poterit. Relegenda igitur ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 466. 471.). Ceterum hinc fluit obligatio artes manuarias excolendi & exercendi. Omnes in univerſum ultro confitentur, quemvis opificem obligari ad hoc, ut in opificio ſuo tractando aſſiduum ac diligentem ſe præſtet. Quodſi nulla daretur obligatio ad opificium illud exercendum, nec ulla poterat dari obligatio ad aſſiduitatem ac diligentiam in eodem exercendo. Quibus veritas ſuſpecta eſt, hi ſibi perſuadent, quaſi obligatio omnis naturalis ſingula individua æqualiter tangat: quod quam ſit a veritate alienum abunde docuimus in ſuperioribus & ſuo loco plura occurrent, quæ idem loquuntur. Niſi homines omnes conjunctis viribus mutuam ſalutem promovere tenerentur, ſed unusquisque ſibi viveret, non aliis; tum demum tale quid opinari licebat.

§. 511.

Cura hominum de ſufficiente rerum copia.

Homines operam dare debent, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium. Etenim ſi natura non ſua ſponte profert res neceſſarias & res ad vitæ commoditatem atque jucunditatem ſpectantes, hoc eſt, utiles (§. 500.) & voluptuarias (§. 501.) tanta copia, quanta omnibus ſufficit, aut ſola prorſus producere nequit; homines ad illarum proventum multiplicandum & ad eas arte ſua parandum obligantur (§. 506. 510.). Operam igitur dare debent, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, quas vel natura non producit niſi interveniente opera humana, vel quas homines arte ſua parant, conſequenter induſtrialium (§. 504.) & artificialium (§. 505.).

Hactenus conſideramus homines in ſtatu primævæ communionis, ante introducta dominia. Atque adeo quæritur, quænam ſit eorum obligatio ad res in communem uſum comparandas. Etenim dominiis non introductis, non ceſſat obligatio conſervandi vitam eamque commode ac jucunde tranſigendi: quod cum fieri non poſſit abſque uſu rerum, dubium ſupereſſe nequit ullum, quin etiam ipſos tangat cura res induſtriales & artificiales parandi, ſi natura vel non ſponte ſua profert, vel prorſus non producit res omnes ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem requiſitas. Si nulla introducta eſſent dominia, hoc tamen non obſtante homines tenerentur agros & hortos colere, rem pecuariam facere, artes manuarias exercere in communem utilitatem. Obligatione naturali ad hoc faciendum adſtringerentur &, ſi legem naturæ adimplere vellent, nulla ex parte obligationi iſti deeſſent. Neque inutile eſt conſiderare hanc obligationem ante introducta dominia, qualis revera fluit ex eſſentia & natura humana. Patebit enim ſuo loco, quantum interſit hoc notaſſe: Neminem offendet, quod rerum quoque voluptuarium mentionem faciamus, dum eas enumeramus, quibus parandis homines operam dare debens, modo a vocabulo odium removeat: id quod per definitionem (§. 501.) & ea, quæ de vita jucunde tranſigenda demonſtrata, & annotata ſunt (§. 470.), fieri poteſt. Rerum voluptuariarum datur uſus, quatenus voluptatem innocuam pariunt: abuſus vero tum notatur, quando nocuam gignunt. Immo fieri poteſt, ut res voluptuariæ ſubinde ſuppetias ferant neceſſariis. Ex. gr. Inſtrumenta muſica inter res voluptuarias referuntur, cum auribus delectandis deſtinentur. Quatenus vero Muſicæ datur etiam effectus moralis antiquiſſimis temporibus a Sinis agnitus & ſuo loco demonſtrandus, immo eo fine Muſica ad ipſum cultum divinum tranſlata eſt; inſtrumenta Muſica ſuppetias ferunt rebus neceſſariis (§. 499.), immo naturam neceſſariarum induunt. Uſum rerum voluptuariarum nemo damnat, nec damnantur, qui arte ſua eaſdem parant, vel ad earum productionem con-

cur-

Digitized by Google

currunt; ſi induſtriales fuerint (§. 504.). Eccur ergo damnare velis, ubi communio rerum ſpectatur ante dominia introducta, ut etiam rebus voluptuariis parandis impendatur opera? Ceterum ſtatum iſtiuſmodi hominum, in quo omnes ac ſinguli operam dant, ne deſit ſufficiens copia rerum tam neceſſariarum, quam utilium & voluptuariarum ad communem uſum, ſibi concipit *Campanella* in ſua Rep. Solis.

§. 512.

Laboris nomine quid veniat.

Laboris nomine veniunt actiones, quibus res ſive corporales, ſive incorporales producuntur, vel comparantur aut ad eas producendas ſaltem concurritur, & quæ ad vitam commode, jucunde ac decore agendam quomodocunque faciunt. Unde *Labor* etiam definiri poterat per operam, quæ rebus corporalibus & incorporalibus producendis vel vitæ commoditati, jucunditati, & decori promovendis impenditur.

Difficile videtur laborem ita definire, ut definitio ſatisfaciat in omni caſu, nec abhorreat ab uſu loquendi, qui admodum vagus videtur. Puto tamen eam, quam damus, definitionem facile ſatisfacturam, modo acumine utaris in rebus incorporalibus diſcernendis. Non rectius hoc patebit quam per exempla eunti. Laborare dicuntur opifices & artifices promiſcue omnes. Horum vero actiones tendunt ad rem quandam artificialem producendam, vel parandam, quæ abſque hominum opera non exiſteret. Laborare dicuntur ruſtici, qui agros colunt, vel rem pecuariam faciunt. Horum vero actiones eo tendunt, ut producantur fruges, & generentur pecudes, quas natura ſibi relicta non produxiſſet. Laborare dicuntur Præceptores in Scholis & Profeſſores in Academiis, dum illi pueros & adoleſcentes; hi juvenes inſtruunt. Horum vero actiones eo tendunt, vel ut notitiæ quædam inſinuentur animis diſcentium, vel ut artes quædam liberales, veluti ars ſcribendi, computandi, orationem componendi, iiſdem inſtillentur, quæ notitiæ atque artes in diſcentibus non exiſterent abſque docentium opera. Labor opificum & ruſticorum verſatur circa res corporales; labor vero Præceptorum & Profeſſorum circa res incorporales. Quoniam hic ſtatum externum hominis conſideramus, qualis eſt ante introducta dominia & imperia, laborem quoque ſpectare debemus, qualis eſt in eodem ſtatu. Dominiis nondum introductis nulla ſtatuuntur pretia rerum, ſi a valore intrinſeco diſceſſeris, qui dependet ab uſu in promovenda perfectione hominis ejuſque ſtatus, atque adeo nec labor certo pretio æſtimatur. Dominiis nondum introductis nemo labore ſuo ſibi quid acquirit, ſed communis hominum eodem intenditur utilitas. Alia vero longe ratio eſt, ubi dominia ſupponuntur. Hiſce enim poſitis labor omnis fit acquiſitivus, & ubi imperia inæqualitatem hominum introduxerunt, labor æſtimatur ex eorundem conditione civili, quam natura ignorat. Hæc omnia ſuo loco ſuoque tempore manifeſta evadent. Cavendum itaque, ne judicia deproperent, qui jura naturalia & obligationes naturales quoad eorundem dependentiam a ſe invicem nondum introſpexerunt.

§. 513.

Otium quid ſit.

Vacatio a labore dicitur *Otium*.

Cum non omnis a labore vacatio illicita ſit; otium vocabulum μέσον eſt, cujus ſignificatus nunc in bonam, nunc in malam ſumitur partem. Quando in malam partem ſumitur, Germanice dicitur Müſſiggang; quando in bonam accipitur, Muſſe appellatur. Otiatur itaque colonus tum quando nihil agit, cum agrum colere deberet, tum quando non habet, quod agat. In priori caſu otium ſumitur in malam; in poſteriori in bonam partem.

§. 514.

Obligatio laboris.

Hominibus laborandum eſt. Etenim homines obligantur ad agros & hortos colendos (§. 507.), ad rem pecuariam faciendam (§. 508.), ad culturam ſylvarum, ſi natura non ſua ſponte profert tantam lignorum copiam, quanta hominibus ſufficit ad vitam conſervandam & commode tranſigendam (§. 509.). Immo operam dare tenentur, ne deſit rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium copia (§. 511.). Omnem quoque unuſquiſque facere tenetur facultatum ſuarum uſum ad animam non mi-

minus ſuam (§. 173.), quam aliorum perficiendum (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & dare operam, ut tam ipſi (§. 180.), quam alii eam conſequantur animæ ac corporis perfectionem, quam conſequi in poteſtate poſitum (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque laborat, qui hoc agit, ut res ſive corporales, ſive incorporales producantur, vel comparentur (§. 512.); quin hominibus laborandum ſit, dubitandum non eſt.

Omnes agnoſcunt obligationem laborandi eſſe univerſalem. Hinc vulgo ingeminatur. Hominem natum eſſe ad laborandum, ſicuti avis ad volandum. Obligatio univerſalis non intelligitur, niſi labor accipiatur in ea latitudine, quam vocabulo tribuimus (§. 512.). Unde patet latiorem iſtum ſignificatum non abhorrere ab uſu loquendi. Docere igitur alios & diſcere etiam labor eſt. Obligatio laboris deſcendit ex obligatione ſe & ſtatum ſuum perficiendi: neque enim labore omni aliud intenditur niſi noſtri ſtatuſque noſtri perfectio. Quodſi homini omnes habitus tam intellectuales, quam morales eſſent connati, qualem Theologi docent fuiſſe primum hominem, & natura homini ſufficienter proſpiceret in iis rebus, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, qualem ſtatum in Paradiſo fuiſſe Theologi perhibent; homini quoque non eſſet laborandum. Enimvero cum habitus animæ ac corporis ſint acquirendi, nec natura omnia proferat, non ſufficiente ſaltem proferat copia, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur; homini omni laborandum eſt. Sit ita, quod non omnibus idem conveniat labor.

§. 515.

Quod nemini otiandum. Quoniam hominibus laborandum (514.), a labore omni vacandum non eſt. Quamobrem cum ſemper otietur, qui ab omni labore vacat (§. 513.); *nemini hominum ſemper otiandum, aut prorſus otiandum.*

Non omne otium illicitum eſſe jam annotavimus (*not.* §. 513.). Tum vero demum illicitum eſt, ſi quis ab omni prorſus labore ceſſare velit, vitam in mero otio tranſacturus. Ita Studioſi in Academia eſt bonis literis aſſiduam navare operam. Quodſi vero tempus nihil agendo, vel ludendo & male agendo fallit, & ſtudia prorſus negligit; ſemper otiatur, adeoque peccat. Similiter opificis otium damnatur, ſi a labore continuos dies ceſſet, quibus eidem vacare debebat. Quando otium ſumitur in malam partem, quemadmodum vulgo fieri ſolet, ubi labori, præſertim ubi obligationi laboris opponitur; tum intelligitur vacatio a labore debito. Quamobrem ſi ſtrictiore hoc ſignificatu otium accipere velis; ſimpliciter dicendum: nemini otiandum eſſe, quemadmodum vernacula dicimus. Niemand ſoll müßig gehen.

§. 516.

Labor nimius & moderatus quinam. *Labor nimius* dicitur, qui cum diſpendio ſanitatis continuatur; *moderatus* vero, qui cum nullo ſanitatis diſpendio conjunctus.

Ita lucubrationes ſtudioſi vel hominis literati nimiæ ſunt, quæ tabi, malo hypochondriaco aut alii cuidam morbo cauſam dant. Nimius eſt opificis labor, qui per integrum diem in multam noctem continuatur, ut corpus ſomno ſufficienter reficere nequeat.

§. 517.

Quinam nimis gravis. *Labor nimis gravis* dicitur, cui ſuperando vires noſtræ vix ac ne vix quidem ſufficiunt, ſeu qui vires noſtras excedit.

E. gr. Si quis attollere debet pondus majus, quam cui attollendo vires ſuæ ſufficiunt, aut cui vix ac ne vix quidem ſufficiunt, labor nimis gravis eſt.

§. 518.

Digitized by Google

§. 518.

Cur periculoſus.

Labor nimis gravis non modo corpus nimium defatigat, verum etiam integritatem membrorum corporis facile deſtruit. Summimus hoc a poſteriori, tanquam communi experientia comprobatum, ut nemo ea de re dubitet.

Facile quoque ratio dari poterat a priori, ſiquidem ex Phyſica doctrinam de motu animali ſupponere liceret. Enimvero non opus eſt, ut ratio a priori ejus detur, quod nemine refragante ſumere licet. Etſi enim Philoſophi ſit rationem reddere eorum, quæ ſiunt: non tamen reddere eandem tenetur, niſi ſuo loco. Fert methodus demonſtrativa, ut in philoſophia a poſteriori ſumantur, ubi a priori nondum demonſtrari poſſunt. Sufficit enim ea, quæ ſumuntur, eſſe certa, ut de eorum veritate dubitari minime poſſit.

§. 519.

Quinam labor vitandus.

Vitandus eſt labor nimius nimiſque gravis. Etenim labor nimius cum diſpendio ſanitatis continuatur (§. 516.). Enimvero homo vitare debet ea, quæ corpus morbis obnoxium reddunt (§. 394.), conſequenter quæ cum diſpendio ſanitatis fiunt (§. 345. 346.). Labor itaque nimius vitandus eſt. *Quod erat unum.*

Labor nimis gravis corpus nimium defatigat, adeoque ſanitati adverſatur, ac præterea etiam integritatem membrorum corporis facile lædit (§. 518.). Enimvero homo facere non tenetur, quod ſanitati quomodocunque adverſatur (§. 393.), & periculum integritatem membri cujuſdam corporis lædendi vitare debet (§. 373.). Labor adeo nimis gravis vitandus. *Quod erat alterum.*

Non omnium hominum eædem ſunt vires. Quamobrem nec omnes tundem, nec tantundem laboris ſinguli ferre poſſunt. Qui adeo uni nimius vel nimis etiam gravis eſt, non ideo quoque nimius vel nimis gravis eſt alteri. Quilibet adeo ex ſeipſo ſtatuere debet, quantum laboris, abſque diſpendio ſanitatis ſuperare poſſit, & cuinam ſuperando vires ſuæ ſufficiant.

§. 520.

Qualis eſſe debeat labor.

Labor omnis moderatus eſſe debet. Etenim vitandus eſt labor nimius, nimiſque gravis (§. 519.), conſequenter nec cum diſpendio ſanitatis continuandus, nec cum periculo ſanitatis aut læſionis membri cujuſdam obeundus (§. 516. 518.). Nullus adeo labor cum diſpendio ſanitatis conjunctus eſſe debet, quem obimus. Enimvero moderatus labor eſt, qui nullo cum diſpendio ſanitatis conjunctus eſt (§. 516.). Labor adeo omnis moderatus eſſe debet.

In laborando duplici modo exceditur, vel ſi nimis diu continuetur, hoc eſt, diutius, quam vires corporis ferre commode poſſunt, vel ſi vires corporis exeedit, ut eidem ſuperando vix ac ne vix quidem ſufficiant. Quamobrem ſi appetitum circa laborem moderari debemus, nec nimis diu continuandus eſt labor, qui per ſe vires noſtras non excedit, ſeu iiſdem proportionatus eſt, nec nimis gravis ſubeundus. Atque adeo patet laborem moderatum opponi & nimio, & nimis gravi.

§. 521.

Quinam labor illicitus, quinam debitus.

Labor nimius & gravis illicitus, moderatus debitus. Etenim ad laborem nimium nimiſque gravem vitandum obligamur (§. 519.). Quoniam itaque illicitum eſt id, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); labor nimius & nimis gravis illicitus eſt. *Quod erat unum.*

Homo omnis ad laborem obeundum obligatur (§. 514.). Sed labor omnis mcderatus eſſe debet (§. 520.). Quare ad laborem moderatum obeundum obligamur.

gamur. Enimvero debitum id eſt, ad quod agendum obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Labor itaque moderatus debitus.

Quantum laboris unicuique ſit obeundum pro præſenti rerum ſtatu, tum demum demonſtrare licebit, ubi dominia & imperia fuerint explicata. Hic, ubi labor ſingulorum reſpicit communem utilitatem, unuſquiſque pro virili laborare tenetur, quantum communis utilitas exigit: Hæc enim ratio eſt, cur laborandum ſit, quemadmodum ex anterioribus liquet. Ad eam vero unuſquiſque pro virili conferre debet, quantum poteſt (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 522.

Obligatio quoad rectitudinem laboris.

Homo obligatur ad laborem ſuum recte perficiendum. Obligatur enim in genere ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum labor in numero actionum ſit (§. 512.), ad quas committendas obligatur (§. 514.); quin homines obligentur ad laborem ſuum recte perficiendum, dubium nullum ſupereſt.

Obligationem hanc nemo non agnoſcit. Quis enim eſt qui neſciat, vel in viliſſimo & abjectiſſimo laboris genere reprehendi eum, qui minus recte eundem perficere cenſetur? Immo indignamur ſtupiditati, vel ſocordiæ laborantis, prouti defectum rectitudinis vel ad intellectum, vel ad voluntatem referimus. Etſi autem obligatio extra dubitationis aleam poſita intelligatur; non tamen videas omnes animum ad eandem advertentes, dum laborant. Unde nullibi magis, quam hic peccatur.

§. 523.

Quomodo laborandum.

Quilibet labore ſuo ita defungi debet, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequatur. Obligatur enim ad laborem ſuum recte perficiendum (§. 522.). Quoniam itaque in actione humana recta nihil deſiderari debet ex parte intellectus (§. 79. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec in labore, qualiſcunque tandem fuerit, ullus ex parte intellectus notari debet defectus. Nemo eſt, qui neſciat, omni labore intendi aliquem finem, & nos eundem obire finis hujus conſequendi gratia, ita ut actiones, quibus labor abſolvitur (§. 512.), habeant rationem medii, quo finem iſtum conſequi datur (§. 937. *Ontol.*). Sapientiæ eſt eligere media ad finem dueentia (§. 678. *Pſych. rat.*), & ſapientiorem ſe probat, qui media magis apta ad finem conſequendum eligit (§. 683. *Pſych. rat.*), ut adeo in electione medii hae ex parte nullus notetur defectus, ſi finem ex aſſe conſequimur (§. 684. *Pſych. rat.*). Quamobrem cum ad ſapientiam acquirendam obligemur (§. 254.), & quicquid agimus omnem facere debeamus facultatum noſtrarum uſum, quem habere poſſunt (§. 302.); unuſquiſque labore ſuo ita defungi debet, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequatur.

Propoſitio præſens declarat, quomodo recte laborem noſtrum perficiamus. Qualiſcunque is fuerit, etiamſi abjectiſſimus cenſeatur, ſuam tamen habet theoriam; nec rectus cenſeri poteſt, niſi quatenus huic convenit. Etenim ſi non convenit, aut laborans illam ignorat, & errorem de modo prrficiendi laborem fovet, aut ex deſidia actiones ſuas eidem conformare non vult. Et tum labor, quatenus conſideratur ut actio laborantis, deficit a rectitudine (§. 79. *part.* 1. *Phil pract. univ.*), & peccatur contra obligationem naturalem, quæ omnem facultatum noſtrarum uſum exigit (§. 302.). Homini datur intellectus, ut perſpicere poſſit, quomodo determinandæ ſint actiones, quibus labor abſolvitur, ut finem, ad quem is tendit, ex aſſe conſequatur. Eum igitur intellectus uſum facere tenetur. Vernacula noſtra ſatis ſæpe diſtinguimus, ſi quis laborem ſuum recte perficit, &, ubi minus recte hoc facit, quando defectus intellectui, quando voluntati tribuendus. Vocamus nimirum in caſu primo, einen guten/ in ſecundo einen ſchlechten/ in tertio einen ſchlimmen Arbeiter: id quod ſatis oſtendit, obligationem præſentem, de qua hic loquimur, non abhorrere a notionibus communibus. Ceterum principium hoc fœcundiſſimum eſt, cum hinc fluant omnes concluſiones particulares de qualibet laboris ſpecie. Et eodem continetur notio directrix in condenda laboris cujuslibet theoria, ut is omni ex parte abſolutus cenſrri poſſit.

§. 524.

§. 524.

Perfectio rei artificialis in quo conſiſtat.

Res artificialis perfecta eſt, ſi ſingula, quæ in ea diſtinguuntur, per finem, cujus gratia fit, determinantur. Quod ſi enim in re artificiali ſingula, quæ in eadem diſtinguuntur, per finem, cujus gratia fit, determinantur; omnes ejus determinationes intrinſecæ ad unum quid obtinendum tendunt, adeoque inter ſe conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Quoniam itaque perfectio conſiſtit in conſenſu plurium a ſe invicem differentium in uno (§. *cit.*); res artificialis perfecta eſt, ſi ſingula, quæ in ea diſtinguuntur, per finem, cujus gratia fit, determinantur.

Dedimut jam alias (*not. §. cit.*) exemplum de perfectione horologii, ut adeo opus non ſit alio ad propoſitionem præſentem illuſtrandam. in paranda re artificiali actionibus variis opus eſt. Nulla earum fieri debet abſque ratione ſufficiente. Ratio autem deſumitur immediate a determinatione rei faciendæ, quæ, cur talis eſſe debeat, per finem intelligitur. Nimirum ex fine conſtat, qualis eſſe debeat, res artificialis: ex qualitate autem intelligitur, quænam ad eam parandam requiratur actio, ut talis fiat, qualis deſideratur. Unde vides rei artificialis perfectionem tanquam cognitam ſupponi, ſiquidem labore, quo paratur, rite defungi volueris.

§. 525.

Obligatio in rebus artificialibus parandis ſpectanda.

Danda hominibus eſt opera, ut res artificiales, quas parant, ne careant ſua perfectione. Etenim res artificiales parantur labore (§. 512.). Enimvero quilibet labore ſuo ita defungi debet, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequatur (§. 523.), conſequenter ſi labore ſuo rem quandam artificialem parat, ut ſingula, quæ in eadem diſtinguuntur, per finem, cujus gratia fit, determinentur. Quoniam itaque res artificialis perfecta eſt, ſi ſingula, quæ in ea diſtinguuntur, per finem, cujus gratia fit, determinantur; hominibus danda eſt opera, ut res artificiales, quas parant, ne careant perfectione ſua.

Ita horologiopœo danda opera eſt, ut horologium conſtruat perfectum, ne in ejus ſtructura quidpiam deſiderari poſſit, quantum ſcilicet permittit ignorantia invincibilis. Etſi enim obligatio naturalis in ſe ſpectata non ponat perfectioni rei artificialis ullos limites; cum tamen nemo obligetur ultra id, quod poſſibile (§. 209. *part. 2. Phil. pract. univ.*), obligationi ſuæ, quantum fert humana conditio, ſatisfeciſſe cenſetur, ſi fecit, quantum potuit. Antequam *Hugenius* pendula ad horologia rite applicare doceret, nemo artificum ea perfectione eadem parare poterat, qua nunc a peritis conſtruuntur. Etſi adeo uſus aſtronomicus exigeret horologia tantæ perfectionis, quantam ipſis tribuere licet ex *Hugeniano* invento, non tamen ideo obligationi ſuæ defuiſſe dicendi ſunt artifices, qui in illum uſum horologia minoris perfectionis conſtruxerunt. Tenditur ad ſummum: at in eo ſiſtitur gradus, ultra quod progredi non datur.

§. 526.

Obligatio Oratorum, Poetarum Scriptorum.

Quoniam orationes, poemata & libri arte humana componuntur, adeoque in numero rerum artificialium ſunt (§. 505.), hominibus vero danda eſt opera, ut ne res artificiales, quas parant, ſua careant perfectione (§. 524.); *Oratoribus, Poetis & Scriptoribus danda* quoque *opera eſt, ne orationes, poemata & libri deſtituantur ſua perfectione.*

Quodſi quæſiveris, undenam æſtimanda ſit orationis, poematis & libri alicujus perfectio; haud e longinquo petenda reſponſio. Oſtendimus ea eſſe res artificiales. Quamobrem cum rei artificialis perfectio æſtimetur ex fine (§. 524.); ex eodem quoque æſtimanda eſt perfectio orationis, poematis & libri. Perfectionem orationis diſtincte exponere Rhetoris eſt, poematis Poetæ, libri Logici. Aliunde igitur petenda Philoſophia prſctica ſupponie. In Jure Naturæ traduntur, quæ ad jura hominum eorumque obligationes cognoſcendum ſufficiunt: at quomodo obligationi unicuique ſatisfieri poſſit, in iis docendum diſciplinis, in quibus praxes explicantur. Praxis autem artis oratoriæ docetur in Rhetorica, conficiendi poematis in Poeſi, conſcribendi libros in Logica.

Digitized by Google

§. 527.

Magna varietas laboris humani.

Labor humanus tam multiplex eſt, ut nemo hominum omni obeundo ſufficiat. Abunde hoc patet a poſteriori, ut non opus ſit niſi animum advertere ad ea, quæ homines quotidie ubivis locorum faciunt. Neque obſcura eſt ratio. Etenim labor humanus complectitur actiones omnes, quibus parantur res ad vitam commode ac jucunde degendam ipſamque ejus neceſſitatem requiſitæ, ceteraſque actiones, quibus ad promovendam perfectionem noſtram vitamque commode, jucunde ac decore agendam habemus opus (§. 512.). Quodſi ergo conſideremus, quanta ſit varietas illarum rerum, & quanta varietas harum actionum; rationem facile perſpiciemus, cur fieri minime poſſit, ut unus homo labori omni obeundo ſufficiat. Etenim ſi vel maxime ſufficerent vires, idquod tamen concedi minime poteſt; non tamen ſufficeret tempus.

Si quis animum attendit ad ſupellectilem, veſtium, libros, aliaſque res, quarum uſus quotidianus eſt, atque inquirit, quanto & quam multiplici labore fuerit opus, antequam una illarum rerum parari potuerit, modo noverit, quaſnam mutationes materiæ ſubire debuerint, antequam rei faciendæ inſervire potuerint, & quibuſnam opus fuerit inſtrumentis tum ad materias parandas, tum ad res inde conficiendas, quonam etiam labore inſtrumenta facta fuerint; is pleniſſime convincetur, quod ne uni quidem rei, nedum omnibus conficiendis ſolus ſuffeciſſet. Noſtrum non eſt, vel in unico exemplo inſtituere recenſionem omnis laboris, ſine quo rem unam dari impoſſibile fuerat. Sufficit enim excitaſſe attentionem, quæ hic adhibenda, ubi obſervare volueris, quod ſumitur, & ex aliis percontari, quæ ipſemet ignoras. Admiranda datur actionum humanarum a ſe invicem dependentia, & tanta earum inter ſe connexarum datur multitudo, ut fidem omnem ſuperaret, niſi iſtæ ſigillatim recenſeri poſſent. Quæ quotidiana ſunt, ea attentione noſtra non dignamur, etſi eandem maxime mererentur. Quid enim utilius cognoſci poteſt, quam quomodo homo homini utilis ſit, & nemo mortalium ceterorum ope carere poſſit?

§. 528.

Cuinam labori unuſquiſque vacare debeat.

Unuſquiſque hominum eum laborem ſeligere debet, cui obeundo ſe parem ſentit. Labor humanus tam multiplex eſt, ut nemo hominum omni ſubeundo ſufficiat (§. 527.). Neceſſe igitur eſt, ut unus hoc, alius illud faciat, conſequenter alius hunc, alius illum laborem ſeligat. Enimvero danda homini opera eſt, ut laborem ſuum recte perficiat (§. 522.), conſequenter eum ſeligere unuſquiſque debet, quem recte perficere valet. Unuſquiſque adeo eum ſeligere debet laborem, cui obeundo ſe parem ſentit.

Quodſi quæſiveris, undenam conſtet, num labori cuidam obeundo par ſis; tenendum eſt, de eo diſquirendum alibi, ubi praxis tradetur. In anteceſſum tamen monemus, ſupponendum eſſe, ut laboris notionem diſtinctam habeas. Quodſi enim actiones, quibus conſtituitur, ad facultates tuas referre volueris; inde patebit, num eum earundem uſum facere queas, qui requiritur.

§. 529.

Quinam labor alteri præferendus.

Quoniam unuſquiſque hominum eum laborem ſeligere debet, cui obeundo ſe parem ſentit (§. 528.; *ſiquidem te parem ſentis & utiliori, & minus utili, cui pares ſunt alii multi, quin utiliorem præferre debeas dubitandum non eſt* (§. 184.).

Non omnem laborem ejuſdem eſſe utilitatis, extra controverſiam eſt, etſi minus utiles ſint æque neceſſarii. E. gr. Libros componere, quibus ſcientia non modo præſenti ævo amplificatur, verum etiam ad ſeros nepotes propagatur, utilius eſt, quam paucos quoſdam inſtruere, ut ad ſolidam rerum ſcitu neceſſariarum cognitionem perveniant. Labor igitur iſte huic præferendus. Nemo non videt, electioni non eſſe locum, niſi ubi optio in poteſtate tua eſt: id

quod

quod hic ſupponi poteſt abſque ulla conditione, ubi nondum ſupponimus dominia eſſe introducta, ut labor ſit medium acquirendi ea, quibus ad vitæ neceſſitatem tolerandam eamque commode, jucunde ac decore agendam indigemus.

§. 530.

Eum unuſquiſque ſibi comparare tenetur uſum facultatum, qui ad laborem ſuum recte obeundum requiritur. Etenim quilibet homo obligatur ad laborem ſuum recte obeundum (§. 522.). Enimvero ſi laborem tuum rite obire volueris, & noſſe debes, quomodo is recte perficiatur, & acquirere teneris habitum actiones illas prompte edendi, quibus labor abſolvitur. Ad laborem adeo quemlibet recte obeundum certus requiritur facultatum uſus. Patet itaque quod unuſquiſque eum ſibi comparare teneatur facultatum uſum, qui ad laborem ſuum recte obeundum requiritur. *Obligatio acquirendi aptitudinem laborandi.*

Cujuslibet laboris, qualiſcunque tandem fuerit, datur & theoria, & praxis. Illa comparatur uſu facultatum cognoſcendi; hæc exercetur uſu facultatum non minus cognoſcendi, quatenus in praxi continua applicatione theoriæ opus eſt, quam facultatis appetitivæ & locomotivæ. Theoria communiter confuſis notionibus continetur, & applicatio uſu facultatum cognoſcendi inferiorum abſolvitur, etiamſi illa diſtinctis notionibus comprehendatur, cum actiones externæ a facultate locomotiva pendentes ea celeritate ſe invicem conſequi debeant, quam diſtincta theoriæ non fert applicatio. Etſi autem pauca ſint organa, quorum uſu labor abſolvitur omnis: tanta tamen hinc actionum diverſimode combinatarum reſultat varietas, ut labor quilibet peculiarem habitum effectivum requirat. Multum quoque varietatis inducit uſus inſtrumentorum, ſine quibus labor non perficitur: quorum ad præſens objectum applicatio ſingularem quoque uſum facultatum tuarum exigit. Quodſi ergo laborem tuum recte perficere velis, quemadmodum debes (§. 522.): omnem omnino movere debes lapidem, ut facultatum tuarum uſum omnem in poteſtatem tuam redigas. Hinc reſultant habitus non minus intellectuales, quam qui artis nomine veniunt. Sed quæ dixi, ſatis intelliguntur, modo in obſervandis quotidianis ſolertem & acutum te præbere volueris.

§. 531.

Pro diverſitate laboris diverſa oriuntur vitæ genera. Per *vitæ* enim *genus* intelligitur ſtatus, quo quis certo labori obeundo vitam ſuam impendit. *Vitæ genus quid ſit.*

Ita ſutor vitam ſuam impendit conficiendis calceis, crepidis & ocreis: textor conficiendis linteis; ſartor conficiendis veſtibus. Artes igitur ſutoria, textoria, ſartoria ſunt certa vitæ genera. Medicus vitam ſuam impendit curæ ægrotorum. Praxis adeo medica certum conſtituit vitæ genus. Profeſſores vitam ſuam impendunt juvenibus inſtruendis. Profeſſiones adeo academicæ certum vitæ genus ſunt.

§. 532.

Homo dicitur *aptus ad certum vitæ genus*, ſi per diſpoſitiones naturales, quæ ipſi ſunt, eum facultatum uſum acquirere valet, qui ad laborem, per quem iſtud vitæ genus determinatur, recte obeundum requiritur. *Aptitudo ad vitæ genus quid ſit.*

Etſi hominibus omnibus eædem ſint facultates; non tamen diſpoſitiones naturales faciendi earum uſum in omnibus ſunt eædem. Unde nec omnes eum acquirere valent facultatum ſuarum uſum, quem labor quilibet exigit, ſi eum recte obire voluerint. Spectandæ hic quoque ſunt inclinationes naturales, quæ diſponunt appetitum & averſandi facultatem ad certa appetenda & averſanda. Inde eſt, quod quidam veluti natura abhorreant a certo vitæ genere, alios vero natura ad idem veluti trahat. Nec minus hic ratio habenda eſt virium corporis, quibus labor obeundus proportionatus eſſe debet, ſine viribus corporis non perficiendus. Unde ad artem tignariam ineptus eſt, cui non ſunt corporis vires gravi ponderi attollendo ſufficientes. Qui natura ſtupidus eſt, vel ex cognitione rerum nullam percipit voluptatem; ad ſtudia literaria ineptus habetur. Unde autem æſtimetur aptitudo ad certum vitæ genus, ad praxin ſpectat, quam ſuo loco trademus. Sufficit itaque pauca annotaſſe, quæ ſufficiunt ad realitatem notionis a poſteriori agnoſcendam.

§. 533.

Quodnam vitæ genus eligendum. *Unuſquiſque hominum eligere debet vitæ genus, ad quod aptus eſt.* Tenetur enim ſibi comparare uſum facultatum, qui ad laborem ſuum recte obeundum requiritur (§. 530.). Quoniam itaque per vitæ genus certo cuidam labori obeundo vitam ſuam quis impendere tenetur (§. 531.), ad idem vero aptus eſt, ſi per diſpoſitiones naturales, quæ ipſi ſunt, eum facultatum uſum acquirere valet, qui ad laborem, per quem iſtud determinatur, obeundum requiritur (§. 532.); unuſquiſque illud vitæ genus eligere tenetur, ad quod aptus eſt.

Etiamſi non introducta fuiſſent dominia, neque etiam darentur imperia; diverſa tamen darentur vitæ genera. Hæc enim determinantur per diverſitatem laborum (§. 531.), quibus omnibus obeundis unus homo non ſufficit (§. 527.), & ad quos obeundos ne quidem aptus eſt (§. 532.). Laboris diverſitatem exigit vitæ neceſſitas, commoditas, jucunditas & decor (§. 512.). Obligatio autem vitam conſervandi & commode ac jucunde, immo cum decore tranſigendi neque a dominio, neque ab imperio pendet (§. 350. 466. 471. 487.). Quamobrem obligatio eligendi certum vitæ genus concipitur antecedenter ad dominia & imperia: fit ita quod non facile eidem ſatisfacerent homines, dominiis non introductis, neque commode ſatisfacere poſſent, imperiis exulantibus. Hic quæſtio eſt de origine obligationis, non vero de difficultate eidem ſatisfaciendi.

§. 534.

Idem porro expenditur. *Unuſquiſque hominum eligere debet vitæ genus, quo ſe utiliorem aliis præbere poteſt.* Etenim ſi te parem ſentis & utiliori, & minus utili labori, cui pares ſunt alii multi, utiliorem præferre debes (§. 529.). Quoniam itaque vi vitæ generis, quod elegiſti, certo cuidam labori obeundo vitam tuam impendere teneris (§. 531.); id utique vitæ genus eligendum, quo te utiliorem aliis præbere potes.

In eligendo vitæ genere ſpectanda eſt utilitas hominum communis. Unde major utilitas ratio ſufficiens eſt, cur unum alteri præferas. Et lex naturæ perfectiva inducit obligationem hoc faciendi (§. 193. *part. 1. Phil pract. univ.*). Qui in eligendo vitæ genere ſuarum tantummodo inclinationum naturalium rationem habent; illi non rationis ductum ſequuntur, neque adeo faciunt, quod lex naturæ exigit (§. 259 *p. 1. Phil. pract. univ.*), ſed ſibi ſerviunt (§. 544. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Probe autem notanda eſt præſens obligatio, ne in præſenti rerum ſtatu, in quo dominiis & imperiis locus eſt, in adverſam eidem incidas opinionem.

§. 535.

Aſſiduitas laboris quid ſit. *Aſſiduus in labore* dicitur, qui nullum prætermittit tempus, quo non labori vacet, quando vacare permittitur. Unde *Aſſiduitas laboris* eſt cum ſine intermiſſu continuandi habitus.

Per ſe patet dari rationes cum phyſicas, tum morales, cur laborem ſubinde intermittere cogamur & teneamur. Hic ergo intelligendus eſt intermiſſus ſponte & nulla urgente obligatione factus. Unde diximus, aſſiduum vacare labori omni tempore, quo permittitur, quia ſcilicet nullum adeſt obſtaculum phyſicum, vel morale. Ita phyſice impeditur, quo minus labori vacet, qui morbo aliquo laborat, vel ſomno opprimitur; moraliter vero impeditur, qui laborem intermittit cultus divini gratia, vel ne nimio labore ſanitati officiat.

§. 536.

Diligentia in labore adhibenda. *Homines obligantur ad diligentiam in labore obeundo adhibendam.* Laborem enim ſuum ita obire debent, ut finem per eum intentum ex aſſe conſequatur

tur (§. 523.), conſequenter neceſſe eſt, ut nihil earum actionum omittant, quæ eo fine fieri debent. Enimvero diligentiam adhibet, qui ea omnia facit, quæ certo fine fieri debent (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Obligantur itaque homines ad diligentiam in labore obeundo adhibendam.

Nimirum diligentia in labore obeundo intenditur, ut labor recte perficiatur, ne quid in eo jure reprehendi poſſit. Inde eſt, quod dicamus artificem multum diligentiæ adhibuiſſe in perficiendo opere ſuo, ſi omni uſam ſollicitudine obſervamus, ut idem eſſet omni ex parte conſummatum. Retinemus ſignificatum, quem vocabulo in doctrina de culpa tribuimus. Inconſtantia loquendi diligentiam cum aſſiduitate confundit.

§. 537.

Obligatio quoad aſſiduitatem.

Homo in labore aſſiduus eſſe debet, quantum permittit ſanitas corporis. Etenim homo obligatur ad laborandum (§. 514.), vitare tamen debet laborem nimium (§. 519.). Quamobrem cum labor nimius cum diſpendio ſanitatis continuetur (§. 516.); tantum temporis labori impendere debet, quantum impendi ſanitas corporis permittit. Quoniam itaque in labore aſſiduus eſt, qui nullum prætermittit tempus, quo labori non vacet, quando vacare permittitur (§. 535.). Homo in labore aſſiduus eſſe debet, quantum permittit ſanitas corporis.

Aſſiduitas laboris non ſimpliciter præcepta, propterea quia pugnare poteſt cum obligatione conſervandæ ſanitatis, quæ obligatione laborandi potior eſt. Laboramus enim corporis conſervandi gratia, & ut vitam commode, jucunde ac decore tranſigere poſſimus (§. 412.). Labor adeo ſpectari quoque poteſt tanquam medium conſervandi ſanitatem. Medium repugnare nequit fini, niſi in ſapientiam impingere velis (§. 678. *Pſych rat.*), ad quam tamen acquirendam obligamur (§. 254.), ut ejus uſum in determinandis actionibus noſtris facere valeamus.

§. 538.

Exiſtimatio & honor quid ſit.

Aliorum de perfectione noſtra judicium dicitur *Exiſtimatio*. Actus vero externi, quibus iſtud ſignificamus, *Honor* vocantur.

Idiomate Germanico exiſtimationem appellamus Ehre, honorem vero Ehren-Bezeigungen, ſit ita quod vulgo honor per vocabulum prius vertatur. Diſtingui utique debent actus mentis internus & actus externi eidem reſpondentes, quoniam non ſemper neceſſario ſunt conjuncti. Fieri poteſt, ut detur internus abſque externis, fieri etiam poteſt, ut ſint externi abſque interno. Ecquis enim eſt, qui neſciat, te agnoſcere poſſe perfectionem, quæ alteri ineſt, conſequenter judicare, quod inſit ea alteri; obſtare autem poſſe rationes extrinſecas alias, quo minus actibus externis idem ſignifices? Similiter nemo neſcit quotidie contingere, ut quis actibus externis ſignificet exiſtimationem alterius, qualis tamen nulla ipſi eſt. Honorem vero reſtringimus ad actum externum, quod hoc deſiderant phraſes, veluti honore aliquem afficere, in honore aliquem habere, in magno honore apud aliquem eſſe. Actus externi, quibus exiſtimatio ſignificatur, moribus Gentium variant. Notandum vero eſt, nobis hic eſſe negotium cum exiſtimatione & honore naturali non civili, qui non datur niſi introductis imperiis, ſine iſto tamen non intelligitur.

§. 539.

An exiſtimatio & honor ſint in poteſtate.

Quoniam exiſtimatio eſt judicium alterius de perfectione tua, honor autem in actibus externis conſiſtit, quibus iſtud ſignificatur (§. 538.); in poteſtate tua autem non eſt, ut alter perfectionem tuam cognoſcat, & verum de eadem judicium ferat, neque actibus externis idem ſignificet (§. 175.); *exiſtimatio & honor non ſunt in poteſtate tua*, conſequenter *honor non eſt honorati, ſed honorantis*.

Pro-

Digitized by Google

Probe notandum eſt, exiſtimationem & honorem non eſſe in numero eorum, quæ facultatum noſtrarum uſu acquirere valemus. Patebit enim in moralibus, quantum momenti in eo ſitum ſit, ut hoc agnoſcamus.

§. 540.

Quinam alterum honorare poſſit. *Nemo alterum honorare poteſt, niſi qui verum de perfectione alterius judicium ferre valet.* Etenim qui alterum honorare debet, is actibus externis ſignificare debet, quod agnoſcat perfectionem, quæ alteri ineſt (§. 538.). Quamobrem cum perfectionem alterius agnoſcere nequeat, niſi qui verum de eadem judicium ferre valet (§. 505. *Log.*), nemo alterum honorare poteſt, niſi qui verum de perfectione alterius judicium ferre valet.

Nimirum ſi judicium ferre nequis de perfectione alterius, deeſt exiſtimatio (§. 538). Ceſſant igitur & actus externi, quibus ſignificas, quod non eſt, niſi adſit ſimulandi ratio (§. 716. *part. I. Phil pract. univ.*). Honor autem ſimulatus verus honor non eſt, de quo hic loquimur. Non omnes hoc perpendere, quotidiana experientia docemur.

§. 541.

Laus quid ſit. *Laudare* alterum dicitur, qui ſuum de perfectione alterius judicium verbis ſignificat. Unde *Laus* eſt oratio, qua noſtrum de perfectione alterius judicium ſignificamus.

Qui novit, quænam ad perfectionem hominis requirantur, & undenam nobis innoteſcat; ei circa definitionem laudis nullum ſupererit dubium.

§. 542.

Quinam alterum laudare poſſit. Quoniam perfectio alterius tibi perſpecta eſſe debet, ſi eum laudare volueris (§. 541.); perſpecta autem nemini eſſe poteſt, niſi qui perfectionis iſtius notionem claram ac inprimis diſtinctam habet (§. 50. *Pſych. empir.*); *nemo laudari poteſt niſi ab intelligente.*

E. gr. Geometram ob ſcientiam, qua pollet, nemo laudare poteſt niſi Geometriæ peritus. Hujus enim, qui nullam habet notitiam, ipſum laudaturus non eſt niſi echo aliorum. Hinc vanæ ſunt laudes, quæ proficiſcuntur a non intelligentibus. Atque ideo harum Laudum præcones non utuntur niſi terminis generalibus, v. gr. vocando Geometram, quem extollere volunt, alterum Archimedem, vel alterum Apollonium, Geometrarum Principem, Geometram qui aliis palmam dubiam reddit, celeberrimum, omni laude ſuperiorem & ita porro.

§. 543.

Laudes num ſint in poteſtate noſtra. Similiter quia ab altero laudaris, ſi is ſuum de perfectione tua judicium verbis ſignificat (§. 541.), in poteſtate autem tua non eſt efficere, ut alter perfectionem tuam agnoſcat, aut, ubi eam agnoſcit, ſuum de eadem judicium, quod animo premit, verbis ſignificet (§. 175., *ut lauderis ab aliis in poteſtate tua non eſt efficere.*

Nimirum laus tua ab alterius voluntate, non a tua pendet. Alterius autem voluntas dominio tuo ſubjecta non eſt, ut eam pro lubitu determinare poſſis. Alterius adeo arbitrio relinquendum, num te laudare velit, ſiquidem poſſit. Magis autem abſonum eſt velle laudari a non intelligentibus (§. 542.). Et tribuendum arrogantiæ, ſi quis laudem iſtiuſmodi affectet.

§. 544.

Digitized by Google

§. 544.

Qui exiſtimatione & honore dignus eſt, is etiam laude dignus eſt. Etenim cum exiſtimatio ſit judicium de perfectione alterius & honor conſiſtat in actibus externis, quibus ipſum ſignificatur (§. 538.); qui exiſtimatione & honore dignus eſt, is perfectione quadam inſtructus eſſe debet. Enimvero qui perfectione quadam fulget, is quoque dignus eſt, ut verbis noſtrum de eadem judicium ſignificemus, conſequenter eum laudemus (§. 541.). Patet itaque laude dignum eſſe, qui exiſtimatione & honore dignus eſt.

Quinam laude digni.

Laus eſt quædam honoris ſpecies (§. 538. 541.). Quamobrem qui honore omni dignus eſt, is etiam laude dignus.

§. 545.

Unuſquiſque operam dare debet, ut ſit exiſtimatione & honore dignus. Etenim unuſquiſque omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur (§. 173.), conſequenter ut omnem conſequatur perfectionem acquiſitu ſibi poſſibilem. Quoniam alterius de perfectione judicium exiſtimatio eſt, honor autem in actibus externis conſiſtit, quibus idem ſignificatur (§. 538.); exiſtimatione & honore ut dignus ſit operam dat, qui omnem facultatum ſuarum uſum facit, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum, atque ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur. Unuſquiſque adeo operam dare debet, ut ſit exiſtimatione & honore dignus.

Obligatio quoad exiſtimationem & honorem.

Hæc eſt obligatio, qua tenemur quoad exiſtimationem & honorem. In noſtra enim poteſtate poſitum, ut dignos nos reddamus exiſtimatione atque honore, non autem, ut utrumque conſequamur. Quamobrem illud intendi poteſt ab agente; hoc autem minime. Illud a voluntate noſtra pendet, hoc a voluntate alterius. Illud ex generali obligatione hominis fluit, hoc autem in numero eorum eſt, ad quæ nulla dari poteſt obligatio. Illud ſi fecerimus, hoc parum nobis curæ eſſe debet.

§. 546.

Quoniam operam dare debemus, ut ſimus exiſtimatione & honore digni (§. 545.), qui autem exiſtimatione ac honore dignus eſt, laude etiam dignus eſt (§. 544.); *operam* utique *dare debemus, ut ſimus laude digni*.

Obligatio quoad laudem.

Satisfeciſti itaque obligationi tuæ, ſi te laude dignum præſtiteris: utrum vero alii laudem promeritam tribuant, an denegent, id tibi parum curæ eſſe debet. Atque adeo jam intelligitur, quid ſibi velint Stoici præcipientes, exiſtimationem, honorem atque laudem non appeti debere. Nimirum velle non debemus, quæ in poteſtate noſtra non ſunt; ſed ea relinquenda providentiæ divinæ, quemadmodum deinceps oſtendetur.

§. 547.

Habitus intellectus dicuntur *Virtutes intellectuales* in oppoſitione ad habitus voluntatis & noluntatis bonos, quos *virtutes morales* appellare ſolemus & qui vulgo Virtutes ſimpliciter audiunt.

Virtutum intellectualium & moralium differentia.

Ita ſcientia, ſapientia & ars ſunt virtutes intellectuales: aſt temperantia virtus moralis eſt. Virtutes intellectuales in intellectu; morales in voluntate & noluntate reſident. Morales vero intellectuales ſupponunt, ac ab iis ſplendorem ſuum mutuantur.

§. 548.

Digitized by Google

§. 548.

Perfectio animæ acquiſita quanam re conſtet.

Perfectio animæ acquiſita ſunt virtutes intellectuales & morales. Etenim facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.). Facultates animæ inferiores reducendæ ſunt ad conſenſum cum ſuperioribus (§. 267. 268. 275.), adeoque perfectio animæ potiſſimum redit ad habitus facultatum ſuperiorum, intellectus ſcilicet & voluntatis ac noluntatis. Habitus intellectus ſunt virtutes intellectuales; habitus vero voluntatis & noluntatis boni virtutes morales (§. 547.). Perfectio itaque animæ acquiſita ſunt virtutes intellectuales & morales.

Ipſum dominium in facultates inferiores, quo eædem reducuntur in conſenſum cum ſuperioribus, virtus quædam moralis eſt, eaque facile princeps. Nemo ea de re dubitabit, qui perſpecta habet, quæ de hoc dominio demonſtravimus (§. 554 *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Et hæc virtus complementum perfectionis eſt, ad quam anima pertingere poteſt. Unde pauciſſimos videas, qui hunc perfectionis gradum attingunt.

§. 549.

Quænam potiſſimum exiſtimationem pariant.

Quoniam exiſtimatio eſt judicium aliorum de perfectione noſtra (§. 538.), adeoque inprimis de perfectione animæ acquiſita, perfectio autem animæ acquiſita ſunt virtutes intellectuales & morales (§. 548.), *exiſtimationem potiſſimum virtutes intellectuales & morales pariunt*.

Dicuntur hæ virtutes bona animi acquiſita. Unde exiſtimatio a bonis potiſſimum animi acquiſitis pendet.

§. 550.

Quænam honorem & laudem.

Quoniam honor ſunt actus, quibus judicium noſtrum de perfectione alterius ſignificamus (§. 538.), laus vero oratio eſt, qua idem indigitamus (§. 541.); eodem modo patet, *virtutes potiſſimum intellectuales & morales parere honorem & laudem*.

Hæc probe notanda ſunt, ne honorem verum cum ſpurio, nec laudes veras cum vanis confundamus. Multum omnino differentiæ intercedit inter ea, quæ natura & fortuna dedit, & inter ea, quæ proprio ſtudio ac labore acquiſivimus. Hæc nobis honori & laudi potiſſimum cedunt.

§. 551.

Hæc porro expenduntur.

Quia virtutes intellectuales & morales alterius nobis non innoteſcunt niſi per facta alterius, ſeu actiones externas, quæ per iſtas determinantur, virtutes autem iſtæ potiſſimum exiſtimationem (§. 549.), honorem & laudem pariunt (§. 550.); ideo *facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta exiſtimationem potiſſimum, honorem atque laudem pariunt*.

Hinc laudem mereri dicimur propter ea, quæ fecimus ipſi; parum autem laudis nobis accedere aſſerimus propter ea, quæ fecerunt alii, vel quæ natura aut fortuna dedit. Et qui alterum eximie laudare voluerit, recenſere tantummodo debet facta, quæ virtutes intellectuales & morales arguunt. Hoc enim pacto intelligitur, convenire alteri laudem, quam ipſi tribuis: Nec aliter probari poteſt te alteri non tribuere niſi laudem promeritam, quam ubi facta enarras ipſius. Encomiaſtæ non ſemper hoc perpendunt: unde jejuna ſunt ipſorum encomia, nec apud intelligentes merentur fidem.

§. 552.

Digitized by Google

§. 552.

Unde innoteſcat alterum eſſe exiſtimatione, honore ac laude dignum.

Quoniam *facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta* exiſtimationem potiſſimum, honorem atque laudem pariunt (§. 551.); ea *hominem exiſtimatione, honore atque laude dignum probant*.

Loquimur de vera exiſtimatione, non ſimulata nec per errorem facta, conſequenter etiam de honore vero & laude vera. Ne quis autem hic ceſpitet, amor ex factis alterius, quæ nobis placent, vel alterius etiam qualitatibus ac ſtatu externo originem trahens, & exiſtimationi adhærens non confundendus cum ipſa exiſtimatione. Exiſtimatio enim actus intellectus eſt (§. 538.); amor vero iſte, cum ſit in effectuum numero (§ 649. *Pſych. empir.*) in appetitu ſenſitivo reſidet (§ 603. *Pſych. empir.*). Sed hæc ſuo loco & tempore acutius diſcernemus, tumque parebit, quantum utilitatis afferat diſcreviſſe non confundenda.

§. 553.

Fama hominis & celebritas quid ſit.

Fama hominis eſt communis hominum aliorum ſermo de habitibus intellectualibus & moralibus ejuſdem. Quodſi habitus morales fuerint virtutes, ***Fama*** dicitur ***bona***; ſi vitia, ***mala*** audit. Habitus intellectuales cum non habeant ſibi oppoſitos, quemadmodum morales; ***Famam*** pariunt nunc ***magnam***, nunc ***parvam*** pro diverſis virtutum intellectualium gradibus; nunc ***latam***, nunc ***arctam***, prouti per plura loca diffunditur, vel per pauciora. Fama quoad virtutes intellectuales dicitur ***Celebritas***. Et in genere ***Fama*** dicitur communis hominum de facto aliquo ſermo.

Differt adeo fama a laude. Etenim ſi tu recenſes virtutes intellectuales & morales alterius, aut tuum de perfectione alterius judicium aliis ſignificas verbis, eundem laudas (§. 541.). Aſt ſi multi alicubi locorum, vel multis in locis loquuntur de virtutibus intellectualibus & moralibus alterius, ut communis eorum de iiſdem ſermo ſit, tum demum fama de eodem diffunditur. Ita & fama dicitur eſſe in urbe de homicidio, ſi ubivis in eodem incolæ de eodem loquuntur. Ceterum fama hominis magna a lata probe diſtinguenda venit. Haud raro enim contingit, ut fama viri cujuſdam eruditi diffundatur per magnum terrarum tractum, ſi tamen eam ſpectes, qualis revera eſt, admodum exigua deprehenditur. Lingua vernacula Fama in genere dicitur der Nahme item der Ruf. Hinc Fama bona ein guter Nahme / mala ein übeler Nahme / vel, ſi mitius loquimur, kein guter Nahme vocatur.

§. 554.

Obligatio quoad famam.

Homo operam dare debet, ut fama ipſius bona ſit. Operam enim dare debet, ut ſit exiſtimatione ac laude dignus (§. 545.), conſequenter ut facta ipſius ex virtutibus intellectualibus & moralibus proficiſcantur (§. 551.). Quodſi vero ejus facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus proficiſcuntur, communis hominum ſermo, ubi de eodem loquuntur, niſi ſit a veritate alienus, alius eſſe nequit, quam de habitibus intellectualibus & moralibus ejuſdem. Quoniam itaque hic ipſe ſermo fama hominis eſt, quam habet (§. 553.); operam is omnino dare debet, ut fama ipſius bona ſit.

Hinc vernacula lingua inculcamus, man müſſe ſich befleißigen einen guten Nahmen zu haben. Vulgo itaque agnoſcitur hæc obligatio. Quamobrem cum ea fluat ex obligatione quoad exiſtimationem, honorem & laudem: mirum videri poterat, cur illam vulgo admittant omnes, hanc vero nonnulli rejiciant, quaſi vitio tribuendum ſit, ſi quis exiſtimationis, honoris ac laudis rationem habere velit. Bona fama eſt laus multiplicata: ea enim frui idem eſt ac a multis laudari (§. 553.). Ceterum quemadmodum bona fama ſimpliciter fama dici ſolet; ita etiam integra appellatur, quando non interrumpitur judiciis hominum perverſis.

§. 555.

A mala fama ſibi cavere debet homo. Quoniam curandum nobis eſt, ut fama bona fruamur (§. 554.); *cavendum ex adverſo eſt, ne mala ſit* (§. 553.).

§. 556.

Famam quinam ſervet. *Famam ſervare* dicitur, qui ſollicite cavet, ne bona in malam degeneret.

Quemadmodum ſanitatem conſervamus, ſi cavemus, ne corpus fiat morbis obnoxium, ut, quod ſanum fuerat, nunc ſit ægrotum; ita famam, quæ ſimpliciter dicta famam bonam denotat, ſervamus, ſi cavemus, ne, cum bona ſit, in malam abeat.

§. 557.

Obligatio ſervandi famam. *Homo famam ſervare debet*. Etenim operam dare debet, ut fama ſit bona (§. 554.), cavere autem, ne fiat mala (§. 555.). Quoniam itaque famam ſervat, qui ſollicite cavet, ne bona in malam degeneret (§. 556.); hominem obligari ad famam ſervandam palam eſt.

Obligatio hæc nullo non tempore agnita. Inde illud Poetæ: Omnia ſi perdas, famam ſervare memento.

§. 558.

Quando famæ ſervire debeat. Quoniam homo famam ſervare debet (§. 557.), *ſi qua fecit bonæ famæ adverſa; operam dare tenetur, ut factis contrariis eidem ſerviat*. Nimirum *famæ ſervit*, qui ea facit, quæ famam in bonam partem acceptam amplificant.

Quemadmodum in ceteris ſtatum hominis externum conſideramus antecedenter ad dominia & imperia; ita quoque famam ab hiſce independenter ſpectamus. Atque adeo communi notione famæ contenti ea ſeponimus, quæ a jure poſitivo veniunt, quod civitates introductas ſupponit. Omnium autem maxime cavemus, ne, quæ Juris Romani ſunt, incauti naturali inferamus. Agemus de hiſce alibi apertius: hic tantummodo annotandum erat, quod ad vitandum confuſionem juris naturalis & poſitivi, ac in ſpecie Romani facit. Ceterum ut propoſitio præſens rectius intelligatur, demus exemplum. Ponamus hominem eruditum commentatum fuiſſe de argumento quodam ſibi non ſatis cognito, adeoque pueriliter erraſſe. Nemo non affirmabit, quod nocuerit famæ ſuæ, ut non opus exiſtimemus prolixe recenſeri ea, quænam adverſus ipſius virtutes intellectuales atque morales hinc colligantur. Quodſi ergo poſthac ſeveriori ſtudio in illud ſcientiæ genus incumbat, & ubi profectus haud vulgares fuerit aſſecutus, aliam edat in iſto genere commentationem, quæ laudem intelligentium meretur, contrariam de ſe in animis hominum excitabit opinionem, atque adeo famæ ſervit.

§. 559.

An exiſtimatio omnium eadem in ſtatu naturali. *In ſtatu naturali homines omnes non ſunt ejuſdem exiſtimationis.* Etenim in ſtatu naturali hominibus non competunt niſi jura naturalia, nec aliis iidem quam naturalibus obligationibus tenentur (§. 124.). Enimvero non omnes eadem diligentia obligationi naturali ſatisfaciunt, conſequenter cum lex naturæ eos obliget ad conſequendam animæ, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in poteſtate eorum poſitum (§. 180.), non omnes eandem perfectionem conſequuntur. Immo ſi vel maxime omnes omnem faciant uſum facultatum ſuarum, qui in poteſtate ipſorum eſt, cum homines natura differre conſtet quoad diſpoſitiones naturales, non omnes eundem perfectionis gra-

gradum attingere poſſunt. Quamobrem ſi de perfectione alterius judicium verum eſſe debet, fieri haud quaquam poteſt, ut omnium de perfectione ſingulorum idem ſit judicium (§. 505. *Log.*). Quoniam itaque exiſtimatio eſt aliorum de perfectione noſtra judicium (§. 538.); in ſtatu naturali homines omnes non ſunt ejuſdem exiſtimationis.

Non eſt, quod excipias, quod natura homines omnes æquales ſint (§. 81.), nec homini ulli competat prærogativa (§. 94.), nec præcedentia præ altero (§. 104.). Etenim æqualitas non ſpectatur, niſi quoad jura naturalia & obligationes naturales (§. 78.), ob quorum identitatem prærogativæ ac præcedentiæ locus non eſt. Enimvero ex ipſa demonſtratione propoſitionis præſentis liquet, ſuppoſita hac naturali hominum æqualitate demonſtrari diverſitatem exiſtimationis in ſtatu naturali. Qui aliter ſentiunt, notionibus Juris civilis, quod imperia & dominia introducta ſupponit, deluſi in re manifeſta cœcutiunt. Quamobrem modo monuimus (*not.* §. 558.) vitandam eſſe hanc confuſionem.

§. 560.

In ſtatu naturali non omnibus hominibus idem debetur honor. Etenim in ſtatu naturali homines omnes non ſunt ejuſdem exiſtimationis (§. 559.). Quamobrem cum honor conſiſtat in actibus externis, quibus exiſtimatio ſignificatur §. 538.); in ſtatu naturali nec omnibus hominibus idem debetur honor.

An in ſtatu naturali honor omnium idem.

Etſi adeo nulla introducta fuiſſent dominia & imperia, ſed permanſiſſent homines in ſtatu naturali originario; non tamen omnes eodem fuiſſent honore digni. Qui æqualitatem confuſe percipiunt, quæ in ſtatu naturali obtinet, ſibi imaginantur, quaſi nulla differentia inter homines in hoc ſtatu intercedere poſſit, quæ hominem unum potiorem faciat altero. Sed ex ipſa ſuppoſita æqualitate morali deducitur inæqualitas quoad meritum honoris. Honor debetur iis, qui eundem merentur. Merentur qui eodem dignos ſe præſtant. Digni evadunt honore, qui obligationi naturali omni animi ſollicitudine ſatisfaciunt. Non ſatisfacere eidem poſſunt omnes eodem modo, ut eaſdem conſequerentur virtutes intellectuales atque morales. Quamobrem nec omnes idem honoris meritum habent, conſequenter ſi ex veritate fieri debent omnia, nec idem omnibus debetur honor.

§. 561.

In ſtatu naturali non omnes eadem laude digni ſunt. Neque enim omnes ſunt ejuſdem exiſtimationis in ſtatu naturali (§. 559.). Quoniam itaque eadem laude dignus eſſe nequit, qui eadem exiſtimatione non eſt dignus (§. 544.); in ſtatu naturali non omnes eadem laude digni ſunt.

An in ſtatu naturali eadem conveniat omnibus laus.

Nemo eſt, qui affirmare auſit, in ſtatu naturali omnes eadem laude dignos eſſe, nec homines differre poſſe quoad laudem. Satis enim manifeſtum eſt, laudia non pendere a ſtatu civili differentiam. Quodſi ergo perpenderent, qualis ſit inter laudem, honorem & exiſtimationem nexus (§. 538. 541.); fieri nullo modo poſſet, ut homines quoad exiſtimationem in ſtatu naturali æquales eſse vellent. Nulla eſt differentia quoad dignitates civiles ac inde pendentem exiſtimationem ac honorem; ſed exiſtimatio & honor per naturam ipſius hominis ſubſiſtens diverſum quid eſt ab honore & exiſtimatione civili, in ipſo etiam ſtatu civili ab hoc diſtinguendum.

§. 562.

Homo exiſtimationem & honorem ac laudem non debet intendere tanquam finem. Etenim exiſtimatio conſiſtit in judicio aliorum de perfectione noſtra, honor autem in actibus, quibus judicium iſtud ſignificatur, externis (§. 538.), laus denique oratio eſt, qua noſtrum de perfectione alterius judicium ſignificatur (§. 541.). Natura quilibet homo liber eſt (§. 146), adeoque actiones ejus independentes ſunt a voluntate tua (§. 152.). Non igitur tenetur de perfectione tua formare judicium, quale ab eo ferri vis, nec actibus externis

An exiſtimatio, honor & laus intendi poſſint.

 idem

idem ſignificare, neque etiam verbis idem eloqui, quia tu ab eodem hoc fieri vis. Quamobrem jus tibi nullum eſt exigendi ab altero, ut te exiſtimet, ut honore proſequatur, ut laudet (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſed quid alter facere velit, relinquendum eſt ipſius arbitrio. Quoniam itaque propter finem, quem agens intendit, agit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ideo patet, quod homo exiſtimationem, honorem & laudem tanquam finem intendere non debeat.

Probe attendendum venit, quomodo propoſitio præſens demonſtretur. Oſtendimus nimirum, juri libertatis repugnare, ut exiſtimationem, honorem ac laudem tanquam finem intendas. Vis enim, ut alter faciat, quod tu fieri vis, & quando non facit, de eo conquereris tanquam de injuria tibi facta, conſequenter ſumis tacite, quaſi alter obligatus ſit ad actiones ſuas voluntati tuæ conformandas. Hæc obligatio tollit jus libertatis naturalis, quam cum tu urges, in libertatem alterius injurius es. Atque adeo vides te ad hoc obligari, ne exiſtimationem, honorem ac laudem tanquam finem intendas. Vulgo hoc non agnoſcitur, ſed prudentiæ ſaltem tribuitur, ne ea, quæ in poteſtate tua non ſunt, conſideres tanquam in eadem poſita.

§. 563.

Modeſtia quid ſit. *Modeſtus* dici ſolet, qui appetitum circa honorem legi naturali convenienter determinat. Unde *Modeſtia* eſt virtus moderandi appetitum circa honores.

Vidimus hactenus, quomodo homo verſari debeat circa honores, ne obligationi ſuæ deſit (§. 545. 546. 557. 558.), & ne violet jus alterius (§. 562.). Atque adeo conſtat, dari aliquam virtutem, quæ circa honores verſatur. Cum huic modeſtiæ nomen tributum fuerit a Philoſophis, noſtrum non eſt ab eo recedere.

§. 564.

Magnanimitas quid ſit. *Magnanimus* dici ſuevit, qui appetitum circa honores magnos legi naturali convenienter determinat. Unde *Magnanimitas* dici ſuevit virtus moderandi appetitum circa honores magnos.

Non ſine ratione magnanimitas a modeſtia diſtingui ſolet, propterea quod difficillimum ſit moderari appetitum circa honores magnos, ut adeo idem facere non poſſit, qui eundem circa honores mediocres moderari didicit. Quoniam adeo duo hi gradus virtutis a ſe invicem tanto diſtant intervallo, quantum vix inter alias virtutes diverſæ ſpeciei intercedit; nec abs re viſum fuit, modeſtiam ac magnanimitatem tanquam duas diverſas virtutes a ſe invicem diſtingui. Sane qui modeſtus eſt, eum magnanimitatem admirari videmus in altero tanquam rariſſimam in his terris avem. Gradus virtutis, quem pauciſſimi attingunt, nomine diſtingui non modo conſultum, ſed & neceſſarium eſt: quod dum facimus, non entia præter neceſſitatem non multiplicamus, ſed id agimus, ut unicuique debitam laudem tribuere queamus, & ad id, quod divinum habetur in virtute, aliorum exemplo alios excitare valeamus.

§. 565.

Obligatio ad modeſtiam & magnanimitatem. *Homo non modo modeſtus, ſed & magnanimus eſſe debet.* Etenim homo operam dare debet ut ſit exiſtimatione, honore ac laude dignus (§. 545. 546.), & ut fama bona fruatur (§. 554.), hancque ſervare tenetur (§. 557.), immo ſi qua fecit bonæ famæ adverſa, opera danda, ut factis contrariis eidem ſerviat (§. 558.); honorem tamen ac laudem non intendere debet tanquam finem (§. 562.). Patet adeo ipſi non eſſe liberum, quomodo circa honores, quanticunque fuerint, verſari velit; ſed lege naturali determinatum eſſe, quomodo circa eos verſari debeamus. Quoniam itaque modeſtus appetitum circa honorem mediocrem (§. 563.), magnanimus vero circa magnos legi naturali convenienter determinat (§. 564.); modeſti ac magnanimi eſſe debemus.

Non

Non eſt quod excipias, magnanimitatem eſſe virtutem extraordinariam, quæ in paucos cadit (*not.* §. 564), adeoque generaliter dici non poſſe, quod homo ad eandem obligetur. Quod enim in paucos cadit, non inde eſt, quod pauci ad eandem obligentur; ſed quod perpauci obligationi huic ſatisfaciant. Quod vero perpauci ſatisfaciant obligationi, id univerſalitatem obligationis minime infringit.

§. 566.

Arrogans dicitur, qui ſe honore dignum exiſtimat, quo non eſt. Unde *Arrogantia* definitur per vitium, quo quis affectat honores, quibus dignus non eſt. *Arrogantis quid ſit.*

Opponitur arrogantia non modo modeſtiæ, verum etiam magnanimitati. Neque enim opus eſt, ut hic inter magnos & mediocres honores diſtinguatur. Arrogantis enim tam facile eſt magnos affectare honores, quam mediocres, cum perinde indignus ſit magnis, quam mediocribus. Honor nimirum, quem affectat, ſemper major eſt, quam quo dignus.

§. 567.

Nemo hominum arrogans eſſe debet. Quoniam enim unusquisque operam dare debet, ut ſit honore dignus (§. 545.), hoc vero non faciat, qui ſe honore dignum exiſtimat, quo non eſt; nemo utique hominum ſe honore dignum exiſtimare debet, quo non eſt. Quamobrem cum arrogans ſit, qui ſe honore dignum exiſtimat, quo non eſt (§. 566.); nemo hominum arrogans eſſe debet. *Arrogantia prohibita.*

Arrogantes ſunt eruditi, qui elogiis emendicatis ſuperbiunt, quæ ipſis minime conveniunt. Vi adeo propoſitionis præſentis peccant.

§. 568.

Puſillaminis vocari ſolet, qui honores prorſus non curat, nec famæ ullam rationem habet. Unde *Puſillanimitas* eſt vitium, quo omnis honoris ac famæ cura abjicitur. *Puſillanimitas quid ſit.*

Opponitur puſillanimitas modeſtiæ & magnanimitati in defectu. Solet etiam puſillanimitas vocari *Inambitioſitas*. Vernacula appellatur Niederträchtigkeit.

§. 569.

Nemo hominum puſillanimis eſſe debet. Unusquisque enim operam dare debet, ut ſit honore dignus (§. 545.) & ut fama bona fruatur (§. 557.), conſequenter legi naturali repugnat, ſi quis honores prorſus non curat, nec famæ ullam rationem habet. Quoniam itaque hoc facit, qui puſillanimis eſt (§. 568.). Nemo hominum puſillanimis eſſe debet. *Puſillanimitas prohibita.*

Nimirum puſillanimis ex honore ac fama bona nullam capit voluptatem, conſequenter honorem ac famam in numerum bonorum minime refert. Quamobrem nec honor, nec fama appetitum ipſius movet. Atque hæc ratio eſt, cur omnem honoris ac famæ curam abjiciat. Sed de hoc diſertius dicemus in Philoſophia morali, ubi characteres virtutum ac vitiorum tradidemus.

§. 570.

Ambitioſus dicitur, qui cupiditate honoris inſatiabili flagrat. *Ambitio* itaque eſt inſatiabilis honoris cupiditas, ſeu vitium, quo honorem tanquam finem ultimum eorum, quæ facimus, intendimus. *Ambitio quid ſit.*

Oppo-

Digitized by Google

Opponitur etiam modeſtiæ in exceſſu, perinde ac arrogantia, nec ab hac eam diſtinguunt Ariſtotelici, propterea quod ſibi perſuadent virtuti omni duo opponi debere vitia, alterum in exceſſu, alterum in defectu, conſequenter nonniſi duo. Enimvero nihil abſurdi habet, quod eidem virtuti duo opponantur vitia in exceſſu, quemadmodum revera hic contingit. Etenim aliud eſt ſibi arrogare honores minime promeritos; aliud vero inexſatiabili honoris cupiditate flagrare, & honorem intendere tanquam actionum ſuarum finem ultimum. Illud enim fieri poteſt, etiamſi hoc non facias. Et poteſt quis inexſatiabili honoris cupiditate flagrare ac honorem intendere tanquam finem ultimum ſuarum actionum, etiamſi non affectet niſi honorem promeritum.

§. 571.

Ambitio lege naturæ prohibita.

Nemo hominum ambitioſus eſſe debet. Nemo enim hominum honorem intendere debet tanquam finem (§. 562.), adeoque multo minus tanquam finem ultimum ſuarum actionum, ita ut flagret inexſatiabili honoris cupiditate. Quamobrem cum ambitioſus honorem intendat tanquam finem ultimum inexſatiabili ejuſdem cupiditate flagrans (§. 570.); nemo hominum ambitioſus eſſe debet.

Ambitioſus & avarus in cupiditate nimia conveniunt, niſi quod ad diverſa tendant objecta ambitio & avaritia. Illa nempe verſatur circa honores, hæc circa opes. Avaritiæ autem locus non eſt niſi introductis dominiis. Unde de ea agetur ſuo loco. Ambitio autem alitur, introductis imperiis, quæ dignitates ac honores pepererunt civiles.

§. 572.

Obligatio ad propriam perfectionem cognoſcendam.

Homo perfectionem propriam cognoſcere tenetur. Unuſquiſque enim operam dare debet, ut eam conſequatur animæ, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in poteſtate ipſius poſitum (§. 180.). Neceſſe igitur eſt, ut inquirat, quamnam perfectionem ſit conſecutus, adeoque propriam perfectionem cognoſcere tenetur.

Nimirum fieri haud quaquam poteſt, ut obligationi naturali perfectionem omnem acquiſitu tibi poſſibilem conſequendi ſatisfacias, niſi tibi conſtiterit, quantum in ea conſequenda profeceris. Quamobrem cognitio perfectionis propriæ non modo licita, verum etiam debita eſt (§. 170. *p. 1. Phil. pract. univ.*), ut adeo peccet, qui eam omittit (§. 440 *p. 1. Phil. pract. univ.*). Toto igitur cœlo falluntur, qui cognitionem perfectionis propriæ ad vitium referunt.

§. 573.

Voluptas ex perfectione propria num ſit illicita.

Voluptas ex perfectione propria percepta illicita non eſt. Pone enim, eam eſſe illicitam. Quoniam voluptatem percipis, quamprimum perfectionem tuam cognoſcis (§. 511. *Pſych. empir.*); cognitio perfectionis propriæ illicita eſt, adeoque ad eam omittendam obligaris (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quod cum ſit abſurdum (§. 572.), voluptas ex perfectione propria percepta illicita eſſe nequit.

Qui voluptatem ex perfectione propria percipiendam damnant, aut illicitum pronunciare debent, quod hanc cognoſcas, aut deſiderare tenentur, ut falſum de eadem formes judicium. Utrumque eſſe abſurdum nemo ſanus diffitebitur. Nec eſt quod excipias, perfectionem humanam tantia adhuc imperfectione laborare, ut pro perfectione haberi nequeat. Hoc enim non obſtante fieri ſolet, ut animum ad eam advertens voluptatem percipias, ſit ita quod imminuatur, ubi ad imperfectionem adhuc adhærentem eundem attendis: id quod utiliter ſubinde fieri in Philoſophia morali docebitur. Perpendendum inprimis eſt, quod abſque voluptate prævia, quam perfectio propria parit, nulla concipi poſſit obligatio naturalis, quæ ſcilicet ex ipſa natura humana fluit: id quod ignorare nequit, qui ea perſpexit, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus.

§. 574.

Digitized by Google

§. 574.

Cautio in propria perfectione cognoſcenda adhibenda.

Homo in perfectione propria, ſeu bonis animi corporis ac fortunæ æſtimandis non ſibi tribuere debet, quæ fortunæ tribuenda veniunt. Homo perfectionem propriam cognoſcere tenetur (§. 572.). Per ſe autem patet, quod judicium de perfectione propria, ſeu bonis animi, corporis ac fortunæ, quæ conſecutum ſeſe expeditur, verum eſſe debeat. Quoniam igitur judicium hoc falſum eſt, non verum, ſi inquirens, quomodo illa fuerit conſecutus, ſibi tribuit, quæ fortunæ tribuenda veniunt (§. 507. *Log.*); in perfectione propria, ſeu bonis animi, corporis ac fortunæ æſtimandis non ſibi tribuere debet, quæ fortunæ tribuenda veniunt.

Quomodo hæc diſquiſitio ſit inſtituenda, ut acute diſtinguas, quæ tibi debes, ab iis, quæ fortunæ debentur, aut providentiæ divinæ; ſuo loco expreſſius docebimus in Philoſophia morali. Hic ſufficit oſtendiſſe, quæ circa cognitionem propriæ perfectionis urget ipſa lex naturæ.

§. 575.

Quanti ſe quis facere debeat.

Nemo hominum ſeſe majoris facere debet, quam eſt, ſeu non plus perfectionis & circa eandem plus ſibi tribuere debet, quam veritati conſentaneum. Etenim perfectionem propriam cognoſcere tenetur (§. 572.). Quamobrem cum per ſe pateat, de propria perfectione judicium verum eſſe debere; verum autem non ſit, ſi plus perfectionis ſibi tribuit, quam revera convenit (§. 506. *Log.*); nemo utique hominum plus ſibi perfectionis tribuere debet, quam revera poſſidet.

Et quoniam in perfectione propria ſeu bonis animi, corporis & fortunæ æſtimandis non ſibi tribuere debet, quæ fortunæ tribuenda veniunt (§. 574.); nec circa perfectionem propriam plus ſibi tribuere debet, quam veritati conſentaneum.

Atque adeo patet, quod nemo hominum ſeſe majoris facere debeat, quam eſt.

Quando naturali lege ad cognitionem rei cujuſdam obligamur, nunquam non intelligitur cognitio vera, quæ enim falſa eſt, ea nomen cognitionis non meretur, ſed erroris nomine rectius venit. Cognitio itaque perfectionis propriæ (ſub qua hic etiam intelligimus perfectionem ſtatus externi) omnem excludere debet errorem. Enimvero dum perfectionem propriam cognoſcere ſtudemus, non ſolum expendimus qualis & quanta ea ſit, verum etiam quomodo eandem fuerimus conſecuti. Nemo itaque ſibi videri debet perfectionis quid conſecutus, quam revera non habet, nec aſſecutus perfectionis ejus, quam poſſidet, illum gradum, quem nondum attigit, neque etiam ſeſe habere debet pro cauſa ejus, cujus cauſa non eſt. Unde liquet, quandonam homines majoris ſeſe faciant, quam ſunt.

§. 576.

Uſus cognitionis perfectionis & imperfectionis propriæ

Ex perfectione propria agnoſcimus, quod obligationi naturali ſatisfecerimus & quantum eidem ſatisfecerimus; ex imperfectione autem propria, quantum eidem nondum ſatisfecerimus. Etenim unuſquiſque operam dare debet, ut eam conſequatur animæ, corporis ac ſtatus externi perfectionem, quam conſequi in poteſtate ipſius poſitum (§. 180.), & ut omnem evitet animæ, corporis & ſtatus externi imperfectionem, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 182.). Quamobrem ubi perfectionem & imperfectionem noſtram agnoſcimus, ex illa utique agnoſcimus, num & quantum obligationi naturali ſatisfecerimus; ex hac autem perſpicimus, quantum eidem nondum ſatisfecerimus.

Lex naturæ tandem omnis perfectionem noſtram & aliorum tanquam metam reſpicit, promovere autem perfectionem alterius ad noſtram perfectionem ſpectat. Quando itaque noſtram cognoſcimus perfectionem, nobis ſimul innoteſcit, quantum ſtudii in promovenda perfectione aliorum poſuerimus. Alia igitur via nobis innoteſcere nequit, quantum obligationi natura-

turali ſatisfecerimus, quam ſi conſideramus perfectionem propriam acquiſitam. Patebit hoc clarius in Philoſophia morali, ubi omnia minutiſſime perſequemur, quæ ad praxin faciunt. Ceterum uſus cognitionis perfectionis propriæ ſatis docet, cur ea damnanda non ſit, ut adeo mirari non debeamus, quod ad eam cognoſcendam ſimus obligati (§. 572.). Cum enim obligationi noſtræ ſatisfacere debeamus; neceſſe quoque eſt, ut certum nobis & exploratum ſit, num eidem ſatisfaciamus, & quantum hucuſque ſatisfacere eidem potuerimus.

§. 577.

Quid faciendum perfectionem propriam intuenti.

Si propriam perfectionem agnoſcimus & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda diſcernimus ab iis, quæ fortunæ tribuenda veniunt; facta noſtra ſpectare debemus tanquam debita. Etenim ſi propriam perfectionem cognoſcimus, nos non ſpectare poſſumus tanquam ejus cauſam, niſi quatenus a factis noſtris dependet (§. 881. *Ontol.*). Quamobrem ubi ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, ab iis diſcernimus, quæ fortunæ tribuenda veniunt; facta utique noſtra expendere debemus, a quibus illa dependet. Enimvero cum omnem facere teneamur uſum facultatum noſtrarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur (§. 173.); facta iſta debita ſunt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque perfectionem propriam cognoſcere debemus (§. 572.) & quæ circa eandem fortunæ tribuenda nobis tribuere prohibemur (§. 574.), noſtra autem cognitio non falſa, ſed vera ſit neceſſe eſt; ideo facta noſtra aliter ſpectare non debemus niſi tanquam debita, dum propriam perfectionem cognoſcimus & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, diſcernimus ab iis, quæ fortunæ tribuenda veniunt.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, cum multus & præclarus ſit uſus in praxi. Vulgo obligatio repræſentandi facta ſua, quibus perfectionem acquirimus propriam, tanquam debita non agnoſcitur. Atque inde eſt, quod homines longe aliter de ſe ſentiant, quam ſentire debent, ac vitiis, quæ plurimum nocent, aperiatur aditus. Urget tamen Chriſtus hanc obligationem Luc. XVII. 10. Quicquid ergo feceris præclari, quod perfectionem tuam loquitur & factorum, quibus eandem tibi acquiſiviſti, memoriam refricat; id tanquam debitum ſemper ſpectare debes.

§. 578.

Quomodo homo ſe conſiderare debeat tanquam cauſam propriæ perfectionis.

Quoniam propriam perfectionem agnoſcentes & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, diſcernentes ab iis, quæ fortunæ tribuenda veniunt, facta noſtra ſpectare debemus tanquam debita (§. 577.), quatenus vero perfectionem noſtram ſpectamus tanquam dependentem a factis noſtris, nos conſideramus tanquam ejus cauſam (§. 881. *Ontol.*); *Si noſmetipſos ſpectamus tanquam cauſam perfectionis propriæ, nos conſiderare debemus tanquam eos, qui fecere, quod facere debebant.*

Nimirum homo quatenus conſideratur tanquam cauſa perfectionis propriæ, ſpectandus eſt tanquam debitor, qui ſolvit debitum, ſive tanquam ſervus, qui debitas præſtitit operas. Multo luculentius hoc patebit, ubi officia erga Deum demonſtraverimus. Conferantur interea, quæ in Horis ſubſecivis de Homine nihil a ſe ipſo habente docuimus Trim. æſt. Anni 1729. num. 3.

§. 579.

Ad quæ animus circa imperfectionem propriam advertendus.

Si propriam imperfectionem agnoſcimus & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, diſcernimus ab iis, quæ fortunæ debentur; in factis poſitivis ſpectare debemus inobedientiam, in privativis negligentiam. Etenim ſi propriam imperfectionem agnoſcimus & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, diſcernimus ab iis, quæ fortunæ debentur; nobis conſtat, quænam fecerimus, cur in iſtam imperfectionem inciderimus, & contra quænam omiſerimus, ut perfectio acquiſitu poſ-

poſſibilis nobis deſit. Quoniam igitur omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur (§. 173.); quatenus eundem non fecimus, eas actiones omiſimus, quas committere debebamus iſto fine (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quatenus vero contrarium fecimus, eas actiones commiſimus, quas omittere debebamus (§. *cit.*). Enimvero in omiſſione actionum certo fine edendarum non uſui facultatum debita negligentia conſiſtit (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & nemo non ultro fatetur inobedientem eſſe, qui non facit, quæ facere debebat. Quamobrem ſi propriam imperfectionem agnoſcimus & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, diſcernimus ab iis, quæ fortunæ debentur; in factis poſitivis ſpectare debemus inobedientiam, in privativis negligentiam.

Ecce igitur tibi, quo advertendus ſit animus, ubi propriam imperfectionem intueris, ut verum de eadem feratur judicium. Præſens propoſitio multiplicem uſum habet in praxi, adeoque probe notanda venit. Requirit autem praxis acumen haud raro vulgare, ut ſingula accurate diſcernas, nec quicquam attentioni tuæ ſeſe ſubducat, ac præterea ſingularem facultatum tuarum uſum nonniſi exercitio comparandum. Experietur, quæ diximus, qui periculum hujus examinis facere voluerit. Quæ vero ad juvandam praxin in medium afferri poterant, ſuo trademus loco.

§. 580.

Quomodo homo ſe conſiderare debeat quoad imperfectionem propriam.

Si noſmetipſos ſpectamus tanquam cauſam imperfectionis propriæ; nos conſiderare debemus tanquam inobedientes ac negligentes. Etenim ſi noſmetipſos ſpectamus tanquam cauſam imperfectionis propriæ; eandem conſideramus tanquam dependentem a factis noſtris tam poſitivis, quam privativis (§. 881. *Ontol.*). Quodſi vero propriam imperfectionem agnoſcimus & ea, quæ circa eandem nobis tribuenda, diſcernimus ab iis, quæ fortunæ debentur; in factis poſitivis ſpectare debemus inobedientiam, in privativis negligentiam (§. 579.). Quamobrem ſi nos metipſos ſpectamus tanquam cauſam imperfectionis propriæ; nos conſiderare debemus tanquam inobedientes ae negligentes.

Nimirum homo quatenus conſideratur tanquam cauſa propriæ imperfectionis, ſpectandus eſt tanquam ſervus inobediens ac negligens. Multo luculentius hoc patebit, ubi officia erga Deum demonſtraverimus. Atque adeo abunde docuimus, quænam obſervanda ſint, ut homo de perfectione ſua verum ferat judicium, ne ſibi videatur, qui non eſt, & ne ſe faciat pluris, quam par eſt. Non nego difficile eſſe hoc judicium: ſed difficultas non tollit obligationem, qua obſtringimur ad verum judicium de perfectione noſtra ferendum. Ceterum difficultas in cauſa eſt, cur adeo pauci huic obligationi ſatisfaciant, quam tamen urget Apoſtolus promiſcue in omnibus *Rom. XII.* 3. Recte unuſquiſque de ſe ſentire debet, quod ubi facere voluerit, ea obſervanda ſunt, quæ modo demonſtravimus (§. 577. *& ſeqq.*). Peccari hic ſolet non uno modo. Alii enim ad perfectionem propriam tantummodo animum attendunt, imperfectionis vero nullam rationem habent. Alii quoad perfectionem ſibi omnia, quoad imperfectionem nihil prorſus tribuunt. Alii denique de perfectione ſua ac imperfectione prorſus incurii in diem vivunt.

§. 581.

Humilitas quid ſit.

Humilis dicitur, qui de ſeipſo ſentit, uti par eſt, ſeu verum de perfectione propria fert judicium. Unde *Humilitas* virtus eſt, quæ moderatur appetitum circa exiſtimationem ſui ipſius.

Vidimus modo lege naturali eſſe definitum, quidnam unuſquiſque de ſeipſo ſentire debeat, & quanti ſe facere teneatur (§. 574. *& ſeqq.*). Appetitus hominis plerumque exorbitat, ut ſe majoris faciat, quam par eſt, falſo nixus de perfectione propria judicio. Unde patet dari aliquam virtutem, quæ moderatur appetitum circa exiſtimationem ſui ipſius. Hanc a mode-

Digitized by Google

§. 584.

Faſtus prohibitus.

Nemo hominum faſtoſus eſſe debet. Etenim nemo hominum majoris ſeſe facere debet, quam par eſt, ſibi plus tribuens perfectionis, quam revera competit, & circa eandem plus ſeſe ſibi debere exiſtimans, quam veritati conſentaneum (§. 575.). Quamobrem cum faſtoſus ſibi plus perfectionis tribuat, quam revera convenit, & circa eandem plus ſibi ſeſe debere videatur, quam veritati conſentaneum (§. 583.); nemo hominum faſtoſus eſſe debet.

Patet adeo faſtum lege naturali prohibitum eſſe, atque adeo recte inter vitia referri (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Non deſcendimus hic ad actus externos, qui ex hoc vitio propullulant. De his enim dicendum nobis erit in Philoſophia morali. Quamobrem nemini dubium movere debet, quod in virtutibus moralibus & vitiis, quæ circa honores & famam verſantur, tantummodo ad judicium, actum intellectus, reſpicere videamur, cum tamen virtutes atque vitia ſint habitus appetitus & averſationis. Etenim determinationes appetitus & averſationis rationalis in virtute, ſenſitivi in vitio a judicio iſto pendent, & ex judicio ideo redditur ratio actuum externorum virtuti ac vitio iſti propriorum, quemadmodum ſuo tempore in Philoſophia morali luculenter conſtabit. Ceterum ſi quem offendat terminus perfectionis, aut ſi cui non ſatis perſpicuus videtur, propterea quod in anterioribus non fuerit verſatus, quemadmodum par eſt; is ſubſtituat pro perfectione bona animi, corporis & fortunæ. Conſtat enim bona animi eſſe, quæ animam; corporis, quæ corpus; fortunæ, quæ ſtatum externum reddunt perfectiorem (§. 556. *Pſych. empir.*). Hoc inprimis obſervandum eſt, ubi vulgo vel iis, qui ſupra vulgum in hiſce non ſapiunt, proponere volueris, quæ a nobis de virtutibus ac vitiis demonſtrantur. Vulgo enim & iis, qui cum ipſis ſapiunt, notiones generales metaphyſicæ non ſunt tritæ, neque horum eſt nexum veritatum omnium inſpicere a priori.

§. 585.

Animus abjectus quid ſit.

Animus abjectus vocatur vitium, quo quis ſeſe minoris facit, quam par eſt, perfectionis propriæ nullam prorſus rationem habens in agendo.

Opponitur hoc vitium humilitati in defectu, quemadmodum faſtus in exceſſu. Vernaculo ſermone appellavimus hoc vitium die Selbſt-Verachtung, contemtum ſui ipſius. In ſtatu civili magis ſeſe conſpicuum præbet hoc vitium, quam in naturali. Unde etiam vulgo agnoſcitur, cum quoad ſtatum naturalem vix ac ne vix quidem agnoſcatur. Nemo enim eſt, qui neſciat, taxari ab omnibus, ſi quis dignitatis civilis, qua fulget, in agendo nullam habet rationem.

§. 586.

Abjectus animus prohibitus.

Nemo hominum abjecti animi eſſe debet. Quilibet enim hominum humilis eſſe debet (§. 582.), adeoque de ſeipſo ſentire, uti par eſt, vero de perfectione propria formato judicio (§. 581.), conſequenter hujus quoque in agendo rationem habeat neceſſe eſt. Quamobrem nemo ſeſe minoris facere debet, quam par eſt, perfectionis propriæ in agendo nullam prorſus rationem habens. Animi abjecti cum ſit, qui hoc facit (§. 585.); nemo hominum abjecti animi eſſe debet.

Ariſtotelici quidem humilitatem ſub modeſtia, faſtum quoque ſub arrogantia & abjectum animum ſub puſillanimitate comprehendunt. Quamvis autem *Ariſtoteles* in diſtinguendo alias ſatis fuerit acutus; in virtutibus tamen ac vitiis diſtinguendis acumen ſuum deſiderari paſſus eſt; quod circa unum objectum admittere noluerit niſi virtutem unam & virtuti cuilibet tribuerit duo vitia, alterum in exceſſu, alterum in defectu.

Digitized by Google

§. 587.

Fortuna ſecunda cur nemo confidere debeat.

Nemo fortuna ſecunda confidere debet. Fortuna eſt concurſus cauſarum minime prævisus ad effectum homini bonum, ſi ſecunda fuerit (§. 540. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque omni facultatum noſtrarum uſu efficere haud quaquam poſſumus, ut eadem nobis faveat, conſequenter nec, ubi favet, efficere valemus ne mutetur. Quamobrem cum experientia loquatur, fortunam admodum variabilem eſſe; nemo eadem confidere debet.

Fortuna nimirum ſecunda confidit, qui ita ſeſe gerit, ac ſi eadem conſtanter ſit uſurus. Hinc vero pronus incidit in multa vitia, quemadmodum ſuo loco conſtabit. Sed ut intelligatur, quod dicitur, demus aliquod exemplum. Nimirum ſi cui fortuna favet, ut multa acquirere poſſit; is minime ſibi perſuadere debet, quaſi ſemper adfutura ſit occaſio multa acquirendi. Quamobrem nec omnia, quæ acquirit, luxu dilapidare debet, nec propterea ſeſe efferre ſupra alios, quibus fortuna non æque favet. In hæc vitia incidunt, qui fortuna ſecunda confidunt.

§. 588.

Quomodo nos gerere debeamus fortuna ſecunda.

Quoniam *fortuna ſecunda* non confidendum; *ſi ea utaris, ſemper cogitandum, quod in contrariam partem flecti poſſit*, conſequenter *metuendum malum oppoſitum, quoties bono fortunæ potiris & cum uſu bonorum fortunæ conjungi debet metus mali oppoſiti.*

E. gr. Dives es: cogita, te fieri poſſe pauperem. Sanus es: cogita, te fieri poſſe ægrotum. Multos ac potentes habes patronos: cogita, te iiſdem orbari poſſe. Cum uſu adeo divitiarum conjunctus eſſe debet metus paupertatis; dum ſanitate frueris, metuendus eſt morbus; dum Patronis uteris, metuenda eſt jactura eorundem. Patebit ſuo loco in Moralibus, quantum interſit, ut ab uſu bonorum fortunæ nunquam ſeparetur metus malorum oppoſitorum. Reddit hic metus homines non modo cautos in bonorum fortunæ uſu; verum etiam incitat ad agendum ea, quæ alias facile omitterentur, & inprimis in praxi prudentiæ maximi momenti eſt

§. 589.

Fortuna adverſa cur non deſperanda meliora.

Fortuna adverſa meliora deſperanda non ſunt. Cum enim fortuna adverſa ſit concurſus cauſarum minime prævisus ad effectum nobis malum, quemadmodum ſecunda ad effectum nobis bonum (§. 540. *part.* 1. *Theol. nat.*); eadem facilitate fieri poteſt, ut cauſæ, quarum concurſum prævidere minime licet, concurrant ad effectum quendam nobis bonum, quemadmodum nunc concurrunt ad effectum malum, immo ubi ad effectum malum concurrunt, ut ad bonum oppoſitum concurrant: id quod etiam experientia abunde loquitur, cujus fide conſtat, quam facile fortuna flectatur in partem contrariam, & quod non conſtanter nobis obvertat faciem eandem. Quamobrem ubi fortunam adverſam experiris, cogitandum non eſt, quaſi eadem tibi ſemper ſit adverſa futura: quin potius perpendendum, fieri poſſe ut tibi faveat. Fortuna igitur adverſa meliora deſperanda non ſunt.

Nimirum fortuna adverſa meliora deſperat, qui ſibi perſuadet, ſe nunquam eadem benigniore uſurum; ſed eandem ſibi fore ſemper adverſam. Hinc vero pronus incidit in multa vitia, quemadmodum ſuo tempore in Philoſophia morali docebimus & experientia quotidiana abunde confirmat. Videas ſane homines fieri impatientes atque injurios in ipſum Deum, ubi fortuna adverſa meliora deſperant.

§. 590.

§. 590.

Fortuna adverſa quando hominem reddat infelicem.

Fortuna adverſa neminem reddit infelicem, niſi eum qui ob eandem triſtitiæ indulget, aut aliis affectibus moleſtis locum concedit. Quicquid homini tædium creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert (§. 639. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque triſtitia in prædominio tædii inſigni conſiſtit (§. 619. *Pſych. empir.*) & affectus quilibet moleſtus cum inſigni tædii gradu conjungitur (§. 609. *Pſych. empir.*); qui ob fortunam adverſam triſtitiæ indulget, aut affectibus aliis moleſtis locum concedit, eum fortuna adverſa infelicem reddit. Quodſi vero ob eandem minime contriſtetur, nec affectibus aliis moleſtis locum concedat; fortuna adverſa ad infelicitatem ejus nihil conferre poteſt. Patet itaque fortunam adverſam nos non reddere infelices, niſi ubi ob eandem triſtitiæ indulgemus, aut affectibus aliis moleſtis locum concedimus.

Probe notandum eſt, ſermonem hic eſſe de malis fortunæ, quorum nos non ſumus cauſa & ad quæ factis noſtris nullo modo concurrimus, ne ſit quod nobis imputari queamus. Ipſa autem propoſitio ſatis manifeſta eſt, modo infelicitatis notionem diſtinctam habeamus, ne exiſtimemus unum idemque eſſe, utrum ſis infortunatus, an infelix, quemadmodum vulgo felicitas cum fortuna ſecunda & infelicitas cum adverſa confundi ſolet, ita ut felix habeatur, qui fortunatus eſt, infelix qui infortunatus, cujus tamen contrarium alibi demonſtravimus (§. 410. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Neque putandum, quaſi minime fieri poſſit, ne ob fortunam adverſam triſtitiæ indulgeas, aut aliis affectibus moleſtis locum concedas. Quomodo enim hoc conſequaris, ſuo demonſtrabitur loco in Philoſophia morali. Teſtatur vero idem experientia, quæ exempla eorum ſuggerit, qui animo minime perturbato pertulerunt fortunam adverſam. Succurrit exemplum *Marcelli Malpighii*, Medici merito ſuo celebris, cujus ædes cum omni librorum aliaque ſupellectili cum incendium ferale conſumſiſſet, æquo id tulit animo. Non jam provocare lubet ad exempla Apoſtolorum & Martyrum, qui inter omnes adverſitates hilares extiterunt, ac imperterrito animo, ne naturæ videamur tribuere, quod gratiæ debetur, etſi hinc quoque derivare liceat, quæ naturæ proſunt, quatenus gratia naturam non deſtruit, ſed elevat. Neque enim hic diſtincte doceri poteſt, quantum natura ſerviat gratiæ.

§. 591.

Animo qualiſe debeat in fortuna adverſa.

Homines ob fortunam adverſam triſtitiæ minime indulgere, nec affectibus aliis moleſtis locum concedere debent. Homo obligatur ad infelicitatem fugiendam (§. 280.). Quamobrem cum fortuna adverſa tum demum reddat infelicem, ubi ob eandem triſtitiæ indulget, aut affectibus moleſtis aliis locum concedit (§. 590.); homines utique ob fortunam adverſam nec triſtitiæ indulgere, nec affectibus moleſtis aliis locum concedere debent.

Non omnes hanc obligationem agnoſcunt: eadem vero ratio eſt, cur obligationem ſibi cavendi ab infelicitate non agnoſcant, conſequenter eadem hic repetenda, quæ ſupra jam annotavimus (*not.* §. 280.). Qui autem eandem non agnoſcunt, ad ſtultitiam tamen referre tenentur triſtitia ac affectibus moleſtis contorquere animum ob ea, quæ mutari non poſſunt, & ultro fateri debent adverſa fieri intolerabiliora, ubi triſtitiæ atque affectibus moleſtis aliis locum concedimus. Multa hic notanda ſunt quoad praxin, quæ ſuo loco diſcutiemus, ut dilucide conſtet, cur homines ob fortunam adverſam torqueant animum triſtitia aliiſque moleſtis affectibus, & hinc colligatur, quænam huic malo afferri poſſit medela. Ceterum doctrinæ de adverſis tolerandis plurimum lucis affundet tractatio inferior de officiis erga Deum.

§. 592.

Patientia quid ſit.

Patientia eſt virtus, quæ moderatur appetitum & averſationem circa fortunam adverſam.

Dari obligationem naturalem moderandi appetitum & averſationem circa fortunam adverſam, modo demonſtravimus. Quod enim ad triſtitiam moderandam & affectus moleſtos compeſcen-

Digitized by Google

peſcendos obligati ſimus ex obligatione anteriore ab infelicitate ſibi cavendi demonſtravimus (§. 591.). Sunt qui contendunt, ferendum eſſe quod mutari non poteſt. Enimvero hoc tantummodo oſtendit neceſſitatem phyſicam adverſa tolerandi; non vero moralem, in qua obligatio conſiſtit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*).

§. 593.

Obligatio ad patientiam.

Homo in adverſis patiens eſſe debet. Homo enim in adverſis triſtitiæ minime indulgere, nec affectibus aliis moleſtis locum concedere (§. 591.), neque etiam meliora deſperare debet (§. 589.). Obligatur itaque ad appetitum & averſationem circa fortunam adverſam moderandum. Quamobrem cum patiens ſit, qui appetitum & averſationem circa fortunam adverſam moderatur (§. 592.); homo in adverſis patiens eſſe debet.

Niſi demonſtraretur, hominem obligatum eſſe ad moderandum appetitum & averſationem quoad fortunam adverſam; nec pateret patientiam eſſe virtutem (§. 322. *part. 1. Phil pract. univ*). Quamobrem qui tantummodo inevitabile fatum accuſant, & ideo ferendum inculcant, quod mutari non poteſt, patientiam ex virtutum moralium numero tollunt, niſi quatenus prudentiæ adhuc exiſtimatur, tolerare adverſa. Ceterum obligatio adverſa tolerandi multo adhuc clarius eluceſcet ex officiis erga Deum. Probe autem diſtinguendum eſt inter ea, quæ motivum agendi vel non agendi præbent, & ea, quæ principiorum demonſtrandi obligationem naturalem loco ſunt. Quæ motiva præbent agendi & non agendi, non ſtatim obligationem pariunt. Sumitur ex. gr. motivum ab utilitate, utilitas autem non ideo parit obligationem, neque jus facit. In Moralibus uſum facimus motivorum, ſed ſupponimus obligationem in Jure Naturæ demonſtratam: quæ etiam ratio eſt, cur hic virtutum & vitiorum definitiones tradamus, etſi de virtutibus & vitiis agendum ſit in Philoſophia morali.

§. 594.

Impatientia quid ſit.

Impatientia eſt vitium, quo triſtitiæ nimium indulgemus in adverſis & affectibus moleſtis aliis animum torquemus.

Opponitur hoc vitium patientiæ, utique in exceſſu. Ut animus triſtitia corripiatur, ſi adverſis premitur, impediri haud facile poteſt. Ei autem indulgendum non eſt. Nihil habet vitii, quod triſtitia animum invadat; ſed eam ſtatim compeſcere tenemur, ne appetitus determinetur ad actiones committendas, quæ legi naturali repugnant. Hoc non facit, qui impatiens eſt, atque adeo triſtitiæ nimium indulgens in exceſſu peccat. Sed nobis perinde eſt, ſive ſumas impatientiam patientiæ opponi in exceſſu, ſive defendas, eam eidem tantummodo ſimpliciter opponi.

§. 595.

Impatientia prohibita.

Nemo hominum impatiens eſſe debet. Etenim nemo hominum ob fortunam adverſam triſtitiæ indulgere, nec affectibus aliis moleſtis locum concedere debet (§. 591.). Quoniam itaque impatiens eſt, qui triſtitiæ nimium indulget in adverſis & affectibus moleſtis aliis animum torquet (§. 594.); nemo hominum impatiens eſſe debet.

Agit adeo contra officium erga ſeipſum, qui impatiens eſt, quatenus propriæ adverſatur felicitati, quemadmodum ex demonſtratione illius principii intelligitur, unde deducitur obligatio impatientiam vitandi.

§. 596.

Præparatio ad caſus futuros quid ſit.

Ad caſus futuros ſe præparare dicitur, qui adverſa, quæ in poteſtate ſua poſita non ſunt, ſibi repræſentat tanquam eventu poſſibilia, nec a ſe declinabilia. Ut adeo *Præparatio ad caſus futuros* ſit præviſio probabilis malorum futurorum a nobis non evitabilium.

Hanc

Digitized by Google

Hanc præparationem urget *Epictetus* per totum ſuum Enchiridion. Quicquid enim agis, reſpicere jubet eventu poſſibilia, quæ evitare in poteſtate tua poſitum non eſt, ut, ubi eveniunt, non eveniant præter opinionem tuam, ſed recorderis te jam talia prævidiſſe ac probabiliter expectaſſe.

§. 597.

Utilitas præparationis ad caſus futuros.

Qui ad caſus futuros ſe præparat, ejus animus ob adverſa, quæ ipſi contingunt, non perturbatur affectibus moleſtis. Qui enim ad caſus futuros ſeſe præparat, adverſa, quæ in poteſtate ſua non ſunt, ſibi repræſentat tanquam eventu poſſibilia, & evitatu impoſſibilia (§. 596.), adeoque non modo prævidet, tale quid accidere poſſe, verum etiam certum eſt ſeſe, quo minus eveniat, impedire minime poſſe. Quodſi ergo evenit, quod evenire poſſe certus jam ante fueras, non hoc accidet præter opinionem tuam, ſed evenit quaſi expectatum, teque hoc ipſum prævidiſſe recordaberis. Quamobrem etſi ex eo tædium quoddam percipis (§. 559. *Pſych. empir.*), non tamen erit tantum, quantum affectui moleſto gignendo ſufficit (§. 609. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi ad caſus futuros te præparas, animus tuus ob adverſa, quæ tibi contingunt, non perturbatur affectibus moleſtis.

Multo clariora hæc evadent, ubi in Philoſophia morali oſtenderimus, quomodo affectus compeſcantur & ſedentur. Et ubi hanc præparationem in caſibus particularibus expenderimus; tanto minor circa propoſitionem præſentem remanebit difficultas. Quanti autem ea valeat, omnium optime ex ſeipſo addiſcere licet. Eſt enim ea ex numero illarum veritatum, quæ experientiæ domeſticæ omnem acceptam ferunt certitudinem. Agnovit eam *Epictetus* in Enchiridio. Pertinet huc, quod de olla dicitur, quam diligis, c. 8. *Si ollam*, inquit, *diligis*, memento *te ollam diligere: nam ea confracta non perturbaberis. Si filiolum, aut uxorem, hominem a te diligi: nam eo mortuo, non perturbaberis.* Jubet nimirum animum advertere ad fragilitatem ollæ, cum in genere res omnes conſiderare jubeat, cujuſmodi ſint, & hinc colligere, quod facile confringi poſſit, tibi autem impedire minime integrum ſit, ne confringatur. Jubet animum attendere ad mortalitatem hominis, ac ideo perpendere, quod filiolus aut uxor morte ſubita tibi eripi queat, nec in poteſtate tua poſitum ſit impedire, quo minus moriatur. Quodſi ergo olla confringitur, recordaberis te jam prævidiſſe, quod confringi poſſit, nec hoc eveniet præter expectationem. Recordaberis, te certum dudum fuiſſe, quod impedire non poſſis, ne confringatur. Etſi adeo moleſtiam quandam percipis, quatenus confractionem vitri tibi dilecti repræſentas tanquam malum, quod re dilecta poſthac carere debeas; nullo tamen affectus moleſti impetu inquietatur animus, quemadmodum factum fuiſſet, ſi de hoc caſu antea nunquam cogitaſſes. Facile apparet, exercitio quodam opus eſſe, ut præparatio ad caſus futuros ſuo non deſtituatur effectu; quod quale eſſe debeat, ſuo tempore expoſituri ſumus: quod probe perſpectum fuit *Epicteto*, ſuadenti ideo, ut a rebus minutiſſimis exordiaris, quæ vel uſui inſerviunt, vel diliguntur. Veritatem propoſitionis hujus dudum perſpectam commendat iſtud pervulgatum: Tela prævisa minus nocent.

§. 598.

Obligatio ad præparationem iſtam.

Homo ſeſe præparare ad caſus futuros debet. Etenim ob adverſa, quæ fortunæ debentur, in poteſtate ejus autem non ſunt, triſtitiæ minime indulgere, neque affectibus moleſtis aliis animum torquere debet (§. 591.). Quoniam itaque affectibus moleſtis ob adverſa, quæ ipſi contingunt, non perturbatur animus ejus, qui ad caſus futuros ſeſe præparat (§. 597.); quin homo ſeſe ad caſus futuros præparare debeat dubitandum non eſt.

Spectat hæc præparatio ad patientiam, quæ adeo rara eſt, quia illa negligitur. Quodſi ergo patiens eſſe volueris, quemadmodum debes (§. 593); tanto frequentior & diligentior eſſe debes in præparatione ad futuros caſus, quanto magis in impatientiam propendes. Audias permultos affirmantes, patientiam non eſſe in ſua poteſtate, etſi ad animum redeuntes impatientiam, qua torquentur, ipſimet deteſtentur. Enimvero in poteſtatem ſuam eandem redigerent, ſi ſeſe tempeſtive ad futuros caſus præparare voluiſſent,

§. 599.

§. 599.

Obligatio moderandi metum.

Nemo hominum metu mali cujuſdam imminentis deterreri debet, quo minus faciat, quod legi naturæ convenit, nec ſeſe adduci patiatur neceſſe eſt ad faciendum, quod legi naturæ contrarium. Pone enim licitum eſſe, ut propter metum mali imminentis non facias, quod legi naturæ convenit, vel facias, quod eidem contrariatur. Obligatio naturalis, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), tolli a quocunque poterit, quando ipſi viſum fuerit. Non igitur erit immutabilis (§. 291. *Ontol.*): quod cum ſit abſurdum (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quilibet hominum obligatus eſt, ne metu mali cujuſdam imminentis ſe deterreri patiatur, quo minus faciat, quod lege naturæ præceptum eſt, nec ſe adduci patiatur ad faciendum eadem prohibitum.

Sane ſi hoc largiri velis metu mali cujuſdam imminentis tolli obligationem naturalem, quodlibet ſcelus licite committetur in gratiam alterius, ob potentiam nocendi tibi metuendi. Neminem repertum iri arbitror, qui hoc affirmaverit, etſi negari haud quaquam poſſit eſſe longe plurimos, qui hoc faciunt, & ſe ſatis excuſatos exiſtimant, ubi metum prætendunt.

§. 600.

Fortitudo quid ſit.

Fortis dicitur, qui metu periculi imminentis ſeſe adduci minime patitur, ut faciat, quod non facere debebat, vel non faciat, quod debebat facere. Unde *Fortitudo* eſt virtus, quæ moderatur metum, quo minus eodem adducamur ad faciendum, quod non facere, & ad non faciendum, quod facere tenemur. Hinc *Fortitudo bellica* eſt virtus, quæ moderatur metum ob periculum in certamine aut aliis operationibus bellicis imminens, ne eodem impediatur miles, quo minus functiones ſuas intrepide obeat.

Vocabulum fortitudinis non ſumitur ab omnibus in eodem prorſus ſignificatu. Sunt enim nonnulli, qui hanc virtutem ad ſolam fortitudinem bellicam reſtringunt, quaſi militibus propriam. Sunt alii qui eandem ad fortunam utramque æquo animo ferendam referunt, adeoque a patientia non ſatis diſtinguunt (§. 592.). Sunt denique qui eandem circa terribilia ardua verſari opinantur, quale eſt mors, terribilium omnium terribiliſſimum, ſi *Ariſtotelem* audias. Enimvero ſi fortitudinem a patientia ſatis diſtinguere velis, non alio modo idem fieri poterit, quam nos fecimus in definitione præſenti. Sane ex ea non deducetur in Philoſophia morali, niſi quod omnium judicio ad fortitudinem ſit referendum. Martyres metu cruciatuum exquiſitiſſimorum, immo præſentis mortis, adduci minime poterant, ut chriſtianam religionem ejurarent. Nemo non fatebitur, eos forti animo cruciatus quoſvis perpeſſos fuiſſe ipſamque mortem ſubiiſſe. Eorum itaque exemplum definitionem fortitudinis egregie illuſtrat. Ex præſenti quoque definitione clariſſime patet, cur militibus potiſſimum conveniat hæc virtus.

§. 601.

Fortitudo lege naturali præcepta.

Homo fortis eſſe debet. Etenim nemo hominum metu mali cujuſdam imminentis deterreri debet, quo minus faciat quod legi naturæ convenit, nec ut adducatur ad faciendum, quod eidem contrariatur, pati debet (§. 599.). Quoniam itaque fortis eſt, qui metu periculi imminentis adduci ſeſe minime patitur, ut faciat, quod non facere debebat, vel non faciat, quod debebat (§. 600.); hominem fortem eſſe debere patet.

Videmus adeo hominem eſſe obligatum ad fortitudinem colendam. Non minus autem ex ipſa fortitudinis notione intelligitur, diverſos admodum dari fortitudinis gradus pro diverſitate mali metuendi, ſiquidem hoc facere, vel non facere volueris. Neque diffitemur, gradum fortitudinis quendam adeo exiguum eſſe poſſe, ut, ſi ad ſummum referatur, pro nullo fere habendus ſit. Unde omnino accidit, ut in communi ſermone eundem vix fortis nomine dignemur, qui leve quoddam malum non metuit, a quo tamen ſibi metuunt alii. Atque ea ratio videtur, cur quidam fortitudinem nonniſi in metu malorum arduorum admittant. Enimvero nulla ratio eſt, cur in gradu quæramus differentiam ſpecificam alicujus virtutis, ubi non datur alia, quæ per gradus inferiores conſtituitur.

§. 602.

Digitized by Google

§. 602.

Timidus dicitur, qui leviſſimi cujuſvis periculi metu ſe adduci patitur, ut faciat, quæ facere non debebat, aut non faciat, quæ facere debebat. Unde *Timiditas* vitium eſt, quo metu leviſſimi cujuſvis periculi nos abduci patimur ad faciendum quod facere non debebamus, & ad non faciendum, quod debebamus facere. *Timiditas quid ſit.*

Opponitur *Timiditas* fortitudini in defectu, quia metui nimium damus. Qui hoc vitio laborant, ad quodvis ſcelus patrandum minis ſe abduci patiuntur, modo malum, quod ex ſcelere patrato metuitur, non multum ſuperet alterum, quod metuendum, ſi hoc facere recuſent. Timiditati enim convenit, ut, dum minori metu quis commovetur, is multo magis commoveatur metu majore. & ut metus major prævaleat adverſus minorem.

§. 603.

Nemo hominum timidus eſſe debet. Etenim nemo hominum pati debet, ut metu mali cujuſdam imminentis adducatur ad faciendum, quod facere non debebat, & ad non faciendum, quod facere debebat (§. 599.). Quoniam itaque timidus eſt, qui metu leviſſimi cujuſvis mali ſe adduci patitur ad faciendum, quod facere non debebat, & ad non faciendum, quod debebat facere (§. 602.); nemo hominum timidus eſſe debet. *Timiditas legi naturæ contraria.*

Metus non cenſetur vitioſus, niſi quatenus nos ſeducit ad actiones legi naturæ contrarias, ſive poſitivas, ſive privativas. Unde vitium, quod circa metum verſatur, conſiſtere debet in habitu agendi, quod naturali legi repugnat ob metum mali alias imminentis. Facile autem apparet malum iſtud ex accidente imminere agenti, cum non per ſe ex actione committenda vel omittenda conſequatur. Si metu non ſeduceris ad male agendum, ejus hic nulla habetur ratio. Ex. gr. Times ſpectra; metu tamen ſpectrorum non permoveris, ut facias, quod non facere debebas, niſi peccare velis: metus iſte nihil vitii habet, neque hic attenditur, ubi timiditas tanquam legi naturali contraria damnatur. Inde etiam eſt, quod vulgo affirmetur, metum ſpectrorum non obſtare fortitudini. Similiter metuis tibi a fulmine, metu tamen hoc non adduceris ad faciendum, quod facere non debebas, & non faciendum, quod facere debebas, niſi peccare velis: nec hic metus quicquam vitii habet, conſequenter nec in præſenti attenditur. Unde denuo negatur, fortem te dici ideo non poſſe, quod tibi a fulmine metuas.

§. 604.

Audax dicitur, qui nulla obligatione urgente pericula quævis ſubit, veluti vitæ ac integritatis membrorum corporis amittendæ. Unde *Audacia* eſt vitium ſubeundi pericula quævis nulla obligatione urgente. *Audacia quid ſit.*

Etenim ſi periculum ſubis, ne deſis officio tuo, nec metu te deterreri patiaris, quo minus obligationi tuæ ſatisfacias; id non audaciæ, ſed fortitudini tribuendum (§. 600.). Actus adeo externi viri fortis & hominis audacis iidem eſſe poſſunt; ea autem intercedit differentia, quod fortis, niſi hoc faceret, officio ſuo deeſſe deberet, cum nulla officii ratio hoc exigat ab audace.

§. 605.

Nemo hominum audax eſſe debet. Homo enim vitæ periculum vitare debet, quantum in poteſtate eſt (§. 371.), nec minus vitare debet periculum integritatem organi cujuſdam corporis lædendi, quantum in poteſtate ipſius eſt (§. 373.); ſibi etiam cavere debet ab omnibus fortunæ malis, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 183.). Enimvero ubi nulla urget obligatio, ut periculum aliquod *Audacia legi naturæ contraria.*

amittendæ vitæ vel integritatis membrorum corporis aut ſubeundi malum quodcunque fortunæ ſubeas, neceſſe non eſt ut hoc facias (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter idem evitare potes, modo velis, adeoque idem evitare in poteſtate tua poſitum (§. 175.). Nulla igitur urgente obligatione nemo hominum periculum aliquod ſubire debet. Quamobrem cum audax ſit, qui hoc facit (§. 604.); nemo hominum audax eſſe debet.

Dantur audaciæ gradus pro diverſa magnitudine mali metuendi, quod tamen te minime deterret ab agendo. Etſi autem audacia alia major, alia minor ſit, adeoque aliqua tam exigua eſſe poſſit, ut ad aliam relata pro nulla fere habenda ſit; neceſſe tamen non eſt, ut, ubi vitium a virtute diſcernendum, in ejus definitione ratio habeatur magnitudinis, cum levis etiam audacia, quæ pro nulla haberi poterat, ſit perinde vitioſa, ac ea, quæ omnium ſtatim judicio talis habetur. Ita audax cenſebitur famulus, qui pecuniam heri ſui ollæ fortunæ committit ſpe quidem lucrifaciendi, ſed ubi jactura pecuniæ, quam amiſſam reſtituere nequit, magis metuenda. Etenim hic nulla adeſt obligatio, quæ urget, ut pecuniam alienam fortunæ ludibrio exponat. Peccant audaces plerumque contra prudentiam, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Unde quidam hominem audacem a forti imprudentia diſtinguunt; quod etſi plerumque ſuccedat, conſultius tamen eſt, ut ad obligationem attendatur animus, prouti nos facimus.

§. 606.

Dilectio ſui quid ſit, quid amor proprius,

Dilectio ſui eſt conſtans & perpetua voluntas felicitatem ſuam promovendi, hoc eſt, omni ſtudio id agendi, ut ſimus felices, nobiſque cavendi, ne reddamur infelices. Dici etiam ſolet *Amor proprius*. Enimvero cum Amoris nomen tribuerimus affectui, qui in appetitu ſenſitivo reſidet (§. 603. *Pſych. empir.*); *Amorem* quoque *proprium* appellare lubet diſpoſitionem animi ex propria felicitate voluptatem percipiendi.

Conſultum eſt virtutem ab affectu diſtingui. Affectus enim exorbitat; aſt virtus eundem intra cancellos ſuos coercet. Affectus homini naturalis eſt: virtus demum acquirenda.

§. 607.

Obligatio ſeipſum diligendi,

Homo ſeipſum diligere debet. Etenim homo operam dare debet, ut ſit felix, ſibique cavere, ne ſit infelix (§. 280.). Quoniam igitur nunquam non velle debet, quod ad felicitatem ſuam facit, & ex adverſo nolle tenetur, quod eidem repugnat, neque ab hac voluntate ac noluntate quacunque de cauſa in ullo caſu ſeſe abduci patiatur neceſſe eſt (§. 118, 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); voluntas ipſi eſſe debet perpetua & conſtans felicitatem ſuam promovendi (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque homo ſeipſum diligit, ſi ipſi fuerit conſtans ac perpetua voluntas felicitatem ſuam promovendi (§. 606.); homo ſeipſum diligere debet.

Atque adeo videmus, dilectionem ſui ipſius lege naturali eſſe præceptam. Qui ſibi perſuadent, amorem proprium eſſe homini naturalem, conſequenter non opus eſſe ut præcipiatur; virtutem cum affectu confundunt (§. 606.). Omnes omnino homines ſeipſos amant, ita ut ex amore proprio ipſa autochiria procedat, quatenus ea conſideratur tanquam medium unicum avertendi malum, quod majus & intolerabilius videtur. Enimvero non omnes homines diligunt ſemetipſos, propterea quod voluptatem veram cum apparente, innocuam cum nocua confundunt, adeoque amoris proprii motu abrepti ſeipſos infelices reddunt, dum felicitati ſuæ velificare ſibi videbantur. Hinc amor proprius diſtingui ſolet in inordinatum & ordinatum ſeu rationalem. *Inordinatus* nimirum dicitur, qualis natura in appetitu ſenſitivo reſidet: *ordinatus* vero, quatenus ad normam rationis exigitur. Unde *rationalis* non eſt niſi amoris proprii cum dilectione ſui conſenſus, qui adeo oritur, dum appetitus ſenſitivus, quatenus in felicitatem fertur, in conſenſum reducitur cum rationali. Satis adeo perſpicue diſcrevimus, quæ vulgo confunduntur, modo principia pſycologica tibi fuerint perſpecta, quæ hic utique præ-

præſupponi debent. Quodſi tamen alicui viſum fuerit, non minus habitum voluntatis, qui appetitum felicitatis moderatur, quam affectum amoris nomine inſignire; per nos hoc faciat; modo virtutem cum affectu minime confundat.

CAPUT III.

De Officiis hominis erga alios & cum iis connexis juribus.

§. 608.

Quænam homo unus debeat ceteris.

Quilibet homo alteri cuicunque homini debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt. Etenim lege naturali obligamur ad actiones committendas, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nobis debemus, ut perfectionem propriam pro virili promoveamus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre obligatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & omittere, quæ ad imperfectionem alterius eiuſque ſtatus faciunt (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque etiam alteri cuicunque debet, ut perfectionem ipſius pro virili promoveat (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quæ igitur ſibi debet, ea etiam debet alteri cuicunque. Enimvero nemo hominum naturaliter obligatur ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius ea conferre, quæ ipſemet facere poteſt (§. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ſi officium erga ſeipſum & officium erga alios colliduntur, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter officium proprium negligi non poteſt (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quilibet igitur homo alteri cuicunque homini debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt.

Principium hoc generale eſt, quod ambitu ſuo officia omnia erga alios in ſe complectitur. Nemini hoc videbitur obſcurum, qui ex anterioribus didicit, quomodo officia omnia erga ſeipſum ex obligatione promovendi perfectionem ſuam ſtatuſque ſui deducantur.

§. 609.

Quinam facultatum ſuarum uſus fieri debeat officia erga alios præſtanda.

Omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum hominum aliorum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, corpore & ſtatu requiritur, quatenus id abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt. Quilibet enim homo alteri cuicunque homini debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608.). Enimvero quilibet homo omnem etiam facere tenetur facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum ſuum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu ſuo imperfectionem requiritur (§. 173.). Quamobrem omnem quoque facere tenetur uſum facultatum ſuarum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum hominum aliorum & ad arcendum ab anima, corpore & ſtatu eorundem imperfectionem requiritur, quatenus id abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ut diſcamus, quandonam officio noſtro erga alios ſatisfecerimus, ne idem intra arctos nimis limites coarctetur. Nimirum quilibet hominum tanquam

finem ultimum intendere debet perfectionem ſui, & aliorum (§. 28. *part. 2. Phil. pract. univ.*) ac ideo omnem facere uſum facultatum ſuarum, qui ad hoc requiritur, ut finem hunc conſequamur. Non minus adeo aliorum perfectio nobis curæ cordique eſſe debet, quam propria. Quodſi tamen tibi ipſi deeſſe debeas, ut proſis aliis; facultatum tuarum uſus reſtrictior eſt, quam ut ad alios extendi poſſit. Ultra id vero, quod poſſibile eſt, nemo obligatur (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*), Si uſus facultatum noſtrarum foret inexhauſtus, ut omnibus aliena ope indigentibus ſemper ſufficeret; ſine omni reſtriſtione obligaremur omni aliena ope indigenti ad quæcunque præſtanda. Enimvero cum inexhauſtus non ſit; nemo tamen ab ea obligatione, qua ſibimetipſi tenetur, liberari poſſit (§. 142. *p. 1. Phil. pract. univ.*); non amplius alteri aliena ope indigenti obligari potes, quam facultatum tuarum uſus permittit. Quilibet adeo aliis tantum prodeſſe debet, quantum poteſt.

§. 610.

Quando alteri quid præſtare in poteſtate noſtra non eſt.

Quod alteri præſtare non vales, niſi cum neglectu officii erga temetipſum, id in poteſtate tua non eſt. Etenim omnem facere teneris facultatum tuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum tuum & ad arcendum inde omnem imperfectionem requiritur (§. 173.), omnem quoque facere debes facultatum tuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum aliorum hominum ac arcendum inde imperfectionem exigitur, quatenus id abſque neglectu officii erga teipſum fieri poteſt (§. 609.). Quodſi ergo alterius perfectionem promovere aut imperfectionem præcavere nequeas, niſi cum neglectu officii erga teipſum, uſus facultatum tuarum non ſufficit perfectioni & propriæ, & alienæ promovendæ. Quoniam itaque eum uſum facultatum facere non potes, qui ad alteri præſtandum quid requiritur, in poteſtate autem tua non eſt, quod facultatum tuarum uſu conſequi nequis (§. 175.); quod alteri præſtare non vales, niſi cum neglectu officii erga temetipſum, id in poteſtate tua non eſt.

Patet hinc, quomodo innoteſcat, num in poteſtate tua poſitum ſit alteri inſervire, an non ſit: id quod multiplicem in Philoſophia morali habet uſum.

§. 611.

Quouſque extendatur obligatio, qua tenemur aliis.

Quoniam nemo alterius perfectionem promovere ac imperfectionem præcavere tenetur, niſi quatenus hoc abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609.) quod vero alteri præſtare non valemus, niſi cum neglectu officii erga noſmetipſos, id in poteſtate noſtra non eſt (§. 610.); *nemo alterius perfectionem promovere ac imperfectionem præcavere tenetur, niſi quatenus in poteſtate ſua eſt.*

Nimirum vulgo dici ſolet, neminem naturaliter obligari aliis ad quædam præſtanda, niſi quatenus in poteſtate ſua eſt, ut hoc præſtet. Hoc igitur expreſſius hic docere debuimus, ne perverſæ applicationi obnoxium ſit, quemadmodum contingit, ubi non accurate definitur, quid quoad alios ſit in poteſtate noſtra.

§. 612.

Auxilium in acquirendis bonis aliis præſtandum.

Quilibet homo alium quemcunque ope ipſius indigentem juvare debet, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in poteſtate ſua eſt. Etenim quilibet alteri debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608.), conſequenter quantum in poteſtate ſua eſt (§. 610.). Enimvero quilibet operam dare debet, ut ea conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ in poteſtate ſua ſunt (§. 181.). Ergo etiam alterum quemcunque ope ipſius indigentem juvare debet, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in poteſtate ſua eſt.

Vi-

Vides adeo; quænam cura te tangere debeat in bonis ab alio homine quocunque acquirendis. Nimirum quæcunque ipſemet acquiris bona, in iis acquirendis etiam aliis auxilio eſſe debes. Qui ſatisfacit officio ſuo erga ſeipſum, is omne bonum acquirere ſtudet, quod in poteſtate ſua habet. Vult autem, ut alii quoque eorundem bonorum fiant participes, quæ ipſe deſiderat; vel quibus actu fruitur. Quamobrem nullam prætermittit occaſionem, qua aliis in iiſdem acquirendis opem ferre valet. Et hic ſatisfacit officio ſuo erga alios. Quia officio ſuo ſatisfacit, omnes vult ſui eſſe ſimiles, nec expetit prærogativam quandam præ aliis.

§. 613.

Quodnam præſtandum in malis avertendis.

Quilibet homo, quantum in poteſtate ſua eſt, cavere debet, ne alius quicunque incidat in mala animi, corporis ac fortunæ. Oſtenditur eodem protſus modo, quo propoſitionem præcedentem evicimus (§. 183.).

Non jam inquirimus ſpecialius, quænam ſint iſta auxilia, quæ aliis præſtare poſſumus ſive in bonis acquirendis, ſive in malis avertendis. Patebunt enim ea ex ſequentibus, & plura eam in rem dicentur in Philoſophia morali. Immo quando ſeſe offert aliis inſerviendi occaſio, ex circumſtantiis præſentibus vi principiorum generalium, quæ hic traduntur, facile colliges, quo ſnam alteri auxilium ferre poſſis ac debeas. Principia igitur generalia memoriæ firmiter infigenda.

§. 614.

Cura felicitatis alienæ.

Quilibet homo operam dare tenetur, quantum in poteſtate ſua poſitum eſt, ut alii quoque homines, quicunque fuerint, ſint felices, & quantum in ſe eſt impedire, ne ſint infelices. Quilibet enim operam dare debet, ut ſit felix, ſibique cavere, ne ſit infelix (§. 280.). Enimvero quod ſibi debet, idem etiam debet homini cuicunque alteri ope ſua indigenti, quatenus citra neglectum officii ſui erga ſeipſum idem alteri præſtare valet (§. 608.), conſequenter quantum in poteſtate ſua poſitum eſt (§. 610.). Quamobrem quilibet operam dare tenetur, quantum in poteſtate ſua poſitum, ut alii quoque homines, quicunque fuerint ſint felices, & quantum in ſe eſt impedire, ne fiant infelices.

Non minus nos tangere debet cura felicitatis alienæ, quam propriæ, etſi virium noſtrarum uſus admodum limitatus ſit, ut aliorum felicitatem minus in poteſtate noſtra habeamus, quam propriam, & paucorum admodum felicitatem actu promovere valeamus. Neceſſe igitur eſt oſtendi, qualis eſſe debeat animus uniuſcujuſque hominis erga ceteros omnes, ut, ſi deſint vires, adſit tamen voluntas.

§. 615.

Qua voluntate homo eſſe debeat in alios.

Unicuilibet homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas perfectionem ac felicitatem hominis alterius cujuſcunque promovendi. Etenim omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, quantum abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt, conſequenter quantum in poteſtate ſua eſt (§. 610.), ut perfectionem animæ, corporis ac fortunæ hominum aliorum quorumcunque promoveat (§. 609.), operamque dare debet, quantum in poteſtate ſua poſitum, ut alii quoque homines quicunque ſint felices (§. 614.). Neceſſe igitur eſt, ut in dato quolibet caſu, quo perfectionem ac felicitatem alterius promovere valet, ipſi ſit voluntas hoc faciendi, & ne ulla ratione ſe ab eadem dimoveri patiatur. Quamobrem cum voluntas hoc pacto conſtans ſit ac perpetua (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*); unicuilibet homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas perfectionem ac felicitatem hominis alterius cujuſcunque promovendi.

Non eſt, quod dicas voluntatem hominis reſtringendam eſſe, ſcilicet ut ſemper velis promovere perfectionem ac felicitatem alterius, quoties id in poteſtate tua deprehenderis, ut nullum adſit obſtaculum phyſicum atque morale (§. 608. & *ſeqq.*). Ceſſat enim quoad voluntatem reſtrictionis ratio. Etenim voluntas tua recte fertur in perfectionem ac felicitatem hominis.

minis cujuſcunque! enimvero ubi eidem convenienter agendum, impotentia phyſica & moralis impedit, quo minus agere poſſis, quod velis. Sermo igitur h c eſt de generali voluntatis determinatione, qualis eſſe debet reſpectu hominum ceterorum omnium: quam niſi ſupponas, nec in omni caſu paratus eris ad alterius perfectionem & felicitatem promovendam, ubi id in poteſtate tua deprehenderis, & verendum erit, ne deſis officio erga teipſum; ubi alteri inſervire decreveris. Actus voluntatis inexhauſtæ utilitatis eſt & in infinitum tendit: aſt externus actus, qui facultati locomotivæ debetur, arctiſſimos habet limites. Voluntate antecedente omnibus prodeſſe in infinitum vis: aſt voluntate conſequente non prodes niſi tibi ſoli, vel aliis paucis in paucis.

§. 616.

Qualis eſſe debeat appetitus ſenſitivus reſpectu aliorum hominum.

Quilibet homo ex felicitate alterius cujuſcunque voluptatem percipere debet. Unicuique enim hominum conſtans & perpetua eſſe debet voluntas felicitatem alterius promovendi (§. 615.), adeoque felicitatem alterius ſibi repræſentare debet tanquam bonam etiam quoad ſe (§. 904. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ex eo, quod bonum cognoſcimus, voluptatem percipimus (§. 558. *Pſych. empir.*); quilibet homo ex felicitate alterius cujuſcunque voluptatem percipere debet.

Senſus (§. 561. *Pſych. empir.*) & conſequenter imaginatio (§. 117. *Pſych empir.*) repræſentant bonum per voluptatem inde perceptam, quam ex confuſa perfectionis perceptione ortum trahere conſtat (§. 536. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ex confuſa perceptione naſcatur appetitus ſenſitivus (§. 580. *Pſych. empir.*); appetitus ſenſitivus tendit in felicitatem alterius, ubi ex eadem voluptatem percipit. Atque hoc pacto reducitur in conſenſum cum rationali (§. 615.). Conſentanea hæc ſunt iis, quæ de appetitu ſenſitivo in concordiam cum rationali reducendo demonſtravimus ſibi in genere (§. 581. *part. 2. Phil pract. univ.*).

§. 617.

Dilectio alterius quid ſit.

Dilectio alterius eſt conſtans & perpetua voluntas felicitatem alterius promovendi, h. e. omni ſtudio id agendi, ut alter ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix.

Dilectio adeo ſui & alterius non differunt niſi objecto, circa quod ea verſatur. Illa nimirum verſatur circa ſeipſum; hoc vero circa hominem alterum quemcunque. Ne vero difficultates inanes circa hanc definitionem faceſſas, repetenda ſunt, quæ modo annotavimus (*not.* §. 615.). Omni ſtudio id agit, ut alter ſit felix, & præcavet, ne fiat infelix, qui agit quantum in poteſtate ſua ſitum eſt. Quamobrem ubi phyſice vel moraliter impeditur, quo minus agat, quod vult; id dilectioni minime obeſt.

§. 618.

Dilectio hominis alterius cujuſcunque.

Unuſquiſque hominum alium quemcunque diligere debet tanquam ſeipſum. Cuilibet enim homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas felicitatem hominis alterius cujuſcunque promovendi (§. 615.). Enimvero cui conſtans & perpetua voluntas eſt felicitatem alterius promovendi, is alterum diligit (§. 617.). Unuſquiſque adeo hominum alium quemcunque diligere debet. Jam homo quilibet etiam ſeipſum diligere debet (§. 607.) & quatenus ſe diligit, conſtans ac perpetua ipſi voluntas eſt felicitatem ſuam promovendi (§. 606.). Quoniam itaque eadem ipſi voluntas eſſe debet reſpectu alterius hominis cujuſcunque (§. 615.); ideo patet quatenus ſeipſum & alios diligit, eandem ipſi eſſe voluntatem. Quare hominum unuſquiſque alium quemcunque diligere debet tanquam ſeipſum.

Præcipit ipſe Chriſtus, ut proximum, hoc eſt, hominem, quemcunque alium diligamus tanquam noſmetipſos: ſed non omnes capiunt, quid ſibi velit hoc præceptum, ut adeo non deſint, qui ejus praxin impoſſibilem judicent. Enimvero ex iis, quæ nos demonſtravimus, clariſſime perſpicitur, & quinam ſit genuinus præcepti hujus ſenſus, & præceptum hoc eſſe

juris

Digitized by Google

juris naturalis. Cum olim juris naturalis notitia eſſet admodum imperfecta, nec ſatis intelligeretur, quomodo ex ipſa hominis eſſentia atque natura leges naturales fluant tanquam ex fonte ſuo; nemo hominum alteri naturaliter obligatus exiſtimabatur. Quemlibet tantummodo ſibi obligatum eſſe opinabantur, idea juris naturalis ab imagine deſumpta, qualis in brutis conſpicitur, non attenta differentia, quæ inter animantia bruta atque hominem intercedit, quemadmodum tamen fieri debebat (§. 162 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Hinc nemo hominum alteri obligatus credebatur, niſi quatenus pacto ſeipſum ſponte ſua eidem obligaverat. Unde officia erga alios reſtringebantur ad eos; qui ejuſdem ſocietatis civilis erant membra, extranei autem omnes habebantur pro hoſtibus, in quos continuo nobis ſit jus belli: quæ perverſa opinio hodienum animos quarundam gentium occupavit. Eadem olim erat Hebræis, qui docebant *Matth.* V. 43. Diliges proximum tuum, odio habebis inimicum tuum, Chriſto contrarium inculcante. Etenim per proximum Hebræi intelligebant populares ſuos, per inimicum vero quemvis extraneum, quemadmodum liquet ex Chriſti parabola, qua notionem proximi explicat *Luc.* X. 29. & *ſeqq.*

§. 619.

Unuſquiſque alterum quemcunque amare debet tanquam ſeipſum. Quilibet enim homo ex felicitate alterius cujuſcunque voluptatem percipere debet (§. 616.), quemadmodum conſtat, quod voluptatem percipiat ex felicitate propria, quatenus felicitatem per naturam ſuam appetit (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ejus itaque animus diſpoſitus eſſe debet ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate, quemadmodum voluptatem percipit ex propria. Cujus animus diſpoſitus eſt ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate, quemadmodum voluptatem percipit ex propria, is alterum amat tanquam ſeipſum (§. 633. *Pſych. empir.*). Unuſquiſque igitur alterum quemcunque amare debet tanquam ſeipſum.

Univerſalis omnium hominum amor.

Conſtat ex anterioribus, quomodo dilectionem ab amore diſtinguamus. Illa ſcilicet dicit determinationem generalem appetitus rationalis, qua is propendet in felicitatem hominis alterius cujuſcunque; hic vero affectum, quo appetitus ſenſitivus in eandem propendet (*not.* §. 617.). Nemo igitur miretur, quod ſigillatim oſtenderimus hominem quemcunque a nobis diligi & amari debere. Dum amorem dilectioni jungimus, conſenſum appetitus ſenſitivi & rationalis urgemus, ad quem conſequendum obligati ſumus (§. 267.).

§. 620.

Charitas eſt virtus, qua alios diligimus tanquam noſmetipſos.

Charitas quid ſit.

Nimirum dilectio accipitur pro actu hujus virtutis; ipſe autem habitus charitatis nomine venit. Quamobrem cum vocabulo charitatis utantur autores in Moralibus; noſtrum erat ſignificatum vocis explicare, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod non omittendum videbatur. Sunt equidem qui charitatem pro virtute Chriſtiana eamque cardinalium trium una habent, nec in eo aberrant. Falluntur autem, ſi ſibi perſuadent, quaſi hæc virtus ignota ſit rationi. Quamobrem lubet ſequentem addere propoſitionem.

§. 621.

Ad charitatem ipſa naturæ lege obligamur. Etenim lex naturæ jubet, ut hominem quemcunque alium diligamus tanquam noſmetipſos (§. 618.). Quoniam itaque virtus, qua hominem alterum diligimus tanquam noſmetipſos, charitas eſt (§. 620.); ad charitatem ipſa naturæ lege obligamur.

Obligatio naturalis ad charitatem.

Etſi autem hic oſtendamus, charitatem eſſe ipſa naturæ lege præceptam; non tamen ideo charitatem, quatenus virtutum cardinalium chriſtianarum præcipua eſt, a charitate naturali minime differre contendimus. Manet enim ea differentia, quæ inter omnes virtutes naturales & chriſtianas intercedit: quæ etſi materialiter eædem ſint, formaliter tamen plurimum differunt, quemadmodum in Notis ad Orationem de Sinarum Philoſophia practica me diſer-

tius

Digitized by Google

tius expoſuiſſe memini. Ceterum a charitate ſejungi minime debet amor univerſalis omnium promiſcue hominum, quatenus appetitus ſenſitivus cum rationali ſemper conſentire debet (§. 267.).

§. 622.

Felicitas propria num præponenda alienæ.

Si felicitas propria & aliena inter ſe colliduntur, propria præferenda alienæ. Etenim homo obligatur ad felicitatem propriam promovendam (§. 280.), obligatur etiam ad promovendam alienam (§. 615.). Promovere itaque felicitatem propriam eſt officium erga ſeipſum, promovere alienam vero officium erga alios eſt (§. 226. *part.* I. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ubi felicitas propria & aliena inter ſe colliduntur, officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur. Enimvero ſi officium erga ſeipſum & officium erga alios colliditur, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part.* I. *Phil. pract. univ.*). Ergo ſi felicitas propria & aliena inter ſe colliduntur, felicitas propria vincit, conſequenter propria alienæ præferenda (§. 208. *part.* I. *Phil. pract. univ.*).

Vulgo hoc agnoſcitur, quando dicitur: *Ordinata charitas incipit a ſeipſo*; ſed non ſatis diſtincte concipitur, ac nimis vage enunciatur. Neque enim ſatis determinatur, quandonam quis felicitatem propriam præferre debeat alienæ, ne contra officium aliis debitum peccetur: Videbis enim alios ſui unice rationem habere, alios prorſus negligere, recte ſeſe facere arbitratos, quod ordinata charitas a ſeipſo incipiat.

§. 623.

Repugnantia amoris & odii.

Qui alterum amat, eum odiſſe nequit, & qui alterum odio habet, eum amare nequit. Qui alterum amat, ex ejus felicitate voluptatem percipit (§. 634. *Pſych. empir.*), adeoque voluptatem ex infelicitate ipſius percipere nequit (§. 28. *Ontol.*). Quamobrem cum voluptatem ex infelicitate alterius percipiat, qui eundem odit (§. 662. *Pſych. emp.*); qui alterum amat, eum odiſſe nequit. *Quod erat unum.*

Ex adverſo qui alterum odit, ex ejus infelicitate voluptatem percipit (§. 662. *Pſych. empir.*), adeoque fieri nequit, ut voluptatem percipiat ex ejus felicitate (§. 28. *Ontol.*). Quoniam itaque alterum amat, qui ex ejus felicitate voluptatem percipit (§. 634. *Pſych. empir.*); qui alterum odit, eum amare nequit. *Quod erat alterum.*

Nemo in dubium vocat amorem ac odium ita ſibi invicem opponi, ut in eodem ſubjecto reſpectu ejuſdem objecti una ineſſe nequeant. Noſtrum tamen fuit, ut ex ipſis amoris atque odii notionibus idem demonſtraremus, ne quid ſine evidentia ſumere videamur.

§. 624.

Odium aliorum naturaliter illicitum.

Nemo hominum alterum odio habere debet. Unuſquiſque enim hominum amare alterum debet tanquam ſeipſum (§. 619.). Enimvero qui alterum amat, eum odiſſe nequit (§. 623.). Ergo nemo hominum alterum odio habere debet.

Vides adeo odium, quo alios habemus, naturaliter illicitum eſſe (§. 170. *p.* I. *Phil. pract. univ.*), ac lege naturali ſimpliciter prohiberi, ne alium odio proſequaris, nullo attento diſcrimine perſonarum. Unde ignorantiæ juris naturalis tribuimus opinionem veterum, omnes extraneos, qui ſcilicet nobiſcum non ſunt ejuſdem civitatis membra, odio eſſe habendos aſſirmantium (*not.* §. 618.).

§. 625.

Amicus dicitur perſona, quæ nos amat, ut adeo *Amicitia* ſit duorum pluriumve mutuus amor. *Amicus quisnam ſit.*

Agitur hic de amicitia naturali, qualis ex lege naturæ fluit, quatenus univerſalem omnium hominum amorem præcipit (§. 619.).

§. 626.

Inimicus dicitur perſona, quæ nos odio proſequitur, ut adeo *Inimicitia* ſit duorum pluriumve mutuum odium. *Inimicus quinam ſit.*

Inimicum hic conſideramus in oppoſitione ad amicum. Unde de inimicitia notanda veniunt, quæ de amicitia annotavimus.

§. 627.

Omnes homines ſibi mutuo amici eſſe debent, ſeu quilibet cum altero amicitiam colere debet. Etenim quilibet homo alterum quemcunque amare debet tanquam ſeipſum (§. 619.). Enimvero qui alterum amat tanquam ſeipſum, amicus ejus eſt (§. 625.). Quamobrem quilibet homo alterius cujuſcunque amicus eſſe debet, conſequenter homines omnes ſibi mutuo amici eſſe debent. *Amicitia univerſalis præcepta.*

Ne quis propoſitionem præſentem falſo interpretetur probe tenenda ſunt, quæ de amicitia modo annotavimus (*not.* §. 625.). Notandum præterea eſt, nos hactenus non conſiderare homines niſi in ſtatu naturali, ubi non attenditur differentia eorundem, quæ a ſtatu civili eſt.

§. 628.

Nemo hominum alteri inimicus eſſe debet, ſeu *inimicitia omnis illicita*. Nemo enim hominum alterum odio habere debet (§. 624.). Quamobrem cum inimicus alteri ſit, qui eundem odio proſequitur (§. 626.); nemo quoque hominum alteri inimicus eſſe debet. *Inimicitia prohibita.*

Recte itaque dicitur te omnibus eſſe debere amicum, nemini inimicum. Hoc enim in poteſtate tua poſitum, etſi in ea poſitum non ſit, ut omnes tibi ſint amici, nemo autem inimicus.

§. 629.

Indifferenti in alterum animo eſt, qui neque amicus, neque inimicus eſt, conſequenter alterum nec amat (§. 625.), nec odit (§. 626). *Indifferenti in alios animo quinam ſit.*

Nimirum inter amorem & odium datur tertium, indifferentia animi, propterea quod amor perinde ac odium ſit aliquid poſitivi, quod utrumque ſimul abeſſe poteſt. Qui enim nullam voluptatem percipit ex felicitate alterius, is non propterea voluptatem percipit ex ejus infelicitate.

§. 630.

Indifferentia animi erga alios legi naturæ contraria.

Nemo hominum indifferenti in alios animo eſſe debet. Quilibet enim alterum quemcunque amare debet tanquam ſeipſum (§. 619.). Enimvero qui indifferenti in

ti in alios eſt animo, alterum non amat (§. 629.). Ergo nemo hominum indifferenti in alios animo eſſe debet.

Sunt longe plurimi, qui ſibi perſuadent, ſe abunde ſatisfeciſſe officio ſuo, ſi alios non oderint, nec neceſſe eſſe, ut eos ament, conſequenter ſi indifferenti ſint in alios animo. Enimvero indifferentia hæc legi naturæ è diametro contraria; atque adeo cum ipſa natura humana pugnet. Neque enim ſufficit hominem unum non nocere alteri; verum etiam requiritur, ut proſit alteri, quantum poteſt (*not.* § 609).

§. 631.

An obligatio naturalis ceſſet ex parte tui, ſi alter eidem non ſatisfaciat.

Si alter non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo tibi permiſſum eſt, eidem non ſatisfacere. Pone enim tibi permiſſum eſſe obligationi naturali non ſatisfacere, quia alter eidem non ſatisfacit: obligatio naturalis mutabilis eſt (§. 290. *Ontol.*). Enimvero obligatio, quæ a lege naturæ venit, adeoque naturalis (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo propterea tibi permiſſum non eſt non ſatisfacere obligationi naturali, quia alter eidem non ſatisfacit.

Plerorumque hominum animos occupavit perverſa hæc opinio, quaſi nec ipſi amplius obligentur ad hoc faciendum, vel non faciendum, quod alterum facere, vel non facere vident. Unde ſeſe ſufficienter excuſatos arbitrantur, ubi exemplo aliorum ſeſe tuentur. Similiter ſi quis ipſis ægre fecit, licere ſibi opinantur iiſdem ægre facere. Ac hinc ſe ſatis excuſatos exiſtimant, ſi probare poſſint, quod alter prior ipſis ægre fecerit. Non alia ratio eſt, quam quod immutabilitatem obligationis naturalis non agnoſcant. Equidem imponit ipſis confuſa atque vaga æqualitatis hominum notio, vi cujus ſibi licere ſumunt, quod licet alteri: attamen non perpendunt ſe perperam ſumere, quod alter licite contra obligationem naturalem agat.

§. 632.

Dilectio inimicorum lege naturali præcepta.

Unuſquiſque hominum etiam inimicum quemvis diligere & amare debet tanquam ſeipſum, nequaquam vero odiſſe. Etenim conſtat unumquemque hominum diligere ac amare debere alterum, tanquam ſeipſum (§. 618. 619.), nequaquam vero odiſſe (§. 624.). Qui inimicus tibi eſt, te odit (§. 626., non amat (§. 623.), adeoque obligationi ſuæ naturali non ſatisfacit. Enimvero quia alter non ſatisfacit obligationi ſuæ, propterea tibi permiſſum non eſt, eidem quoque non ſatisfacere (§. 631.). Quamobrem quia alter te non diligit, nec amat, ſed odio potius proſequitur, propterea tibi permiſſum non eſt nec ipſum diligere, atque amare, ſed odio potius habere. Tua igitur eum ſubſiſtat obligatio, hoc non obſtante, quod te non diligat, non amet, ſed odio proſequatur; ipſum tamen adhuc diligere & amare, minime autem odiſſe debes. Patet itaque, quod unuſquiſque hominum etiam inimicum quemvis diligere & amare debeat tanquam ſemetipſum, nequaquam vero odiſſe.

Videmus adeo dilectionem inimicorum eſſe lege naturali præceptam, odium ex adverſo eadem prohibitum, ut adeo errent, qui ſibi aliiſque perſuadere conantur, quaſi Chriſtus hanc virtutem tantummodo urgeat in ſuis, majorem perfectionem in iiſdem exigens, quam lex naturæ præſcribit. Nimirum diligere debes alterum, quia homo eſt, non quia amicus eſt. Quamvis adeo ſit inimicus, non tamen ideo deſinit eſſe homo. Quamdiu autem ratio dilectionis ſubſiſtit, obligatio quoque alterum diligendi non exſpirat. Illa nunquam tollitur, quamdiu homo vivit. Ergo obligatio tua erga ipſum quoque non extinguitur niſi morte ipſius, quando nimirum fieri amplius nequit, ut ipſi proſis.

§. 633.

Amici inimicorum cur eſſe debeamus.

Quoniam inimicos etiam diligere & amare debemus (§. 632.), ejus vero amici ſumus, quem diligimus & amamus (§. 625.); *inimicorum etiam amici eſſe debemus*; ſeu, *ſi quis tuus inimicus eſt, tu tamen ejus eſſe debes amicus.*

Voca-

Vocabulum amicitiæ ambiguum eſt, ob vagam loquendi conſuetudinem. Quamobrem non dubito fore haud paucos qui exiſtimaturi ſunt fieri haud quaquam poſſe, ut quis ſit amicus inimici ſui. Enimvero nulla datur repugnantia notionum. Amicus alterum amat (§ 625.), adeoque voluptatem ex alterius felicitate percipit (§. 634. *Pſych. empir.*) & ad eam promovendam pronus eſt (§. 650 652. *Pſych. empir.*). Ex adverſo autem inimicus eſt, qui alterum odit (§. 626.), adeoque ex infelicitate ejus voluptatem percipit (§. 662. *Pſych. empir.*), & ad eam promovendam pronus eſt (§ 669 671. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo alter tibi inimicus eſt, ex infelicitate tua voluptatem percipit & ad eam promovendam pronus eſt: non tamen ideo neceſſe eſt, ut tu eodem in ipſum ſis animo, nec ideo impoſſibile, ut tu ex ipſius felicitate voluptatem percipias, & ad eam promovendam pronus ſis. Aliud eſt familiaris conſuetudo; aliud amicitia, quarum hæc ſine illa ſubſiſtit.

§. 634.

Inimicitiæ aliorum vitandæ.

Danda homini opera eſt, ne alios ſibi reddat inimicos. Qui enim inimicus tibi eſt, te odit (§. 626.). Quamobrem cum tædia tibi creare, & quo minus voluptate perfundaris, impedire ſtudeat, qui te odit (§. 671. *Pſych. empir.*); inimicus nullam prætermittit occaſionem, qua tibi tædia creare, aut impedire valet, quo minus voluptate perfundaris. Enimvero infelicitati tuæ ſtudet, qui tibi tædia creat, & felicitati tuæ contrarius eſt, qui impedit, quo minus voluptate fruaris (§. 638. 639. *Pſych. empir.*). Inimicus adeo te infelicem reddere, tuamque felicitatem intervertere ſtudet. Homo obligatur addandam operam, ut ſit felix, & ſibi cavendum, ne fiat infelix (§. 280.). Danda igitur ipſi opera eſt, ne alios ſibi reddat inimicos.

Nocere nobis poſſunt, qui prodeſſe nequeunt: id quod experientia abunde loquitur. Noſtrum igitur eſt inimicitiam, quantum in poteſtate eſt, evitare, ne in felicitatem noſtram injurii evadamus. Occaſio nocendi multiplex & tantum non infinita. Quamvis adeo deſint vires commoda tua promovendi, non tamen deſunt vires nocendi. Abjectiſſimus haud raro homo plurimum nocet præpotenti.

§. 635.

Quæ amicitiæ acquirendæ aut conſervandæ gratia fieri non debeant.

Amicitiæ acquirendæ aut conſervandæ gratia faciendum non eſt, quod legi naturæ contrariatur. Pone enim, ſi fieri poteſt, permiſſum tibi eſſe, ut amicitiæ acquirendæ aut conſervandæ gratia facias, quod legi naturæ contrariatur. Obligatio igitur, quæ a lege naturæ venit, non erit immutabilis (§. 290. *conſervan. Ontol.*): quod cum ſit abſurdum (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec amicitiæ acquirendæ aut conſervandæ gratia faciendum eſt, quod legi naturæ contrariatur.

Non eſt, quod objicias, legem naturæ etiam prohibere, ne tibi ullum hominem inimicum reddas (§. 634.): neque enim qui amicitiæ acquirendæ aut conſervandæ gratia non facit, quod legi naturæ contrariatur, alterum ſibi inimicum reddit. Quodſi enim ideo tibi inimicus evadit, non tua hoc ſit culpa, adeoque quod tu eundem tibi inimicum feceris non recte dicitur. Inimicitia adeo alterius hoc in caſu inter ea referri debet, quæ evitari in tua poteſtate non eſt.

§. 636.

Amicitiam conſervandi obligatio.

Operam dare tenemur, ut amicitiam aliorum acquiramus & conſervemus. Qui enim nobis amicus eſt, nos amat (§. 625.), adeoque ex felicitate noſtra voluptatem percipit (§. 634. *Pſych. empir.*) & ad eam promovendam pronus eſt (§. 650. 652. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi ſeſe offerat eam promovendi occaſio, eandem promovere ſtudet. Operam dare tenemur, ut ſimus felices (§. 280.). Quamobrem & operam dare tenemur, ut amicitiam aliorum acquiramus & conſervemus.

Amicitia ſpectanda eſt tanquam medium felicitatis noſtræ. Quamobrem cum obligemur ad felicitatem conſequendam tanquam finem; obligati etiam eſſe debemus ad amicitiam aliorum conſequendam, & conſervandam tanquam medium.

§. 637.

Obligatio quoad habitus facultatum animæ ab aliis conſequendos.

Omni ſtudio in id eniti debemus, ut homines etiam alii conſequantur habitum omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu ſibi poſſibilem. Quilibet enim homo alium quemcunque ipſius ope indigentem juvare debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ut omnia conſequatur animi bona (§. 612.). Quoniam itaque bona animi ſunt, quæ animam perfectiorem reddunt (§. 556. *Pſych. empir.*), facultates autem animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.); in id utique omni ſtudio eniti debemus, ut homines quoque alii omnem conſequantur facultatis cujuslibet habitum acquiſitu ipſis poſſibilem.

Hoc principio generali continetur omne officium erga alios quoad animam: neque enim alio modo alterius animæ prodeſſe potes, quam ſi alterum in acquirendis habitibus ſingularum facultatum animæ juves. Quamprimum adeo ipſemet habitum quendam conſecutus, neceſſe eſt ut velis, omnes omnino homines, ſiquidem fieri poteſt, ejuſdem fieri compotes. Captanda igitur, immo quærenda occaſio, ut huic voluntati ſaltem aliquatenus ſatisfacias, etſi omne deſiderium expleri impoſſibile ſit. Qui amorem & charitatem capit, eidem non obſcura erunt, quæ hic dicuntur. Immo ſi amoris ac charitatis non fuerit expers, veritatem eorum in ſeipſo experietur. Non loquor niſi experta.

§. 638.

Virtutum intellectualium & moralium propagatio.

In propagandis virtutibus intellectualibus & moralibus ſeduli eſſe debemus, ſeu induſtriam noſtram deſiderari minime patiamur opus eſt. Etenim in id omni ſtudio eniti debemus, ut homines etiam alii conſequantur habitum omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu poſſibilem (§. 637.). Quoniam habitus intellectus ſunt virtutes intellectuales, habitus vero voluntatis & noluntatis virtutes morales (§. 547.); in eo induſtriam noſtram deſiderari pati minime debemus, ut alii etiam virtutum intellectualium & moralium fiant compotes, conſequenter in virtutibus intellectualibus & moralibus propagandis ſeduli eſſe debemus.

Quænam ſint virtutes intellectuales, abunde dictum eſt in capite præcedente: quænam ſint morales, & in antecedentibus dictum, & in ſequentibus docetur. Neque adeo opus eſt, ut ſigillatim indigitemus, ad quaſnam virtutes intellectuales & morales alios perducere debeamus, quantum in nobis eſt. Peccant itaque contra hanc naturæ legem, quotquot ſoli virtutibus præſertim intellectualibus inter alios eminere volunt, ac propterea impediunt, ne alii earundem compotes reddantur.

§. 639.

Quod exemplo noſtro aliis prodeſſe debeamus.

Alios exemplo noſtro virtutes intellectuales & morales docere & ad earum ſtudium incitare debemus. In propagandis enim virtutibus intellectualibus & moralibus induſtriam noſtram deſiderari minime debemus (§. 638.). Quamobrem cum exempla definitiones ac propoſitiones in Philoſophia practica, conſequenter quæ de virtutibus intellectualibus & moralibus docentur, illuſtrent (§. 259. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & ut rectius intelligantur, præſtent (§. 260. *part. 2. Phil. pract. univ.*), immo realitatis illarum notionum nos convincant (§. 265. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quænam ab hominibus fieri poſſint oſtendant (§. 266. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & veritatis eorum, quæ docentur, nos convincant (§. 269. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & animum in eadem confirment (§. 270. *part. 2. Phil. pract. univ.*) modumque agendi optime doceant (§. 275. *part. 2. Phil. pract. univ.*), motivum denique agendi præbeant (§. 277. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract.*

pract. univ.); quod ea ad virtutes intellectuales atque morales propagandas plurimum conducant palam eſt. Patet itaque quod alios exemplo noſtro virtutes intellectuales ac morales docere & ad earum ſtudium incitare debeamus.

*) Obligatio hæc a paucis agnoſcitur, etſi maximi ſit momenti. Urget tamen eandem Chriſtus *Matth.* V. 16. Nec ſine hac obligatione intelligitur juſtitia univerſalis, quemadmodum deinceps videbimus. Neque fieri poteſt, ut homo unus alteri magis proſit quam exemplo ſuo, adeoque obligationi, qua aliis tenemur, abundantius ſatisfacere non licet, quam ſi alios exemplo noſtro doceamus & ad virtutis ſtudium excitemus.

§. 640.

Cura corporis alieni.

Quilibet homo obligatur ad facienda ea, quæ ad corporis hominis alterius cujuſcunque conſervationem conferre poteſt. Obligatur enim ad ea facienda, quæ ad corporis ſui conſervationem conferre poteſt (§. 349.). Quoniam itaque alteri cuicunque homini debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608.); ad ea facienda utique obligatur, quæ ad corporis alterius cujuſcunque conſervationem conferre poteſt.

Vides itaque, quænam cura corporis alieni tibi incumbat. Nimirum ſi quis ad conſervationem corporis ſui ope tua indiget, tuque eandem ipſi ferre vales citra neglectum corporis proprii, aut officii alterius, quod cura corporis potius habendum: eandem ipſi ferre teneris. Voluntas vero tua generaliter ita determinata eſſe debet, ut feratur in conſervationem corporis omnium hominum: id quod ex ſupra dictis clarius intelligitur (*not.* §. 615.).

§. 641.

Conſervatio vitæ alienæ.

Quoniam homo obligatur ad conſervandum corpus hominis alterius cujuſcunque, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 640.), corpus autem conſervari nequit, niſi vita conſervetur; *Quilibet* etiam *obligatur ad vitam aliorum hominum conſervandam, quantum in poteſtate ſua eſt.*

Peccant adeo omnes, quibus vita aliorum parum curæ cordique eſt, adeoque parum ſolliciti ſunt, num alii vitam conſervent, an perdant, immo qui parum moventur, ubi viderint alios de vita conſervanda parum cogitantes.

§. 642.

Cura integritatis membrorum alienorum.

Quantum in nobis eſt, ea lubenter facere debemus, quæ ad conſervandam integritatem omnium organorum corporis alieni conferre valemus. Cum enim unuſquiſque integritatem omnium organorum corporis conſervare teneatur (§. 372.); propoſitio præſens eodem modo oſtenditur, quomodo curam conſervandi corpus alienum demonſtravimus (§. 640.).

Poterat hæc obligatio ſub ipſa obligatione corporis conſervandi comprehendi. Si enim corpus integrum conſervari debet, ſingula quoque ejus organa integra conſervanda.

§. 643.

Cura ſanitatis alienæ.

Quæ ad conſervationem ſanitatis aliorum conferre valemus, ad ea conferenda prompti eſſe debemus. Etenim omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum corpus alterius requiritur, quatenus id abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609.). Quamobrem cum perfectio corporis tamdiu ſubſiſtat, quamdiu corpus ſanum eſt (§. 391.); quæ ad confer-

ſervationem ſanitatis aliorum conferre valemus, ad ea conferenda prompti eſſe debemus.

Quoniam homo ſanitatem ſuam conſervare debet, ſeu obligatur ad eas actiones committendas, quæ ad ſanitatem conſervandam tendunt (§. 393.); idem eodem modode monſtrari poterat, quo ante curam conſervandi corporis alieni oſtendimus (§. 640.).

Hominea curam ſanitatis propriæ vulgo abjiciunt &, quamdiu valent, parum de ea conſervanda cogitant, immo ne moniti quidem ſibi cavent a cibo ac potu inſalubri. Quid ergo mirum, quod nulla prorſus cura ſanitatis alienæ eoſdem tangat? offi ium tamen hoc tanto magis vigare debebat, quanto rarior eſt cura ſanitatis propriæ, quæ haud raro ignorantiæ rerum ſalubrium & inſalubrium debetur. Quamobram contra hoc officium peccant etiam Medici & Phyſici, quod cognitionem tuendi ſanitatem corporis non ad majorem certitudinem & majorem evidentiam perducant, ut taceamus alia, quæ Politici ſunt, ſuo tempore demonſtranda. Neque enim hic principia in nullum uſum ex generali deducimus, ſed quod iiſdem in ſequentibus ad alia demonſtranda utemur. Suffecerat enim alias tantummodo provocaſſe ad ea, quæ de perficiendis anima, corpore & ſtatu externo in capite præcedente demonſtrata fuerunt, cum officia erga ſemetipſum explicaremus. Enimvero etſi hoc ſufficare poterat iis, qui tantummodo noſſe deſiderant, quænam debeantur aliis officia; non tamen ſufficiunt, ubi alia tum in Jure naturæ, tum etiam in Philoſophia morali & civili inde demonſtranda ſunt, niſi moleſtia repetitionibus demonſtrationes prolixas reddere voluaris.

§. 644.

Cura circa cibum ac potum veſtimenta & ædes quoad alios.

Quicquid ad hoc conferre valemus, ne deſit aliis cibus ac potus ſalubris, nec deſint veſtimenta neceſſaria atque commoda, neque ædes etiam commodæ ac pulchræ; id prompte facere debemus. Etenim homo ad conſervationem corporis cibo ac potu opus habet (§. 380.), nec uti debet niſi ſalubri (§. 399.) veſtibus quoque corpus contra injurias aeris tueri debemus (§. 450.). Quoniam itaque prompte conferre debemus, quæ ad conſervationem ſanitatis aliorum conferre valemus (§. 643.); quicquid ad hoc conferre valemus, ne deſit aliis cibus ac potus ſalubris, nec deſint veſtimenta neceſſaria, id prompte facere debemus. *Quod erat unum.*

Veſtibus utendum eſt commodis (§. 452.), commodæ etiam extruendæ ſunt ædes (§. 469.) ac pulchræ (§. 473.). Quoniam itaque quilibet alteri cuicunque debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608.); quicquid ad hoc conferre valemus, ne aliis deſint veſtimenta commoda & ædes commodæ ac pulchræ, id prompte facere debemus. *Quod erat alterum.*

Multa hic paucis complectimur, quæ ſua ſponte patent, quoties occaſio agendi ſuppeditatur, applicatione principii generalis ad caſus particulares obvios facta.

§. 645.

Obligatio quoad commoditatem ac jucunditatem vitæ alienæ.

Quicquid facere potes, ut alii vitam commode ac jucunde tranſigant, ad hoc faciendum obligaris. Ipſe enim obligaris ad vitam commode (§. 466.) & jucunde tranſigendam (§. 471.). Quoniam igitur aliis debes, quod tibi, quantum in poteſtate tua eſt (§. 608. 610.); quicquid facere potes, ut alii vitam commode ac jucunde tranſigant, ad hoc faciendum obligaris.

Spectat vitæ commoditas & jucunditas ad felicitatem hominis, etſi ad eandem non abſolute neceſſaria ſit, quemadmodum ex demonſtratione obligationis vitam commode ac jucunde tranſigendi liquet (§. 466. 471.). Quamobrem cum homini unicuique conſtans ac perpetua eſſe debeat voluntas felicitatem alterius promovendi (§. 615.); conſtans quoque & perpetua ipſi voluntas eſſe debet faciendi omnia, quæ facere poteſt, ut alii vitam commode ac jucunde tranſigant. Quodſi adeo charitas occupaverit animum tuum, hæc ipſa efficiet, ne deſis quemadmodum ulli, ita etiam huic obligationi erga alios.

§. 646.

§. 646.

Quousque extendatur obligatio erga alios.

Si in poteſtate tua fuerit efficere, ut alius conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quo ipſemet cares & quod pro rerum ſuarum ſtatu conſequi ipſemet minime potes; ad hoc faciendum alteri obligaris. Alium enim quemcunque ope tua indigentem juvare debes, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ quævis bona, quantum in poteſtate tua eſt (§. 612.). Quamobrem ſi in poteſtate tua fuerit efficere, ut alius conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quo ipſemet cares, & quod pro rerum tuarum ſtatu conſequi minime potes, cum per hoc, quod ipſemet idem conſequi non poſſis, in poteſtate tua eſſe non deſinat (§. 610.); quin ad hoc faciendum obligeris dubitandum non eſt.

Obligatio hæc vulgo parum agnoſcitur, etſi maximi ſit momenti. Unde peccare ſibi non videntur, qui contra eam faciunt. Subinde tamen eidem homines dant locum, ubi alterum impenſe amant: quando enim tale quid fit ob rationes quaſcunque extrinſecas, actus quidem externus legi naturæ convenit, ſed non ex virtute procedit, neque voluntatem ſervandi naturæ legem loquitur. Dubium forſan movebit incautus, quaſi hic obligatio erga alios ultra terminos amoris ac charitatis extendatur. Etenim alios diligere ac amare debemus tanquam noſmetipſos (§. 618 619.). Qui vero efficit, ut alter conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quo ipſemet caret; alterum diligere ac amare magis videtur, quam ſeipſum. Enimvero plurimum fallitur, qui ita ſentit. Etenim amor exigit, ut ex alterius felicitate eandem voluptatem percipias, quam percepturus eras, ſi propria eſſet, & dilectio poſtulat, ut alterius felicitatem & perfectionem promoveas, quando ejus promovendi occaſio offertur, eodem ſtudio, ac ſi propria eſſet. Non igitur alterius felicitas & alterius perfectio, ad quam promovendam obligaris, æſtimanda ex tua; ſed ſtudium, quod in eo collocare debes, æſtimari debet ex poteſtate tua. Voluntas felicitatem & perfectionem alterius promovendi eundem tibi æquat; ſed quemadmodum minime obſtat, quo minus alterum diligas & ames tanquam teipſum, quod felicitatem propriam alienæ præferas (§ 622.); ita nec charitati atque amori huic adverſatur, quod alterum juves in conſequendis bonis animi, corporis ac fortunæ, quæ ipſemet conſequi nequis. Si ex notionibus diſtinctis ratiocineris, nihil difficultatis circa propoſitionem præſentem deprehendes, nec dura videbitur obligatio, niſi quatenus affectibus perverſis, veluti invidia & odio, atque vitiis, veluti faſtu ac ſuperbia, in tranſverſum agitur animus. Sed de hiſce apertius dicendum in Philoſophia morali, ubi impedimenta recenſenda, quo minus officiis erga alios ſatisfaciamus. Ne tamen quicquam prætermiſiſſe videamur, quod ad agnoſcendam obligationem, de qua hic loquimur, facit; demus aliquod exemplum. Ponamus te duxiſſe uxorem inopem: adeſt vero occaſio, qua alteri, qui uxorem ducere voluerit, divitem ſociare poſſis, cum tu eam ducere non poſſis, auxilio tuo eidem deeſſe minime debes, neque enim hic fortuna tua colliditur cum fortuna alterius, ut propriam alienæ præferre licitum ſit. Invidiæ aut ſuperbiæ tribuendum, ubi fortunas alterius tuis eſſe non vis meliores, aut rationes extrinſecæ aliæ adſunt, quibus permotus ipſi denegas auxilium tuum.

§. 647.

Quanti alios exiſtimare debeamus.

Unusquiſque alterum tanti exiſtimare debet, quanti meretur. Obligamur enim ad cognoſcendum perfectiones animæ ac corporis ſtatuſque externi aliorum & uſum, quem faciunt, facultatum in illis promovendis, imperfectionibus vero arcendis (§. 193.). Per ſe patet, quod verum eſſe debeat de perfectione alterius judicium, cum eandem non cognoſcat, qui falſum fert de ea judicium (§. 505. *Log.*). Quoniam itaque judicium de perfectione alterius exiſtimatio eſt (§. 538.) & tantundem perfectionis alteri tribuitur, quantum convenit, ubi verum fuerit judicium (§. 506. *Log.*); tanti omnino unusquiſque alterum exiſtimare debet, quanti meretur.

Obligationi huic ſatisfacere difficillimum eſt: neque enim tam facile eſt verum de perfectione alterius ferre judicium. Cum perfectio acquiſita ſint virtutes intellectuales, & morales (§. 548.), conſtet autem haſce non innoteſcere niſi per facta alterius, quæ per illas determinantur; non modo virtutum intellectualium atque moralium notiones diſtinctas habere debet, verum etiam certus ſit neceſſe eſt actus externos non per rationes quaſdam extrinſecas determina-

minari, ſed ex virtute procedere, qui verum de perfectione alterius judicium formare voluerit. Id vero non eſſe cujuſvis, nemo diffitebitur.

§. 648.

Quantum honoris & laudis debeamus alteri.

Unuſquiſque alteri honorem exhibere debet, quem meretur, & tantum tribuere laudis, quantum meretur. Unuſquiſque enim alterum tanti exiſtimare debet, quanti meretur (§. 647.), cumque hoc aliis innoteſcere non poſſit, niſi verbis & factis id ſignificemus; quanti alterum exiſtimet, tam verbis, quam factis ſignificare tenetur. Enimvero in actibus externis, quibus ſignificatur, quanti alterum exiſtimemus, honor conſiſtit (§. 538.), verbis vero, quibus noſtrum de perfectione alterius judicium ſignificatur, laus abſolvitur (§. 541.). Quamobrem unuſquiſque alteri honorem exhibere debet, quem meretur, ac tantundem tribuere laudis, quantum meretur.

Non hic loquimur de honore civili, qui in ſtatu civili convenit hominibus, & haud raro nonniſi in opinione conſiſtit; ſed de naturali, qui in veritate conſiſtit. Quoniam vero honor verus, quem naturalem hic dicimus, & laus vera exiſtimationem alterius a veritate non recedentem ſupponit; ideo difficillimum exiſtimari debet meritum cuique decernere honorem ac inprimis meritam tribuere laudem. Inde eſt quod vocabula & phraſes, quibus aliorum laudes efferimus, ſignificatum vulgo habeant admodum vagum. Ceterum in Moralibus traduntur ſigna virtutûm tam intellectualium, quam moralium, ut verum de virtutibus alterius judicium ferri poſſit: quæ adeo uſui ſunt in determinanda exiſtimatione & honore atque laude debita.

§. 649.

Quatenus bona corporis & fortunæ pariant exiſtimationem, honorem ac laudem.

Bona corporis & fortunæ non pariunt exiſtimationem, honorem ac laudem, niſi quatenus concurſu virtutum intellectualium & moralium fuerunt acquiſita. Etenim facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta hominem exiſtimatione, honore atque laude dignum probant (§. 552.). Quamobrem cum quoad bona corporis ac fortunæ homini nihil tribui poſſit, niſi quatenus ſine ipſius facto non fuerunt acquiſita; nec bona corporis & fortunæ exiſtimationem, honorem ac laudem pariunt, niſi quatenus concurſu virtutum intellectualium & moralium fuerunt acquiſita.

Inter bona corporis eminet ſanitas: quodſi ea tota naturæ tribuenda, nihil tibi exiſtimationis, nihil laudis parit, neque adeo propterea honore quodam dignus es. Enimvero ſi ſanitate frueris, propterea quod temperantiæ ac ſobrietati deditus: ſanitas exiſtimationem ac laudem parit, quatenus temperans es, adeoque ſanitas tantummodo indigitat te eſſe exiſtimatione ac laude dignum, tantam nempe mereri, quantam temperantia & ſobrietas parit. Pulchritudo bonum corporis eſt: quoniam vero naturæ tota debetur, nec ea a virtutibus intellectualibus ac moralibus ullo modo pendet, ea nec exiſtimationem, neque honorem ac laudem parere poteſt. Non eſt quod excipias, experientiam contrarium loqui. Exiſtimari enim virgines ob pulchritudinem, immo honore magno haberi ac laudari. Tenendum nimirum, nos hic non loqui de eo, quod fit, ſed quod fieri debet, nec laudari virginem, ſi pulchra dicitur, ſed tantummodo dici pulchram, neque confundendam eſſe voluptatem, quæ ex pulchritudine percipitur, cum exiſtimatione vera ac debita. Similiter divitiæ bona fortunæ ſunt. Quodſi eas hæreditate a parentibus aut agnatis fuiſti conſecutus, nullam exiſtimationem, nullam laudem pariunt, nec propterea honore dignus es. Quatenus vero labore ac diligentia eas acquiſiviſti & prudentia œconomica conſervaſti, immo quatenus in iis acquirendis a juſtitiæ tramite nunquam deflectere viſum fuit, eatenus exiſtimationem & laudem pariunt, in tantum laudandus, in quantum diligentia, prudentia œconomica & juſtitia, quam probaſti, laudanda, tantuſque tibi debetur honor, quantum hæ virtutes merentur.

Digitized by Google

§. 650.

Operam dare debemus, ut qui merentur, famam conſequantur. Cum enim unuſquiſque alteri tribuere debeat laudem, quam meretur (§. 648.); quotieſcunque fert occaſio, aliis illius virtutes intellectuales & morales (§. 550.), factaque inde profecta recenſere debet (§. 551.). Quoniam hinc naſcitur in animis hominum communis de virtutibus intellectualibus & moralibus opinio; accidit deinde ut communis ſit omnium de iiſdem ſermo, quoties de ipſo loquendi occaſio ſuppeditatur. Sermo hic fama hominis eſt, eaque bona (§. 553.). Patet itaque nos operam dare debere, ut, qui merentur, famam conſequantur.

Cura circa famam aliorum.

Non minus adeo rationem famæ alienæ, quam propriæ habere debemus (§. 554.). Quamobrem præſentem quoque propoſitionem vi principii generalis (§. 608) inferre poteramus. Quodſi charitas & amor aliorum hominum præſupponatur, exinde non minus fluit cura famæ alterius. Fama frui pars quædam felicitatis noſtræ eſt, quatenus ex ea voluptatem percipimus innocuam. In aliorum adeo felicitatem cum propendeat animus, quos diligimus & amamus; eorum quoque fama delectamur, quatenus eadem delectamur ipſi, eandem quoque appetimus. Atque ſic amor ſtimulum addit, ut aliorum famæ ſtudeamus.

§. 651.

Bona corporis & fortunæ ad felicitatem hominis quid conferunt, quatenus ex iis innocua percipitur voluptas. Etenim ſi bonum cognoſcimus, voluptatem ex eo percipimus (§. 558.). *Pſych. empir.*). Quamobrem ubi animum ad bona corporis & fortunæ attendimus, ex ipſis quoque voluptatem percipimus. Etſi adeo bona corporis & fortunæ non ſint in poteſtate tua, & eatenus voluptas ex iis percepta pro tranſitoria habenda (§. 385. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quatenus tamen innocua eſt *per hypoth.* felicitatem auget (§. 286.). Bona igitur corporis & fortunæ ad felicitatem hominis quid conferunt, quatenus ex iis innocua percipitur voluptas.

Bona corporis & fortunæ num quid conferant ad felicitatem.

Non eſt quod excipias ſine probatione ſumi, voluptatem ex bonis corporis & fortunæ perceptam eſſe innocuam. Etenim cum bona corporis & fortunæ per hoc non deſinant eſſe bona vera, quod non ſint in poteſtate tua; voluptas, quæ ex iis percipitur, vera eſt (§. 559. *Pſych. empir.*), adeoque in ſe innocua (§. 388. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi vero bona corporis & fortunæ dent cauſam tædii, id ex accidente eſt, quatenus iiſdem abuteris.

§. 652.

Qui aliorum perfectionem promovet, eorum quoque felicitatem promovet, & qui aliorum felicitatem promovere vult, eorum perfectionem promovere debet. Perfectio animæ acquiſita ſunt virtutes intellectuales & morales (§. 548.), quæ vero corpus & ſtatum externum perficiunt, bona corporis atque fortunæ (§. 556. *Pſych. empir.*). Qui ergo aliorum perfectionem promovet, quicquid in poteſtate ſua eſt, ad hoc confert, ut alii virtutum intellectualium atque moralium, bonorum corporis ac fortunæ fiant participes. Virtute homines fiunt felices (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & bona corporis atque fortunæ ad felicitatem hominis quidpiam conferunt, quatenus innocua ex iis percipitur voluptas (§. 651.). Qui adeo aliorum perfectionem promovet, eorum quoque felicitatem promovet. *Quod erat unum.*

Nexus perfectionis & felicitatis promovendæ.

Qui aliorum felicitatem promovet, is curare debet, ut alii eorum fiant participes, ſine quibus nemo felix eſſe poteſt & quæ ad felicitatem hominis quidpiam conferre valent. Enimvero ſine virtutibus nemo felix eſſe poteſt (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & corporis atque fortunæ bona ad felicitatem

Digitized by Google

hominis quidpiam conferunt (§. 651.). Quamobrem qui aliorum felicitatem promovet, operam dare debet, ut alii virtutum intellectualium atque moralium fiant participes, & bona corporis atque fortunæ conſequantur. Virtutes intellectuales & morales ſunt perfectio animæ, quam acquirere valet (§. 548.) & bona corporis corpus, bona fortunæ ſtatum externum perficiunt (§. 556. *Pſych. empir.*). Quare qui felicitatem aliorum promovere vult, perfectionem quoque eorum promovere debet. *Quod erat alterum.*

Nimirum virtutes morales & intellectuales, quarum iſtæ ſine his eſſe nequeunt, ſiquidem nullo defectu laborare debent, adeoque bona animi ſola hominem reddunt felicem; bona autem corporis & fortunæ, ubi illis accedunt, eandem augent. Quamobrem ſi vis alios eſſe felices, velle debes, ut virtutibus moralibus ac intellectualibus ſint inſtructi, atque bona corporis & fortunæ conſequantur. Alias enim bona apparentia cum veris confundis, & dum vis homines eſſe felices, non niſi apparentem eorum felicitatem promovere ſtudes, conſequenter finem, quem intendis, minime conſequeris. Qui ea animo comprehenſa tenet, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtrata ſunt, ei manifeſta ſunt, quæ hic dicuntur.

§. 653.

Quo tendat dilectio aliorum. Quoniam qui aliorum felicitatem promovet, eorundem perfectionem promovet, (§. 652.), qui vero alterum diligit, ei conſtans ac perpetua voluntas eſt aliorum felicitatem promovendi (§. 617.); *qui alterum diligit, ei conſtans ac perpetua voluntas eſt aliorum perfectionem promovendi.*

§. 654.

Charitatis extenſio. *Charitas complectitur omnia officia hominis erga alios.* Charitas enim virtus eſt, qua alios diligimus tanquam noſmetipſos (§. 620.). Quoniam itaque qui alterum diligit, ei conſtans & perpetua voluntas eſt alterius perfectionem promovendi (§. 653.); charitas conſiſtit in conſtante & perpetua voluntate perfectionem alterius promovendi. Lex naturæ præcipit, ut ad aliorum hominum perfectionem conferamus, quantum conferre valemus (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ut omnes actiones omittamus, quæ ad ejus vel ſtatus ejuſdem imperfectionem tendunt (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter omnis actio, qua perfectio alterius promovetur, imperfectio vero arcetur, legi naturali conveniens, adeoque officium erga alios eſt (§. 224. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque iſta lege naturæ omnes actiones, quas aliis naturaliter debemus, comprehendantur, eædem actiones omnia erga alios officia abſolvunt. Patet itaque charitatem complecti omnia officia hominis erga alios.

Inde eſt, quod ipſe Chriſtus officia erga alios ſummatim urgens jubeat alios diligere tanquam noſmetipſos. Et ubi charitas animum tuum occupavit, cetera officia erga alios quæcunque ex hoc fonte ſua quaſi ſponte propullulant, modo intellexeris in dato quocunque caſu, quænam ea ſint. Atque hinc intelligitur, quantum momenti in eo ſitum ſit, ut hujus virtutis compotes reddamur, ſiquidem aliis nos tales præbere voluerimus, quales debemus.

§. 655.

Officia humanitatis quænam ſint. *Officia humanitatis* ſunt officia erga alios, quibus eorum perfectio, conſequenter felicitas (§. 652.) promovetur.

Dicuntur ita, quod homo iiſdem ſatisfaciens ſe præbeat homini hominem, cum homines per eſſentiam atque naturam ſuam obligentur ad perfectionem ſuam conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ac hinc unuſquiſque eorum ad perfectionem alterius conferre debeat, quantum valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut adeo lex naturæ homines in univerſum omnes mutuo amore copulari velit, ut una quaſi fiant perſona moralis, cujus

ſingu-

ſinguli ſingula membra ſunt, ſicque totum genus humanum conſervetur & felicitate fruatur, quemadmodum corpus humanum conſervatur, & ſanitate fruitur, membro quolibet agente quod ſuum eſt, quod ſcilicet uſu facultatum unius cujuſque hominis præſtari poteſt. Quicquid igitur hactenus demonſtravimus de obligatione hominis, qua tenetur aliis, id omne ad officia humanitatis pertinet.

§. 656.

Obligatio interna & externa.

Obligatio interna dicitur, quatenus ſpectatur in conſcientia: *externa* autem, quatenus ſpectatur inter homines, adeoque effectum quendam juris inter eos ſortitur. Unde patet, *differentiam inter obligationem perfectam & imperfectam reſpicere obligationem externam*, quippe quarum hæc alteri tribuit jus te cogendi, ut obligationi ſatisfacias, niſi eidem ſponte ſatisfacere velis, atque adeo effectum quendam juris inter homines ſortitur (§. 236. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Ex. gr. Crœſus obligatur ad dandum Lazaro eleemoſynam, & hoc ubi facere detrectat, peccat. Unde conſcientia Crœſum damnat, quod non dederit eleemoſynam, quam dare debebat. Obligatio itaque dandi eleemoſynam interna dicitur, quatenus ad conſcientiam Crœſi refertur. Atque hinc etiam dici ſolet, Crœſum in conſcientia obligari ad eleemoſynam Lazaro dandum. Enimvero cum Lazaro nullum competat jus te cogendi, ut ipſi eleemoſynam des, ubi ſponte tua hoc facere nolis; obligatio iſta nullum habet effectum juris inter homines. Et eatenus dicitur externa. Quamobrem cum imperfecta appelletur, non perfecta, qualis eſt conductoris ad ſolvendam mercedem; imperfecta non dicitur niſi quatenus extra conſcientiam ſpectatur.

§. 657.

Quo pertineat obligatio externa.

Quoniam obligatio interna in conſcientia, externa vero inter homines ſpectatur (§. 656.), vi libertatis autem naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum non facit (§. 156.); *obligatio externa ſpectatur in iis actionibus, quæ relationem ad alios involvunt*, conſequenter *nonniſi in officiis erga alios*.

Nimirum quamdiu alter nil facit contra jus tuum, ipſius conſcientiæ relinquendum, quid agat (§. 157.), neque tibi rationem reddere tenetur, cur hoc faciat (§. 158.), niſi libertatem naturalem tollere velis (§. 153. 154.). Quamdiu itaque tua non refert, quid agat alter; obligationi nonniſi internæ locus eſt. Aſt ubi tua intereſt, quid agat, externa quoque obligatio ſpectanda, cui num ſatisfecerit, tuum eſt judicium. E. gr. Vendit ſtudioſus quidam librum, quo carere nequit, ſi ſtudiis operam debitam impendere velit, expenſarum voluptuariarum gratia. Eum minus recte facere confitentur omnes, adeoque agnoſcunt, eum obligari ad actionem hanc omittendam, conſequenter ad librum non vendendum. Obligatio hæc interna eſt; cum ſpectatur in conſcientia, quæ minus recte facientem damnat. Vi libertatis naturalis conſcientiæ hujus ſtudioſi relinquendum, quid faciat, nec tibi rationem reddere tenetur, cur librum vendat. Quodſi eundem emis, tua intereſt, ut pretium offerenti librum tradat, quemadmodum ex contractu obligatur. Obligatio adeo tradendi librum externa eſt, quatenus ſpectatur in actione, quæ te reſpicit, adeoque tuum quoque eſt de eadem judicium. Patet adeo obligationem externam ab interna utiliter diſtingui. Interna quoque obligatio eſt tradendi librum, quatenus venditor in conſcientia judicat, quid facere debeat, ut juſte agat.

§. 658.

An ad officia humanitatis cogi quis poſſit.

Nemo hominum habet jus ad officia humanitatis alterum cogendi. Etenim officia humanitatis ſunt, quibus promovetur perfectio alterius (§. 655.). Enimvero nemo hominum habet jus cogendi alterum, ut perfectionem ſuam ſtatuſque ſui perfectionem promoveat (§. 234. *part. 1. Phil. pract univ.*). Ergo nemo hominum habet jus cogendi alterum ad officia humanitatis.

Officium humanitatis eſt, ut alter tibi mutuo det frumentum, quo maxime indiges, ut auxilium ferat in periculo conſtituto: ſed nemo ad hoc cogi poteſt. Nemo excipiat contractum mu-

tui perperam referri ad officia humanitatis: neque enim contractum mutui ad officia humanitatis referimus, ſed quod quis velit eundem inire, officio humanitatis tribuimus. Conſilium impertiri alteri in re dubia officium humanitatis eſt: nemo autem cogi poteſt, ut conſilium alteri impertiatur.

§. 659.

Ad officia humanitatis qualis ſit obligatio.

Ad officia humanitatis alteri non perfecte, ſed imperfecte tantummodo obligamur. Etenim perfecte mihi obligaris, ſi ubi obligationi ſatisfacere nolueris, mihi competit jus te cogendi, ſeu vi adigendi, ut hoc facias (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), imperfecte autem, ſi tale jus mihi non competit (§. 238 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero nemini hominum competit jus cogendi alterum ad officia humanitatis (§. 658.). Ergo ad officia humanitatis alteri non perfecte, ſed imperfecte tantummodo obligaris.

Atque hinc clarius intelliguntur, quæ de differentia inter obligationem internam & externam paulo ante annotavimus (*not.* §. 656.). Officia humanitatis alteri ita debemus, ut nobis liberum non ſit, utrum ea præſtare velimus, nec ne, ſed faciendum omnino eſt, quod officium exigit. Enimvero ubi non feceris, patienter ferendum alteri, neque ipſi ullum competit jus vi te adigendi, ut facias quod urget officium.

§. 660.

Obligatio perfecta ad officia humanitatis cur libertati repugnet.

Obligatio perfecta ad officia humanitatis libertati naturali repugnat. Etenim nemo tenetur perfectionem alterius promovere, niſi quatenus id abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt atque uſus facultatum ipſius hoc permittit (§. 609.), ſeu quantum in poteſtate ſua eſt (§. 611.), Enimvero vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum non facit (§. 156.), adeoque ipſius eſt judicium, num perfectionem tuam promovere poſſit abſque neglectu officii erga ſeipſum, & num uſus facultatum ſuarum hoc permittat, non tuum. Libertati adeo naturali contrariatur, ſi ipſum cogere velis, ut tuum ea in re ſequatur judicium. Quamobrem cum perfecta non detur obligatio, niſi tibi ſit jus alterum cogendi, ut eidem ſatisfaciat (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad officia autem humanitatis cogendi alterum nemo hominum jus habeat (§. 658.); obligatio perfecta ad officia humanitatis libertati naturali repugnat.

Atque ita liberavimus fidem datam (*not.* §. 234. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), dum oſtendimus, obligationem perfectam promovendi alterius perfectionem cum libertate naturali conſiſtere minime poſſe. Libertas naturalis jus naturale eſt: ſi daretur jus cogendi ad officia humanitatis, foret utique idem jus etiam naturale. Jus itaque naturale unum alteri contrarium eſſet: quod utique abſurdum.

§. 661.

Quale jus nobis competat ad officia humanitatis.

Homini non competit jus petendi ab altero officium quoddam humanitatis, niſi quando hoc, quod petit, ipſemet facere nequit. Etenim homini jus eſt petendi ab aliis, ut ea conferant ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem, quæ ipſemet facere nequit (§. 234. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque officiis humanitatis promovetur perfectio alterius (§. 655.); homini non competit jus petendi ab altero officium quoddam humanitatis, niſi quando hoc, quod petit, ipſemet facere nequit.

Obligationis perfectæ & imperfectæ differentia nulla eſt reſpectu internæ (§. 656.): unde eſt, quod nonnulli affirment obligationem omnem eſſe perfectam, & jus tantummodo in perfectum atque imperfectum diſtinguant. Quemadmodum itaque aliis obligationibus reſpondent

ſau

ſua jura; ita etiam obligationi, quæ adhæret officiis erga alios, reſpondet jus petendi ex parte ejus, cui obligatus es, ut adeo ægre ferre non debeas, ſi alter imploret opem tuam, qua indiget, cum hoc faciat ſuo jure.

§. 662.

Quando nullo jure petimus ab altero officium humanitatis.

Quodſi ergo, quod ab altero petis, ipſemet facere ſeu proprio facultatum uſu conſequi vales, nullo jure hoc petis. (§. 661.).

E. gr. Si eleemoſynam petit, qui labore ſuo acquirere valet ea, quibus ad tolerandam vitæ neceſſitatem opus habet, eandem nullo jure petit. Quotieſcunque igitur vis officium quoddam humanitatis ab altero tibi præſtari, antequam hoc petas, inquirendum tibi eſt, an jure hoc petere poſſis.

§. 663.

Officiorum perfectorum & imperfectorum differentia.

Ex jam dictis patet, quo ſenſu aliqui officia in perfecta & imperfecta diſtinguant. Nimirum *Perfecta* dicuntur *officia*, ad quæ perfecte alteri obligaris: & *Imperfecta* vocantur, ad quæ nonniſi imperfecte obligaris alteri, quatenus ſcilicet ſermo eſt de obligatione externa (§. *656.*). Quoniam itaque ad officia humanitatis alteri nonniſi imperfecte obligaris (§. 659.); *officia humanitatis imperfecta ſunt.*

Si diviſionem obligationis in perfectam & imperfectam admittis; admittere etiam debes diviſionem officiorum erga alios in perfecta & imperfecta. Et, ſi differentiam utrobique rite interpreteris, quemadmodum a nobis factum eſt (§ 656.), nihil quoque abſurdi habet diviſio, quod ſit a veritate alienum. Cavendum tamen, ne ad obligationem internam trahas, quod de externa dicitur, quaſi ad officia imperfecta minus obligeris, quam ad perfecta, ita ut libertati tuæ relictum ſit, utrum facere velis, quod eſt officii, nec ne, veluti num alterius perfectionem, conſequenter felicitatem promovere velis, an nolis. Sane non minus neceſſe eſt, ut alterum ames tanquam teipſum, adeoque pro virili conferas ad ejus perfectionem & felicitatem, quod conferre vales, quam ut creditori ſolvas pecuniam, quam debes. Quamobrem ſano ſenſu accipienda ſunt verba ***Pauli*** JCti, quando ***l. 17. ff. de Commodato*** ait, quædam voluntatis & officii magis, quam neceſſitatis eſſe, ad differentiam hanc animum attendens, de qua jam nobis ſermo eſt. Nimirum officia imperfecta voluntaris magis eſſe dicuntur, quam neceſſitatis, quatenus a voluntate tua pendet, utrum eadem adimplere velis, nec ne, quoad ceteros homines; cum nemo eorum jure te cogere poſſit, ut hoc facias. Si tamen eadem officia reſpectu tui conſideres, neceſſitatis ſunt, non voluntatis. Quoniam enim per ipſam eſſentiam atque naturam tuam ad ea obligaris, neceſſe omnino eſt, ut facias, quod præſcribit officium (§. 118. ***p. 1. Phil. pract. univ.***), adeoque interna obligatio libertatem voluntatis reſtringit: ſit ita quod externa eam intactam relinquat, nec a voluntate hominis alterius dependentem faciat. In obligatione interna ſpectatur dependentia tua a lege, conſequenter a voluntate Dei, legis naturalis autore (§. 273. ***part. 1. Phil. pract. univ.***); in externa vero independentia a voluntate hominis alterius, in qua libertas naturalis, jus quod a natura habes, conſiſtit (§. 146.). Quos terminus obligationis imperfectæ offendit, illi notione vaga & confuſa, quam vocabuli derivatio ſubminiſtrat, deluduntur, cum ſibi perſuadeant, quaſi defendatur, deeſſe aliquid obligationi, ut tanta non ſit neceſſitas ex parte tui eidem ſatisfaciendi, quam alteri, ſeu quaſi lex naturæ te minus obliget ad hæc facienda, quam ad alia: in quo tamen oppido falluntur.

§. 664.

An non petentis perfectionem promovere debeamus.

Si alter ſibi non ſufficit ad perfectionem ſuam promovendam, & nos ad eandem quidpiam conferre valemus, altero non petente idem facere debemus. Unusquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conſerre obligatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), non tamen ea conferre tenetur, quæ ipſemet facere poteſt (§ 232. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Alteri adeo obligaris ad perfectionem ipſius promovendam, quia ope tua indiget, & tu eandem ipſi ferre vales, abſque ſcilicet

cet neglectu officii erga teipſum (§.608.). Neceſſe igitur eſt, ut ad alterius perfectionem conferas, quod potes, hac ſola de cauſa, quia alter ſibimetipſi in ea promovenda non ſufficit, ſed ope aliena indiget, & quia tu eandem ipſi ferre vales, citra ullum ſcilicet neglectum officii erga te ipſum (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter neceſſe non eſt, ut opem tuam imploret. Patet itaque nos altero non petente perfectionem ipſius promovere debere, ſi alter ſibi ea in re non ſufficit, nos vero ad eandem quidpiam conſerre valemus.

Quemadmodum obligationi perfectæ, ubi alteri competit jus cogendi, ſatisfacere debes, antequam ab altero cogaris; ita etiam imperfectæ ſatisfaciendum, antequam alter petat: neque enim obligatio paſſiva, quatenus eſt neceſſitas moralis agendi (§. 118. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), quicquam differt, dum vel perfecta, vel imperfecta eſt, niſi quod illi reſpondeat ex parte alterius jus cogendi, huic jus petendi. Quodſi perfecta fuerit obligatio, neceſſe eſt a te hoc fieri, ad quod faciendum alter te cogendi jus habet; ſi imperfecta, fieri neceſſe eſt illud, quod alter a te petendi jus habet. Quatenus itaque obligaris, in utroque caſu neceſſe eſt, ut idem facias tua ſponte, antequam in uno cogaris, & in altero rogeris. Probe hæc expendenda ſunt, ut penitus intelligatur, per hoc nihil decedere obligationi, nec eam intrinſece mutari, quod imperfecta ſit in relatione ad jus alterius, ſeu quoad jus alterius a perfecta differat. Obligationem præſentem, quam in hac propoſitione urgemus, vulgo parum agnoſcunt: unde non deſunt exempla eorum, qui ſe ſatis excuſatos habent, quod aliis opem non tulerint, ubi iidem eandem non imploraverint, male applicantes pervulgatum illud: beneficium nemini eſſe obtrudendum, quod quo ſenſu accipiendum ſit, ex ſequentibus patebit. Convenit autem ipſi notioni charitatis. Charitas enim virtus eſt, qua alios tanquam noſmetipſos diligimus (§.620.). Qui adeo hac virtute inſtructus eſt, ei conſtans & perpetua voluntas eſt felicitatem, adeoque perfectionem alterius (§. 652.) promovendi (§.617.). Cui voluntas eſt perfectionem alterius promovendi, is occaſionem hoc faciendi oblatam ambabus manibus arripit, neque adeo demum expectat, donec alter petat, ut hoc faciat.

§. 665.

An alteri obtrudere debeamus opem noſtram in promovenda perfectione ipſius.

Si alter opem tuam, quam in promovenda perfectione ipſius offers, recuſet; obligationi tuæ ſatisfeciſti, quod eandem ipſi ferre volueris. Etenim velle alteri opem ferre in promovenda perfectione ipſius, in tua poteſtate eſt (§. 175.), & ut hoc facere velis, obligatus es (§. 609.). Enimvero efficere ne alter eandem recuſet, in poteſtate tua non eſt (§. 175.). Quoniam itaque non obligaris ad ea, quæ in poteſtate tua non ſunt (§. 176.); obligationi tuæ utique ſatisfeciſti, quod opem alteri in promovenda perfectione ipſius ferre volueris, ſi alter eandem recuſet.

Atque hinc intelligitur, quo ſenſu accipiendum ſit, quando dicitur, beneficium nemini eſſe obtrudendum. Per ea quoque, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, manifeſtum eſt, ſalvam eſſe omni ex parte charitatem, ſi in voluntate alterius perfectionem promovendi hoc in caſu acquieſcas.

§. 666.

Idem ulterius expenditur.

Nullum tibi jus cogendi alterum, ut, ubi perfectionem ejus promovere vis, id a te fieri patiatur. Ponamus enim tibi competere jus cogendi alterum, ut, ubi perfectionem ejus promovere vis, id a te fieri patiatur. Neceſſe igitur eſt, ut actiones ejus dependeant a voluntate tua, conſequenter natura liber non eſt (§. 152.); quod cum ſit abſurdum (§. 146.), nullum tibi jus cogendi alterum competit, ut, ubi perfectionem ejus promovere vis, id a te fieri patiatur.

Hinc multo clarius adhuc patet, quo ſenſu dicatur beneficium nemini eſſe obtrudendum. Obtrudere enim alteri beneficium repugnat libertati alterius, ut cujus permittendum, ut alter in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum, adeoque contra obligationem, qua tibi devinctus eſt, nil facit (§. 156.), & alterius conſcientiæ relinquendum, quid agat (§. 157.).

§. 667.

Digitized by Google

§. 667.

Quinam mereantur, ut eorum perfectionem promoveamus.

Qui ipſemet perfectionem, cujus capax eſt, uſu facultatum ſuarum conſequi non valet; is meretur, ut ad eam conſequendam conferas, quæ conferre vales. Ad alterius perfectionem ſtatuſque ipſius perfectionem conferre obligaris per ipſam eſſentiam atque naturam tuam, quantum conferre vales (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſiquidem alter ipſemet hoc facere non poſſit (§. 232. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), neque jus habet petendi hoc a te alter, quod ipſemet facere poteſt (§. 233. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quoniam vero nemo obligatur ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); perfectionis illius alter utique capax eſſe debet, ad quam promovendam tu ipſi obligaris. Patet itaque alteri eſſe jus quoddam ad tuos actus, quibus promoveri poteſt ipſius perfectio, ſi ejus perfectionis capax ſit, nec eam uſu facultatum ſuarum conſequi valeat, quamvis cum ipſi non ſit jus cogendi te, ut hoc facias (§. 234. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), jus hoc nonniſi imperfectum ſit (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque id mereri dicimur, ad quod jus imperfectum, nobis competit (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui ipſemet perfectionem, cujus capax eſt, uſu facultatum ſuarum conſequi non valet, is meretur, ut ad eam conſequendam conferas, quæ conferre vales.

Meritum adeo hominis, ut eidem ſuccurras in perfectione atque felicitate ejus promovenda, æſtimatur ex indigentia, quæ facit, ut ope ac auxilio tuo opus habeat. Meritum hoc generale eſt, nec aliud allegari debet, ut mereatur amorem quo omnes homines in univerſum proſequi debemus (§. 619) & charitatem, qua omnea in univerſum complecti tenemur (§. 618.). Quam primum adeo vides alium, quem in acquirenda perfectione quacunque & felicitate conſequenda juvare potes; non opus eſt, ut inquiras ulterius, num ſit dignus, quem juves: ſat enim meriti eſt, quod auxilio tuo egeat. Nemo, quæ hic dicuntur, pro paradoxis habeat: ſatis enim aperta ſunt per ea, quæ hactenus demonſtravimus, ut in dubium revocari minime poſſint, niſi in luce meridiana cœcutire velis.

§. 668.

Quinam in promovenda perfectione aliena præferendi.

Si plures ope tua indigeant, neque eam ſingulis ferre poſſis; illi præferendi ſunt, ad quorum perfectionem ſpeciali quadam ratione obligaris. Cum enim plures ope tua indigeant, ſinguli merentur, ut ad eorum perfectionem conferas, quantum vales (§. 667.). Quoniam vero ſingulis opem ferre non potes, *per hypoth.* quia ſcilicet virium tuarum uſus inexhauſtus non eſt; neceſſe eſt, ut unum vel aliquos ceteris præferas. Enimvero quia ad aliquorum vel unius perfectionem promovendam ſpeciali adhuc ratione obligaris *per hypoth.* hiſce magis obligaris, quam ceteris. Quare cum aliqua adeſſe debeat ratio, cur unum vel aliquos ceteris præferas (§. 70. *Ontol.*), præferendi utique ſunt illi, ad quorum perfectionem ſpeciali quadam ratione obligaris.

Videbimus ſuo loco, parentes ſpeciali quadam ratione obligari ad perfectionem liberorum atque felicitatem promovendam. Quamobrem ſi opem ferre debes alteri cum neglectu liberorum; hi utique extraneo præferendi ſunt. Sane ſi extraneum præferre velles, negligi deberet officium erga liberos. Quamobrem hoc caſu in poteſtate tua poſitum non eſt, ut extraneo ſuccurras, quia liberos negligere minime debes.

§. 669.

Læſio quid ſit.

Lædere alterum dicitur, qui ejus imperfectionem ſtatuſque ipſius externi imperfectionem promovet, ſeu alterum ejuſve ſtatum imperfectiorem reddit. Unde *Læſio* eſt actio, qua alter vel ſtatus ejus externus redditur imperfectior.

Læ-

Læſioni hic tribuitur omnis amplitudo, quam habere poteſt ac debet in Jure naturali. Definimus eandem principiis generalibus legum naturalium in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis convenienter, quemadmodum & ſupra fecimus, cum charitatem definiremus (§ 620. 617.). Multæ ſunt læſiones, quæ vulgo tales non agnoſcuntur.

§. 670.

Læſiones quotuplices. Quoniam & anima, & corpus, & ſtatus externus imperfectioni obnoxia fieri poſſunt, omnis autem actio, qua alter vel ſtatus ejus externus redditur imperfectior, læſio eſt (§. 669.) *ſi homo læditur, vel quoad animam, vel quoad corpus, vel quoad ſtatum externum læditur.*

Læſiones quoad corpus & ſtatum externum nemo non agnoſcit, quia in ſenſus incurrunt. Vulnus infligitur corpori: cum hoc in ſenſus incurrat, nemo non fatetur alterum fuiſſe læſum. Aufertur alteri quod ſuum eſt: cum hoc denuo ſenſui obvium ſit, nemo eſt qui diffiteatur, ipſum fuiſſe læſum. Si quis alterius voluntatem corrumpit, ut in actum libidinoſum conſentiat; eum læſiſſe non putatur, etſi læſiones animæ multo majores exiſtimari debeant, quam corporis, aut ſtatus externi.

§. 671.

An denegatio officii humanitatis ſit læſio. *Denegatio officii humanitatis non eſt læſio*, ſeu, *ſi alteri denegas officium humanitatis, eum non lædis.* Quoniam enim officia humanitatis promovent alterius perfectionem (§. 655.), ſi aliquod alteri deneges, actionem omittis, qua aliquid conferre poteras ad alterius vel ſtatus ejuſdem perfectionem. Enimvero omiſſio actionis, qua alterius vel ſtatus ejuſdem perfectio promoveri poterat, non eſt actio, qua alter vel ejuſdem ſtatus redditur imperfectior. Quamobrem cum læſio ſit actio, qua alter vel ſtatus ejus imperfectior redditur (§. 669.); denegatio officii humanitatis læſio non eſt.

Ex. gr. Si alteri conſilium impertiri nolis in re dubia, quod ipſi dare poteras; officium humanitatis denegas. Non tamen propterea dicitur, quod alterum læſeris. Similiter ſi egeno petenti eleemoſynam dare recuſas; officium humanitatis denegas, non tamen ideo dicitur, quod ipſum læſeris.

§. 672.

Denegatio officii humanitatis peccatum. *Si alteri denegas officium humanitatis, peccas.* Etenim cum officia humanitatis ſint officia erga alios, quibus eorum perfectio promovetur (§. 655.); ſi officium humanitatis alteri denegas, actionem omittis, qua ad ejuſdem ſtatuſve ipſius perfectionem quidpiam conferre poteras. Quamobrem cum lege naturali obligeris ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre, quantum conferre vales (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*); facere omittis, quod lege naturali præcipitur. Quoniam itaque actio hæc privativa legi naturæ contraria, actio autem legi naturæ contraria peccatum eſt (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi alteri denegas officium humanitatis, peccas.

Hanc propoſitionem ideo addere viſum fuit, ne quis perverſa interpretatione præcedentem in abuſum trahat, quaſi denegatio officii humanitatis peccatum non ſit, quia læſio non eſt. Quoniam omnia humanitatis officia, quæ charitas imperat, & quæ propterea *officia* quoque *charitatis* dici poterant, quemadmodum idiomate patrio Liebesdienſte appellantur, non ſunt ejuſdem momenti, ſed plurimum inter ſe differunt, prout aliis major, aliis minor perfectio hominis ejuſve ſtatus externi promovetur, vel ejuſdem quoque perfectionis majori gradui conſulitur; ita nec omnis denegatio officii humanitatis peccatum ejuſdem magnitudinis eſt. Hinc accidit, ut, ſi lèvioris momenti officia denegentur, peccaſſe non cenſeatur, qui hoc facit, cum tamen peccaſſe utique dicendus ſit, ſi ex notionibus diſtinctis deducitur judicium.

§. 673.

Digitized by Google

§. 673.

Quodſi impedis, quo minus alter perfectionem aliquam conſequi poſſit; eum lædis. Qui enim impedit, quo minus alter perfectionem quandam conſequi poſſit, is utique facit, ut alter maneat imperfectior ſive quod animam, ſive quoad corpus, ſive quoad ſtatum externum, atque adeo imperfectionem ejus promovet. Quoniam itaque alterum lædit, qui imperfectionem alterius atque ſtatus ejuſdem promovet (§. 669.); qui impedit, quo minus alter perfectionem aliquam conſequi poſſit, eum lædit. *Impedire perfectionem num ſit lædere.*

Vides adeo, impedire perfectionem alterius ſpeciem quandam læſionis eſſe. Ita ſi tu impedis, quo minus alter ea acquirere poſſit, quæ ad vitæ conſervationem ipſi neceſſaria ſunt, eum lædis. Sed hæc clariora evadent ex ſequentibus.

§. 674.

Qui impedit, quo minus alter acquirat habitus facultatibus animæ utendi, is eum lædit. Etenim facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209.). Quamobrem qui impedit, quo minus alter hoſce acquirat, is impedit, quo minus alter perfectionem aliquam conſequi poſſit. Enimvero qui impedit, quo minus alter perfectionem aliquam conſequi poſſit, eum lædit (§. 673.). Ergo qui impedit, quo minus alter acquirat habitus facultatibus animæ utendi, is eum lædit. *Læſio animæ ob impeditos habitus facultatibus utendi.*

Habemus adeo principium generale determinandi læſiones animæ, quæ in impedimento conſiſtunt.

§. 675.

Quoniam habitus intellectus ſunt virtutes intellectuales, habitus vero voluntatis & noluntatis boni virtutes morales (§. 547.), alter autem læditur, ſi impedis, quo minus is habitus facultatibus animæ utendi acquirat (§. 974.); *qui impedit, quo minus alter acquirat virtutes intellectuales & morales, eum lædit.* *Idem ſpecialius explicatur.*

Continetur hæc propoſitio per modum ſpecialis ſub generali antecedente, quæ ambitu ſuo latior, cum etiam complectatur ea, quæ ad facultates inferiores ſpectant, quatenus & hiſce utendi habitus acquiri poſſunt, quemadmodum ex Pſychologia manifeſtum eſt. Virtutes intellectuales recenſuimus in capite præcedente, virtutes morales partim in anterioribus explicatæ fuerunt, partim in ſequentibus deſcribentur. Quamobrem non opus eſt, ut concluſiones particulares vi propoſitionis præſentis inferamus, quas in dato caſu quilibet facile colliget principiorum gnarus.

§. 676.

Qui alterum impedit, quo minus facere poſſit, ad quod faciendum naturaliter obligatur, is eum lædit. Etenim naturalis obligatio nos adſtringit ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri promovendam (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui alterum impedit, quo minus facere poſſit, ad quod faciendum naturaliter obligatur, is impedit, quo minus perfectionem aliquam conſequi poſſit. Enimvero qui impedit, quo minus alter perfectionem aliquam conſequi poſſit, is eum lædit (§. 673.). Ergo qui alterum impedit, quo minus facere poſſit, ad quod faciendum naturaliter obligatur, is eum lædit. *Læſio conſiſtens in impedimento, quo minus alter ſatisfaciat obligationi naturali.*

Principium hoc adjicimus, ut alia inde demonſtrare valeamus, quæ in applicatione majorem ſpondent utilitatem.

§. 677.

Principium pragmaticum æſtimandæ læſionis in impedimento conſiſtentis. *Quicunque impedit, quo minus alter conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quod conſequi alias in poteſtate ipſius erat; is eundem lædit.* Etenim homo naturaliter obligatur ad dandam operam, ut ea conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ in poteſtate ſua ſunt (§. 181.). Qui adeo alterum impedit, quo minus conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quod conſequi alias in poteſtate ipſius erat; is eundem impedit, quo minus faciat, ad quod faciendum obligatur. Ergo quicunque impedit, quo minus alter conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quod conſequi alias in poteſtate ipſius erat, is eundem lædit (§. 676.).

Principium hoc vere pragmaticum eſt æſtimandi læſiones, quæ in impedimento conſiſtunt.

§. 678.

Læſio alterius ob impeditam felicitatem. *Qui alterius felicitatem impedit; eum lædit.* Quilibet enim operam dare tenetur, ut ſit felix, ſibique cavere, ne ſit infelix (§. 280.). Quamobrem qui impedit, quo minus alter felix eſſe poſſit, ſeu quæ ad felicitatem alterius quomodocunque faciunt, is impedit, quo minus alter facere poſſit, ad quod faciendum obligatur. Enimvero qui alterum impedit, quo minus faciat id, ad quod faciendum obligatur, is alterum lædit (§. 676.). Qui ergo felicitatem alterius impedit, eum lædit.

§. 679.

Læſio indirecta alterius ob impeditum auxilium alienum. *Si quis te impedit, quo minus perfectionem aut felicitatem alterius promovere poſſis, quam promovere poteras & volebas; is alterum lædit.* Etenim ſi quis te impedit, quo minus perfectionem aut felicitatem alterius promovere poſſis, quam promovere poteras & volebas; is impedit, quo minus alter eam perfectionem aut felicitatem conſequatur, quam conſequi poterat. Atat qui impedit, quo minus alter eam perfectionem aut felicitatem conſequatur, quam conſequi poterat, is eundem lædit (§. 673. 678.). Quamobrem ſi quis te impedit, quo minus perfectionem aut felicitatem alterius promovere poſſis, quam promovere poteras & volebas; is alterum lædit.

Perfectio acquirenda ac felicitas pendet vel ab actione tua, vel ab actione aliena. Perinde igitur eſt, ſive propria, ſive aliena actio impeditur, qua perfectio vel felicitas acquiri poterat. Unde non minus alterum lædit, qui te impedit, quo minus perfectionem aut felicitatem alterius promovere poſſis, quam promovere poteras & volebas; quam qui ipſum impedit, quo minus perfectionem aut felicitatem conſequatur; quam proprio facultatum uſu acquirere poterat. Quot modis alterum lædere poſſis, probe tenendum eſt, ne per ignorantiam lædas alios, a quibus lædendis maxime alienus tibi videris. Vulgo enim homines læſionem alterius nimis arctis limitibus conſtringunt, quod omnes modos, quibus alter læditur, diſtincte non cognoſcunt.

§. 680.

Læſio indirecta ob impeditum auxilium in conſequen. *Qui te impedit, quo minus alterum juves in conſequendis animi, corporis ac fortunæ bonis, is alterum lædit.* Qui enim te impedit, quo minus alterum juves in conſequendis animi, corporis ac fortunæ bonis, is utique impedit, quo mi-

minus alter conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ conſequi alias poterat. Enimvero qui alterum impedit, quo minus conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quæ conſequi poterat, is eundem lædit (§. 677.). Ergo qui te impedit, quo minus alterum juves in conſequendis animi, corporis ac fortunæ bonis, is alterum lædit. *dis animi, corporis ac fortunæ bonis.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque applicanda veniunt. Unum nimirum idemque eſt, ſi effectum ſpectes, ſive quis tuam ſive alienam actionem impediat, qua perfectio aut felicitas tua promoveri poterat. Quando enim quæritur, quid ſit in poteſtate tua, non modo reſpicitur ad proprium facultatum, virium rerumque tuarum uſum, verum etiam ad aliorum opem ac auxilium (§. 175.). Sive igitur proprius facultatum, virium rerumque tuarum uſus, ſive aliorum auxilium impediatur, perinde eſt: in utroque nimirum caſu impeditur, quo minus conſequaris, quod alias conſequi in poteſtate tua erat.

§. 681.

Qui te impedit, quo minus officia humanitatis præſtare poſſis alteri, is alterum lædit. Etenim cum officiis humanitatis promoveatur alterius perfectio atque felicitas (§. 655.); qui te impedit, quo minus officia humanitatis præſtare poſſis alteri, is utique impedit, quo minus perfectionem ac felicitatem alterius promoveas, quam promovere poteras ac volebas. Sed qui te impedit, quo minus perfectionem aut felicitatem alterius promovere poſſis, quam promovere poteras ac volebas, is alterum lædit (§. 679.). Quamobrem qui te impedit, quo minus officia humanitatis præſtare poſſis alteri, is alrerum lædit. *Læſio tertii ob impedita officia humanitatis alterius.*

Oſtendimus paulo ante, denegationem officii humanitatis non eſſe læſionem (§. 671.). Quamobrem mirum videri poterat, cur alter lædi debeat, ſi officium quoddam humanitatis ipſi præſtare ab alio impediris. Enimvero diſpar prorſus eſt ratio, ſi tu alteri officium quoddam humanitatis præſtare nolis, & ſi te hoc facere volentem alius impedit, quo minus facere poſſis. Abſit itaque ut tibi perſuadeas propoſitionem præſentem contradicere iis, quæ ſuperius demonſtrata ſunt. Ceterum propoſitio præſens probe notanda, ne ubi alios lædendi animum non habes, hoc tamen non obſtante leve exiſtimes impedire alios, ne officia humanitatis præſtent aliis, cum vulgo parum attendatur, quod denegatio officii humanitatis peccatum ſit (§. 672.).

§. 682.

Qui alterum impedit, quo minus amicitiam aliorum conſequatur, is eundem lædit. Etenim cum amicus nos amet (§. 625.), ad felicitatem noſtram promovendam pronus eſt (§. 650. 652. *Pſych. empir.*), conſequenter occaſione ſeſe offerente eandem promovere ſtudet. Quamobrem qui impedit, quo minus aliorum amicitiam conſequaris, is impedit, quo minus alii felicitatem tuam promovere ſtudeant. Enimvero ſi quis impedit, quo minus alii felicitatem tuam promovere ſtudeant, qui eandem promovere poterant & animum promovendi habituri erant, te lædit (§. 679.). Ergo qui impedit, quo minus amicitiam aliorum conſequaris, te lædit. *Læſio ob amicitiam impeditam.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Uti aliis amicis ad perfectionem ſtatus externi pertinet: id quod tanquam per ſe notum ſumitur. Quamobrem qui impedit, quo minus alter amicitiam aliorum conſequatur, is impedit, quo minus alter ſtatum ſuum externum perficiat, conſequenter quo minus aliquam perfectionem conſequatur, quam conſequi poterat. Sed qui impedit, quo minus alter perfectionem aliquam conſequatur, quam conſequi poterat, eum lædit (§. 673.). Ergo qui impedit, quo minus alter amicitiam aliorum conſequatur, is eundem lædit.

Nemo non videt, ſermonem nobis eſſe de vera amicitia, quæ in amore fundatur, qui charitatem ſociam habet. Ceteri enim amici, quorum amor appetitui rationali non ſubjicitur, no-

nomine magis, quàm re tales ſunt, cum felicitatem veram cum apparente confundentes haud raro in cauſa ſint, ut tu quoque reddaris infelix. Sed de differentia amicorum plura nobis dicenda erunt in Philoſophia morali. Hic ſupponimus nihil, quod a veritate alienum. Prodeſſe etiam poteſt eorum amicitia; qui veram felicitatis notionem non habent, modo eadem caute utaris. Atque hactenus læſioni quoque locus eſt, ſi quis horum amicitiam quo minus conſequaris, impedit.

§. 683.

Læſio ob impeditam reconciliationem inimicorum.

Quoniam is impedit, quo minus aliorum amicitiam conſequaris, qui impedit, quo minus inimicus tibi reconcilietur, quod nemo non largitur, ut hic ſumi poſſit, qui vero impedit, qno minus aliorum amicitiam conſequaris, te lædit (§. 682.); *te* etiam *lædit, qui impedit, quo minus inimicus tibi reconcilietur.*

Inimicus reconciliatur, ſi ex inimico reddatur amicus, qui antea fuerat. Atque adeo amicitiam ejus denuo conſequeris, qui inimicus factus tibi reconciliatur.

§. 684.

Læſio ob impeditum auxilium in corpore, vita & integritate membrorum conſervanda.

Qui impedit, quo minus alii faciant, quæ ad corpus vitamque tuam, nec non membrorum integritatis conſervationem conferre poſſunt; is te lædit. Homo enim obligatur ad ea facienda, quæ ad corporis ſui (§. 349.), vitæ ſuæ (§. 350.), & integritatis membrorum conſervationem faciunt (§. 372.). Qui ergo impedit, quo minus alii faciant, quæ ad corpus tuum vitamque tuam, nec non membrorum integritatis conſervationem conferre poſſunt; is utique impedit, quo minus corpori, vitæ ac integritati membrorum conſervandæ ſtudeas, quantum in poteſtate alias fuerat (§. 175.), conſeqnenter quo minus facere poſſis, ad quod faciendum obligaris. Verum enim vero qui impedit, quo minus hoc facere poſſis, ad quod faciendum obligaris, is te lædit (§. 676.). Te igitur lædit, qui impedit, quo minus alii faciant, quæ ad corpus vitamque tuam, nec non membrorum integritatis conſervationem conferre poſſunt.

Demus unum alterumque exemplum, ut propoſitionis veritas clarius pateat. Ponamus violentum aggreſſorem ſtricto gladio in te irruere. Ponamus Titium, hominem robuſtum tibi ſuccurrere velle, atque Cajum impedire, quo minus poſſit. Ponamus denique tibi minum amputari. Non modo violentus aggreſſor, verum etiam Sempronius atque Cajus te læſiſſe dicendi ſunt. Similiter ponamus te attollere debere pondus quoddam grave non ſine periculo læſionis corporis Ponamus Mævium te juvare velle, ſed diſſuaderi a Titio ne faciat. Ponamus denique pondus incidere in crus, ut frangatur. Titius te læſiſſe utique dicendus eſt. Docent hæc exempla, principia, quæ *hic* proponimus, eſſe admodum generalia, ut longe plurimis caſibus definiendis adhiberi poſſint.

§. 685.

Læſio ob impeditam conſervationem corporis, vitæ & integritatis membrorum.

Qui impedit, quo minus tu ipſe ea facere poſſis, quæ ad corpus vitamque tuam, nec non ad membrorum integritatem conſervandam requiruntur; is te lædit. Quoniam enim ad ea facienda obligaris, quæ ad corpus (§. 349.), vitam (§. 350.), & integritatem membrorum conſervandam requiruntur (§. 372.); qui impedit, quo minus hæc facere poſſis, is omnino impedit, quo minus hoc facias ad quod faciendum obligaris. Enimvero qui impedit, quo minus hoc facere poſſis, ad quod faciendum obligaris; is te lædit (§. 676.). Te igitur lædit, qui impedit, quo minus facere ea poſſis, quæ ad corpus vitamque tuam, nec non ad membrorum integritatem conſervandam requiruntur.

§. 686.

§. 686.

Læſio ob impeditam vitæ commoditatem & jucunditatem.

Qui impedit, quo minus vitam commode ac jucunde tranſigere poſſis, te lædit. Obligaris enim ad vitam commode (§. 466.) ac jucunde tranſigendam (§. 471.). Qui ergo impedit, quo minus eam commode ac jucunde tranſigere poſſis; is impedit, quo minus hoc facere poſſis, ad quod faciendum obligaris. Quoniam itaque te lædit, qui impedit, quo minus hoc facere poſſis, ad quod faciendum obligaris (§. 676.); te quoque lædit, qui impedit, quo minus vitam commode ac jucunde tranſigere poſſis.

Ut quæ de læſione ob perfectionem ac felicitatem alterius impeditam demonſtrantur, rite intelligantur, notio impedimenti probe attendendæ, quam in Philoſophia prima explicavimus (§. 726. 727. *Ontol.*). Nimirum hic ſemper ſupponimus, quod tu vel alter facere velit, quæ ad perfectionem ac felicitatem tuam promovendam requiruntur, alter vero tibi vel alteri reſiſtit, ut hoc fieri nequeat. Ceterum cum vitæ commoditas & jucunditas ad felicitatem hominis ſpectet (*not.* §. 645.), propoſitio præſens etiam ex eo demonſtrari poterat, quod felicitatem tuam impediat, qui impedit, quo minus vitam commode ac jucunde tranſigere poſſis. Qui enim felicitatem tuam impedit; is te lædit (§ 678.). Studio hæc addo, quod veritatem propoſitionis vi hujus demonſtrationis facilius capiant, qui veritatum omnium a nobis demonſtratarum nexum minime comprehendunt. Quoniam enim appetitus felicitatis homini naturalis eſt (§. 324. *part. 2. Phil pract. univ.*); ubi ſeipſos conſulunt, qui nonniſi per notiones confuſas tanquam per tranſennam veritatem inſpiciunt, num hoc potius velint, quam nolint, veluti num vitam potius commode ac jucunde tranſigere, quam commoditate atque jucunditate ejuſdem carere malint, facile capiunt, quid felicitati annumerandum ſit.

§. 687.

Læſio indirecta ob impeditam vitæ commoditatem & jucunditatem.

Qui impedit, quo minus alter ea conferat, quæ ad hoc conferre poteſt ac vult, ut vitam commode ac jucunde tranſigas; is te lædit. Quoniam enim vitæ commoditas atque jucunditas felicitatem auget, utut ad eandem abſolute neceſſaria non ſit (*not.* §. 645.); qui impedit, quo minus alter ea conferat, quæ ad vitæ tuæ commoditatem ac jucunditatem conferre poteſt ac vult, is utique felicitatem tuam impedit, quatenus ſcilicet efficit, ne tanta ſit, quanta alias eſſe poterat. Quamobrem cum te lædat, qui felicitatem tuam impedit (§. 678.); te omnino etiam lædit, qui impedit, quo minus alter ea conferat, quæ ad hoc conferre poteſt ac vult, ut vitam commode ac jucunde tranſigas.

Oſtenditur idem hoc modo. Cum vitæ commoditas atque jucunditas felicitatem augeat (*not.* §. 645.), qui impedit, quo minus alter ea conferat, quæ ad hoc conferre poteſt ac vult, ut vitam commode ac jucunde tranſigas, is impedit, quo minus felicitas tua ab alio promoveatur. Quoniam itaque officia humanitatis ſunt, quibus felicitas aliena promovetur (§. 655.); idem impedit, quo minus alter officium humanitatis tibi præſtet, quod præſtare poteſt ac vult. Enimvero qui impedit, quo minus alter officium quoddam humanitatis tibi præſtet, quod præſtare poteſt ac vult, is te lædit (§. 681.). Quamobrem te lædit, qui impedit, quo minus alter ea conferat, quæ ad hoc conferre poteſt ac vult, ut vitam commode ac jucunde tranſigas.

Demonſtratio propoſitionis præcedentis facile quoque applicari poterat ad præſentem, ſi ſumere nolis, quæ ſupra tantummodo annotavimus (*not.* § 645.).

§. 688.

Honor, laus & fama qualia ſint bona.

Honor, laus & fama bona fortunæ ſunt. Honor enim conſiſtit in actibus externis, quibus alii ſuum de perfectione tua judicium ſignificant (§. 538.); laus

vero

Digitized by Google

vero oratio eſt, qua idem ſignificatur (§. 541.) & ſama communis hominum aliorum ſermo eſt de habitibus intellectualibus & moralibus tuis (§. 553.). Quoniam itaque honor, laus & fama ad ſtatum tuum externum ſpectant (§. 706. *Ontol.*); evidens eſt, ſi honor, quem mereris, tibi exhibetur, ſi laus debita tribuitur, ſi famam, quam mereris, habes, ſtatum tuum externum cum interno conſentire (§. 503. *Ontol.*), conſequenter honorem, laudem & famam eundem reddere perfectiorem (§. *cit.*). Quamobrem cum fortunæ bona ſint, quæ ſtatum externum perfectiorem reddunt (§. 555. 556. *Pſych. empir.*); honor, laus & fama fortunæ bona ſunt.

Supponimus hic honorem verum ac laudem famamque veram, quam ſcilicet mereris. Si enim honor non fuerit verus, ſi laus non vera, ſi fama minime vera, ſed tibi exhibetur honor, quem non mereris, ſi laus tribuitur immerita, nec famam, quam habes, mereris; honor, laus & fama bona tantummodo apparentia ſunt; quæ voluptatem nonniſi nocuam parere poſſunt. Nobis hic negotium eſt cum bonis tantummodo veris, non apparentibus. Quamobrem quoties de honore, laude ac fama ſermo eſt, nonniſi de honore, laude ac fama, quæ verum de perfectione tua judicium ſupponunt, accipienda ſunt, quæ affirmamus.

§. 689.

Læſio ob honorem, laudem ac famam impeditam. *Qui impedit, quo minus alii tibi exhibeant honorem, quem mereris, quo minus meritam tibi tribuant laudem, quo minus famam habeas, quam mereris; is te lædit.* Quoniam enim honor, laus & fama fortunæ bona ſunt (§. 688.), qui impedit, quo minus tibi exhibeatur honor meritus, quo minus tribuatur laus merita, quo minus habeas famam, quam mereris, is utique impedit, quo minus conſequaris fortunæ bona, quæ conſequi alias poteras. Enimvero qui impedit, quo minus conſequaris fortunæ bona, quæ conſequi poteras ſeu, abſente iſto impedimento, conſequi in poteſtate tua erat, is te lædit (§. 677.). Te igitur lædit, qui impedit, quo minus alii tibi exhibeant honorem quem mereris, quo minus tribuant laudem, quam mereris, quo minus habeas famam, quam mereris.

Equidem cum honor (§. 539.), laus (§. 543.) & fama non ſint in poteſtate tua (§. 533. 175.); ex eo moleſtiam percipere minus debes, quod honorem, laudem ac famam, quam mereris, non conſequaris (§. 591. 658.): alter tamen, qui impedit, quo minus honorem, laudem ac famam, quam conſequi poteras, conſequaris, voluptate te privat, quam ex aliorum benigno de perfectione tua judicio, quod honore, laude ac fama ſignificatur (§. 538. 541. 553.), adeoque hoc modo tibi innoteſcit, percipere poteras. Atque eatenus impedit augmentum felicitatis tuæ (§. 638. *Pſych. empir.*), utut te infelicem reddere non poſſit (§. 590.). Quamobrem eum te lædat, qui felicitatem tuam impedit (§. 678.), hoc etiam modo patet, alterum te lædere, ſi impedit, quo minus honorem, laudem ac famam, quam mereris & conſequi poteras, conſequaris. Pauci ſunt, qui ad hanc læſionem animum attendunt, etſi eam facile agnoſcere poterant, ſi perpenderent, num ipſi vellent, ut alii impediant, quo minus honorem, laudem ac famam, quam merentur, conſequantur.

§. 690.

Læſio ob impeditam liberationem ab imperfectione. *Qui impedit, quo minus ab aliqua imperfectione libereris, is te lædit.* Etenim qui impedit, quo minus ab aliqua imperfectione libereris; is omnino imperfectionem tuam promovere cenſendus eſt. Quoniam itaque te lædit, qui imperfectionem tuam promovet (§. 669.); is utique te lædit, qui impedit, quo minus ab aliqua imperfectione libereris.

Ponamus te erroribus imbutum poſſidere animum. Quodſi alter impedit, quo minus ab iis libereris, ac id potius agit, ut eoſdem conſtanter foveas: non minus te lædit, ac ſi ſtudio in iſtos errores te perduceret. Idem eodem modo liquet, ſi alter impediat, quo minus ignorantiam, qua laboras, vincas, vel quo minus a vitiis, quibus deditus, aut inopia, qua laboras, libereris. Principium hoc fœcundiſſimum eſt & ad multas læſionum ſpecies detegendum utile.

§. 691.

Digitized by Google

§. 691.

Leſio ex privatione perfectionis orta.

Quicunque alterum privat aliqua perfectione ſive per ſe, ſive per alios, eundem lædit. Qui enim alterum privat aliqua perfectione, eundem vel ſtatum ejus externum imperfectiorem reddit, quam ante fuerat: quod per ſe patet. Enimvero qui alterum vel ſtatum ejus externum imperfectiorem reddit, eundem lædit (§. 669.). Lædit itaque alterum, qui eum privat perfectione aliqua. Enimvero unum idemque eſt, ſive quid ipſe facias, ſive per alios. Quamobrem qui alterum privat perfectione aliqua ſive per ſe, ſive per alios, eundem lædit.

Habemus denuo principium fœcundiſſimum, quod utile eſt ad multos caſus particulares definiendos, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet. Notandum vero intelligi hic perfectionem quamcunque, ſive naturalem, ſive acquiſitam; eamque tam corporis, quam animæ atque ſtatus etiam externi, ne lateat principii hujus ambitus.

§. 692.

Leſio ex privatione alicujus boni orta.

Qui alterum privat bono quodam animi, corporis aut fortunæ, ſive per ſe, ſive per alios, eundem lædit. Etenim bona animi animam, bona corporis corpus, bona denique fortunæ ſtatum hominis externum perfectiorem reddunt (§. 555. 556. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui alterum bono quodam animi, corporis aut fortunæ privat, is eundem perfectione quadam privat. Enimvero qui alterum perfectione quadam privat ſive per ſe, ſive per alios, eundem lædit (§. 691.). Lædit itaque alterum, qui eundem ſive per ſe, ſive per alios bono quodam animi, corporis aut fortunæ privat.

Quot igitur ſunt bona, quæ homo vel a natura habet, vel acquiſivit, quatenus ea amitti poſſunt, & alii ad hoc concurrere, vel facto quodam ſuo efficere poſſunt, ut ea amittat; tot ſunt læſionum diverſæ ſpecies. Ceterum vi propoſitionis præſentis læſiones facilius agnoſcuntur, quam vi præcedentis, cum non omnium ſit diſtincte agnoſcere; num quid in numero perfectionum ſit, bona autem animi, corporis ac fortunæ per confuſas etiam notiones agnoſcantur, ſit ita quod diſtincte cognoſci non poſſit bonum, niſi quatenus intelligitur, quod animam, vel corpus vel ſtatum externum tuum reddat perfectiorem (§. 554. *Pſych empir.*).

§. 693.

Leſio inde orta, quod ſis cauſa malorum alterius.

Qui id agit ſive per ſe, ſive per alios, ut alter incidat in mala animi, vel corporis, vel fortunæ; is eundem lædit. Quoniam enim mala animi animam, mala corporis corpus, mala denique fortunæ ſtatum hominis externum imperfectiorem reddunt (§. 566. 567. *Pſych. empir.*); qui id agit, ut alter incidat in mala animi, vel corporis, vel fortunæ, alterius vel ſtatus ejuſdem externi imperfectionem promovet. Sed qui alterius ſtatuſque ipſius externi imperfectionem promovet, eundem lædit (§. 669.). Lædit itaque alterum, qui id agit, ut alter in mala animi, vel corporis, vel fortunæ incidat. Cum vero perinde ſit, ſive quid per ſe, ſive per alios faciat; evidens eſt alterum lædi, ſi quis per ſe, vel per alios id agit, ut alter in mala animi, vel corporis, vel fortunæ incidat.

Habes hic denuo tot læſionum ſpecies, quot ſunt mala animi, corporis ac fortunæ, facile definiendæ, ubi ſingula mala, quæ homini quoad animam, corpus atque ſtatum externum evenire poſſunt, cognoſcentur.

694.

§. 694.

Læſio ex eo orta, quod alterum ſeducas ad legem naturæ tranſgrediendum.

Qui alterum inducit, ut legem naturæ tranſgrediatur, is eundem lædit. Etenim cum lex naturæ urgeat, ut committamus actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & omittamus actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*, legem vero naturæ tranſgrediatur, qui actiones committit, quæ juxta eandem omittendæ, & actiones omittit, quæ juxta eandem committendæ (§. 139. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui alterum inducit, ut legem naturæ tranſgrediatur, is in cauſa eſt, ut actiones committat, quæ ad imperfectionem ſuam, nec non ſtatus ſui imperfectionem per ſe tendunt, ex adverſo autem actiones omittat, quæ ad perfectionem ſuam atque ſtatus ſui perfectionem per ſe tendunt, conſequenter imperfectionem alterius promovet. Sed qui imperfectionem alterius promovet, eundem lædit (§. 669.). Lædit itaque alterum, qui eundem inducit, ut legem naturæ tranſgrediatur.

§. 695.

Læſio omnis lege naturali prohibita.

Nemo eſt lædendus. Unuſquiſque hominum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ea omittere, quæ tendunt ad imperfectionem alterius ejuſque ſtatus (§. 231. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque alterum lædit, qui eum ejuſque ſtatum imperfectiorem reddit (§. 669.); unuſquiſque hominum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur, ne alterum lædat, conſequenter nemo eſt lædendus.

Videmus adeo prohibitionem de non lædendo altero eſſe legem naturæ fundamentalem: neque enim lex, qua continetur obligatio generalis de iis, quæ non facienda ſunt aliis; a propoſitione præſenti niſi terminis differt.

§. 696.

Quanam quominus alter conſequatur impedire non debeamus.

Quoniam itaque alterum lædit, qui impedit, quo minus is conſequatur perfectionem quandam (§. 673.), virtutes intellectuales ac morales (§. 675.) & in genere animæ, corporis ac fortunæ quodcunque bonum (§. 677.), amicitiam aliorum (§. 682.), honorem, laudem ac famam, quam meretur (§. 689.), nemo autem lædendus eſt (§. 695.); *Nemo impedire debet, quo minus alter conſequatur perfectionem quandam, virtutes intellectuales ac morales, animi, corporis ac fortunæ quodcunque bonum, amicitiam aliorum, honorem, laudem atque famam.*

Poteramus ſingula demonſtrare independenter a læſione: quoniam tamen nemo non admittit ſine probatione, quod nemo ſit lædendus, propterea, quod nemo lædi vult ab altero; conſultius duximus ad læſionem revocare hominum actiones, quæ quod in læſionum numero ſint, vulgo non agnoſcitur. Equidem omnia continentur ſub hac lege unica, quod non impediendum ſit, quo minus alter perfectionem quandam conſequatur, & virtutes intellectuales ac morales inter bona animi principem locum tenent, amicitia, honor, laus & fama fortunæ bona ſunt; non tamen inconſultum fuit ſpecialia commemorare, quæ ſub generalibus continentur. Quemadmodum enim generalia proſunt ad demonſtrandum & inveniendum; ita ſpecialia uſum potiſſimum habent in praxi ob faciliorem applicationem. Alias ſane ſufficerent principia generalia, quæ in Philoſophia practica univerſali demonſtravimus.

§. 697.

Liberatio alterius ab imperfectione non impedienda.

Similiter quia alterum lædit, qui impedit quo minus ab aliqua imperfectione liberetur (§. 690.), nemo autem lædendus eſt (§. 695.); *nemo quoque impedire debet, quo minus alter ab aliqua imperfectione liberetur.*

No-

Notanda hic quoque & ad ſequentia corollaria ſunt, quæ modo ad præcedens annotavimus, cur ſcilicet ad læſionem revocaverimus actiones, quarum intrinſecam malitiam ex ipſis principiis Philoſophiæ practicæ univerſalis deducere poteramus.

§. 698.

Quia alterum lædit, qui felicitatem alterius impedit (§. 678.), nemo autem alterum lædere debet (§. 695.); *Felicitatem alterius nemo impedire debet.* *Felicitas aliena non impedienda.*

Poteramus hoc ipſum etiam ex eo inferre, quod unicuique hominum conſtans & perpetua eſſe debeat voluntas felicitatem alterius promovendi (§. 615.): neque enim fieri poteſt, ut alterius felicitatem promovere conſtanter, ac perpetuo velit, qui eandem impedit.

§. 699.

Quia alterum lædit, qui eum perfectione aliqua (§. 691.), ſeu bono quodam animi, corporis aut fortunæ ſive per ſe, ſive per alios privat (§. 692.), nemo autem lædendus eſt (§. 695.); *Nemo alterum perfectione aliqua, ſeu bono quodam animi, corporis aut fortunæ ſive per ſe, ſive per alios privare debet* *Alterum perfectione privare cur illicitum.*

Forſan erunt, qui ſibi perſuadebunt fieri haud quaquam poſſe, ut alterum bono quodam animi quis privet, cum ea, quæ animæ alterius inſunt, minime auferri poſſint, quemadmodum res, quas poſſidet. Atat quamvis verb. gr. virtutes intellectuates & morales non ſint in eorum numero, quæ homini invito auferri poſſint; nemo tamen eſt qui neſciat, habitus animæ acquiſitos, quos inter virtutes intellectuales ac morales præcipuum locum tenent (§ 547.), amitti poſſe. Quamobrem ſi quis omni ſtudio id agit, ut alter virtutes intellectuales & morales, quas ſibi acquiſivit, iterum amittat, is omnino eum iiſdem privat. Experientia quoque loquitur id fieri non una de cauſa. Sed de eo diſpiciemus in Philoſophia morali.

§. 700.

Nemo hoc agere debet ſive per ſe, ſive per alios, ut alter incidat in mala animi, vel corporis, aut fortunæ. Qui enim id agit ſive per ſe, ſive per alios, ut alter incidat in mala animi, corporis aut fortunæ, is eundem lædit (§. 693.). Quoniam itaque nemo lædendus eſt (§. 695.); nemo etiam hoc agere debet ſive per ſe, ſive per alios, ut alter incidat in mala animi, vel corporis, aut etiam fortunæ. *Nemo in mala conjiciendus.*

§. 701.

Nemo alterum inducere debet, ut legem naturæ tranſgrediatur. Etenim qui alterum inducit, ut legem naturæ tranſgrediatur, eundem lædit (§. 694.). Sed nemo eſt lædendus (§. 695.). Ergo etiam nemo alterum inducere debet, ut legem naturæ tranſgrediatur. *Ad tranſgreſſionem legis naturæ nemo inducendus.*

Obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Fieri itaque nequit, ut lege eadem ulli mortalium ſit permiſſum, inducere alios ad legem naturæ tranſgrediendum. Quin potius immutabilitati obligationis conveniens eſt, ut ſit prohibitum, ne quis alterum ad tranſgreſſionem legis naturæ inducat. Sane qui inducit alterum, ut legem naturæ tranſgrediatur, adeoque peccet (§. 440. *part. 1. Phil. pract univerſ.*); is ad peccatum concurrit, adeoque ejuſdem & ipſe reus fit. Atque hoc pacto liquet, illicitum eſſe alterum inducere ad tranſgreſſionem legis naturæ, etiam non ſpectata læſione alterius.

§. 702.

Vitæ commoditas ac jucunditas aliena impedienda.

Nemo impedire debet alterum, quo minus vitam commode ac jucunde tranſigere poſſit. Qui impedit, quo minus alter vitam commode ac jucunde tranſigere poſſit, eundem lædit (§. 686.). Quamobrem cum nemo ſit lædendus (§. 695.); nemo etiam impedire debet, quo minus alter vitam commode ac jucunde tranſigere poſſit.

Patet, quam fœcundum ſit principium de nemine lædendo, ubi ante oſtenderis, quibusnam alter lædatur. Utile igitur eſt læſiones agnoſci, ut vi principii iſtius generalis in dato caſu pateat, a quibuſnam actibus ſit abſtinendum, ne pecces in alios.

§. 703.

Quando alius non impediendus, quo minus alteri adſit.

Nemo te impedire debet, quo minus perfectionem & felicitatem alterius promoveas, quam promovere poteras & volebas; quo minus alterum juves in conſequendis animi, corporis ac fortunæ bonis; quo minus officium aliquod humanitatis alteri præſtes; quo minus facias, quæ ad corpus vitamque alterius, nec non membrorum integritatem conſervandam, vel etiam ad vitam commode ac jucunde tranſigendam conferre potes ac vis. Qui enim te impedit, quo minus perfectionem & felicitatem alterius promoveas, quam promovere poteras ac debebas (§. 679.), quo minus alterum juves in conſequendis animi, corporis ac fortunæ bonis (§. 680.), quo minus officium aliquod humanitatis præſtes (§. 681.), quo minus facias, quæ ad corpus vitamque alterius nec non membrorum integritatem conſervandam conducunt (§. 684.), quo minus ea conferas, quæ ad hoc conferre vales, ut alter vitam commode ac jucunde tranſigat, is alterum lædit (§. 687.). Enimvero nemo eſt lædendus (§. 695.). Ergo etiam nemo te impedire debet, quo minus perfectionem & felicitatem alterius promoveas, quam promovere poteras ac debebas, quo minus &c.

Multas propoſitiones in unam contraximus brevitatis gratia, cum eadem demonſtratione comprehendi poſſint: ſingulæ tamen ſigillatim memoriæ mandandæ, ut quælibet earum promte tibi ſuccurrat, quoties ea habes opus. Ceterum independenter quoque a læſione alterius ſingulæ propoſitiones demonſtrari poterant. E. gr. Omnem facere teneris facultatum tuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum externum alterius requiritur (§. 609.). Tibi igitur permiſſum eſſe nequit, ut impedias alium, qui alterius perfectionem promovere vult, quo minus faciat. Sane ſi tibi hoc permiſſum, permiſſum etiam eſſe debet, ne alterius perfectionem promoveas, conſequenter neceſſe non eſt, ut hoc facias, adeoque ad hoc faciendum minime obligaris (§. 118. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*).

§. 704.

Perſeverantia in ignorantia vincibili non promovenda in aliis.

Nemo id agere debet, ut alter in ignorantia vincibili perſeveret. Omnem enim ignorantiam vincibilem evitare debemus (§. 223.). Qui ergo id agit, ut alter in ignorantia vincibili perſeveret, is eum inducit ad legem naturæ tranſgrediendam (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero nemo alterum inducere debet, ut legem naturæ tranſgrediatur (§. 701.). Ergo etiam nemo id agere debet, ut alter in ignorantia vincibili perſeveret.

Peccant eruditi, qui invidia in alios ducti omni modo id agunt, ut alii a cognitione rerum ſolida arceantur, qua ipſimet carent, & qui ambitione ducti malunt alios in ignorantia perſeverare, quam ad ſolidam rerum cognitionem pervenire, ne exiſtimatio ſua minuatur. Huc etiam referendi ſunt, qui juventuti ſtudioſæ ſtudium Matheſeos ac Philoſophiæ diſſuadent, ubi commodiſſima ipſis offertur occaſio Matheſin ac Philoſophiam addiſcendi. In eundem cenſum veniunt, qui omni molimine ſcripta ſupprimere nituntur, quæ rerum cognitu neceſſariarum ac utilium ſolidam doctrinam continent. Vides adeo, quam multi contra hanc legem naturæ prohibitivam agant, quam hic demonſtravimus. Multæ ſunt rationes, cur placeat

ceat

Digitized by Google

ceat hominibus a virtute alienis aliorum ignorantia; in qua adeo ut perſeverent, omnem moveni lapidem. Sed de hiſce dicendum in Philoſophia morali. Sufficit hic a poſteriori conſtare, quod non fingantur hypotheſes aut, ſi mavis, caſus minime dabiles.

§. 705.

Cur liberatio ab ignorantia vincibili non impedienda.

Nemo impedire debet, quo minus alter ab ignorantia vincibili liberetur. Omnem ignorantiam vincibilem evitare debemus (§. 223.). Qui ergo impedit, quo minus alter ab ignorantia vincibili liberetur; is omnino impedit, quo minus facere poſſit, ad quod faciendum obligatur, conſequenter cum alterum lædat, qui hoc facit (§. 676.), eundem lædit. Quamobrem cum nemo ſit lædendus (§. 695.); nemo quoque alterum impedire debet, quo minus ab ignorantia vincibili liberetur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam omnem ignorantiam vincibilem evitare debemus (§. 223.), homini autem alteri cuicunque idem debemus, quod nobiſmetipſis, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſi autem citra neglectum officii erga noſmetipſos hoc alteri præſtare poſſumus (§. 608.); opera etiam danda eſt, quantum in poteſtate noſtra eſt, ut alter ab ignorantia vincibili liberetur. Nemini adeo permiſſum eſſe poteſt, ut impediat, quo minus alter ab ignorantia vincibili liberetur, quin potius neceſſe eſt, ne impediat alius, quo minus quis ab eadem liberetur. Patet itaque quod nemo impedire debeat, quo minus alter ab ignorantia vincibili liberetur.

Ex doctrina de culpa, quam in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis propoſuimus, liquet, quantum interſit ut ab ignorantia liberemur, & ex doctrina de imputatione ibidem tradita patet, imputari homini, quæ ex ignorantia vincibili proficiſcuntur. Qui ergo vel impedit, quo minus alter ab ignorantia vincibili liberetur, vel id agit, ut in eadem perſeveret; ei imputanda ſunt omnia, quæ ex ejus ignorantiis proficiſcuntur, quæ per ſe vincibilis erat, ſed ab ipſis invincibilis reddebatur alteri. Hæc qui perpendit, facile aſſequetur, quantum noceant, qui partim impediunt, quo minus alii ab ignorantia vincibili liberentur, partim omni molimine id agunt, ut alii in eadem perſeverent, & quam injurii ſint in alios, quos hac ratione lædunt, utut ab iis haud raro agnoſcatur, qui faciunt. Ea de cauſa me olim querelas non injuſtas moviſſe memini contra patres ignorantiæ, quibus nihil erat religioſius, quam ut ſtudioſam juventutem a cognitione rerum ſcitu neceſſariarum atque utilium avocarent ac deterrerent.

§. 706.

Error vincibilis legi naturæ contrarius.

Omnem errorem vincibilem evitare debemus. Error vincibilis non uſui facultatum noſtrarum præſertim cognoſcendi tribuendus (§. 741. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque obligamur ad vitandum facultatum noſtrarum non uſum (§. 206.); errorem quoque omnem vincibilem evitare debemus.

Qualis facultatum uſus requiratur, ut veritatem cognoſcamus, in Logica docetur (§. 1. *Logic.*). Unde ex iis, quæ ibidem docentur, etiam intelligitur, quinam ſit non uſus, cui debetur error vincibilis. Immo cum ibidem oſtendatur, quomodo in errorem incidamus (§. 626. & *ſeqq. Log.*); non uſus facultatum, qui errori locum facit, inde facilius intelligitur.

§. 707.

Ad quemnam evitandum abligemur.

Quoniam vincibilis error eſt, qui evitari poteſt, modo velimus (§. 30. *part. 1. Phil. pract. univ.*), omnem vero errorem vincibilem evitare debemus (§. 706.); *errorem omnem evitare debemus, quem evitari poſſibile eſt.*

Hæc ipſa obligatio continetur in obligatione ad rei cujuſcunque cognitionem nobis comparandam, cujus comparandæ occaſio offertur (§. 221.). Quoniam enim, qui errat, quod negandum affirmat, & ex adverſo quod affirmandum negat (§. 624. *Log.*); qui errat, non cognoſcit quod cognoſcere ſibi videtur. E. gr. Ponamus te ex *Kepleri* paralipomenis in Vitellionem

 didi-

didiciſſe, Venerem & Mercurium proprio lumine fulgere, atque adeo hæc corpora mundi totalia pro lucidis habere, cum tamen per obſervationes teleſcopicas innotuerit, quod ſint corpora opaca, proprio lumine deſtituta. Nemo non videt, dum erras, te minime cognoſcere, qualia corpora ſint Venus atque Mercurius. Obligatio adeo ad cognitionem rerum comparandam reſpicit nonniſi veram, minime autem falſam, cum falſa pro nulla habenda ſit.

§. 708.

Errores inſinuare aliis illicitum.

Nemo hominum aliorum animis errores inſinuare debet. Omnem enim errorem evitare debemus, quem evitare nobis poſſibile (§. 707.). Quamobrem cum aliis debeamus, quod nobiſmetipſis debemus (§. 608.); opera quoque danda, quantum in nobis eſt, ut alii errorem omnem evitent. Quoniam cum hac obligatione minime conſiſtit, ſi ipſimet aliorum animis errores inſinuare velimus; nemo omnino hominum animis aliorum errores inſinuare debet.

In genere igitur liquet, peccare eos, qui aliis errores perſuadent, ut eoſdem pro veritate amplectantur. Cum vero error unus magis noceat aliis; magis omnino peccat, qui erroribus nocuis aliorum animos imbuit, quam qui eos iiſdem inſtillat, qui in praxin minime influunt. Diſcant hinc, quod non temere ad docendum alios ſeſe obtrudere debeant, qui ipſimet nondum certi ſunt, utrum ea, quæ docent alios, vera ſint, nec ne.

§. 709.

Nec minus facere, ut alter in errore perſiſtat.

Nemo hominum id agere debet, ut alter in errore perſiſtat; ſed ab eodem, ſi poteſt, eum revocare tenetur. Etenim nemo aliorum animis errores inſinuare debet (§. 708.). Quoniam itaque perinde eſt, ſive alteri errorem perſuadeas, ſive id agas, ut in errore perſiſtat; nemo quoque hominum id agere debet, ut alter in errore perſiſtat, conſequenter ab eodem, ſi poteſt, eum revocare tenetur.

Variæ ſunt rationes, quibus permoventur homines, ut nolint alios ab errore, quo imbuti ſunt, liberari. Sed in eas inquirere hujus non eſt loci. Reſervanda diſquiſitio Philoſophiæ morali.

§. 710.

Revocatio ab errore non impedienda.

Nemo te impedire debet, quo minus alterum ab errore revoces. Etenim ſi fieri poteſt, alterum ab errore, quo imbutus eſt, revocare debes (§. 709.). Quod igitur ipſe facere debes, id ut per alium fiat, cum licite impedire nequeas; nemo quoque te impedire debet, quo minus alterum ab errore revoces.

§. 711.

Ad vitia nemo ſeducendus.

Nemo alterum ad vitia quomodocunque ſeducere debet. Etenim cum vitium ſit habitus actiones ſuas ratione contraria dirigendi, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque hanc transgrediendi (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui alterum ad vitia ſeducit, quocunque demum modo id fiat, is eum ad legem naturæ transgrediendum ſeducit. Sed nemo alterum inducere debet, ut legem naturæ transgrediatur (§. 701.). Nemo itaque alterum ad vitia quomodocunque ſeducere debet.

Quod nemo ad vitia ſit ſeducendus, equidem agnoſcitur: pauci tamen ſunt, qui agnoſcunt, lædi alterum, ſi eum ad vitia ſeducas. Ratio eſt, quod detur quædam diſparitas inter læſiones corporis ac ſtatus externi & læſiones animæ. Etenim illæ fiunt plerumque te prorſus invito; in has vero vel conſentis, vel ſaltem non repugnas lædenti. Atat notio læſionis minime excludit conſenſum (§. 669.). Confuſæ notioni debetur, ſi hunc ab ea removeris, quatenus

tenui animam attendis ad exempla; ubi alter læditur invitus, veluti ſi a violento aggreſſore vulnereris, vel a prædone in via rapiuntur, quæ penes te habes. Alia eſt quæſtio de læſione facta; alia vero quæſtio eſt, cuinam imputare debeas, quod læſus fueris. Quamvis adeo non ſolummodo lædenti, verum etiam tibimetipſi imputandum ſit, quod fuerit læſus; non tamen ideo dici poteſt, te læſum non fuiſſe. Ceterum multi dantur ſeducendi alios modi, pro quorum diverſitate nunc magis, nunc minus tibi imputare debes, quod ſeductus fueris. Læſionem autem in ſe ſi æſtimes, multo major utique eſt, ſi ad vitium quoddam ſeductus fueris, quam ſi corpori vulnus aliquod inflictum fuit, & malo huic facilius medemur, quam alteri, quemadmodum in Philoſophia morali oſtendetur, ipſa autem experientia confirmatum hic ſumi poteſt.

§. 712.

Avocatio a vitiis non impedienda.

Nemo te impedire debet, quo minus alterum a vitio avoces. Quoniam vitia cum virtute conſiſtere minime poſſunt (§. 321. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui te impedit, quominus alterum a vitio avoces, is quoque impedit, quo minus alter virtutes morales acquirat. Enimvero qui impedit, quo minus alter virtutes morales acquirat, is eundem lædit (§. 675.). Quamobrem alterum lædit, qui te impedit, quo minus eum a vitio avoces. Sed nemo eſt lædendus (§. 695.). Nemo igitur te impedire debet, quo minus alterum a vitio avoces.

Læſio hæc non minor eſt anteriore, etſi, cum actus unus idemque malus multiplices habere poſſit rationes, ex parte lædentis varios admittat malitiæ gradus. Sane ſi quis impedit, quo minus alter a vitio avocetur, qui ipſe idem averſatur, ſed inimico in alterum animo vult, ut in vitio perſeveret, quo ſibi nocest; major utique malitiæ gradus eſt, quam ſi quis tibi a vitio alterum avocaturo reſiſtit, quod amet vitii, quo ipſemet delectatur, ſocium. Sed ad diverſitatem rationum, quibus permoventur homines ad appetendum actus vitioſos, hic non attendendum eſt, ubi tantummodo quæritur, quid illicitum ſit. Aſt in Philoſophia morali, ubi appetitus perverſus in ordinem redigendus, ad eas animus advertendus, ut appareat, qualis conveniat medela.

§. 713.

Perſeverantia in vitio non promovenda.

Nemo id agere debet, ut alter in vitio quodam perſeveret. Sive enim alterum ad vitium quoddam ſeducas, ſive id agas, ut alter in eodem perſeveret, unum idemque eſt: id nimirum in utroque caſu agis, ut alter vitio ſit deditus, ſeu actiones committat legi naturali contrarias (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Aſt nemo alterum ad vitium ſeducere debet (§. 711.). Ergo nemo etiam id agere debet, ut alter in vitio quodam perſeveret.

Magis alterum lædit, qui id agit, ut alter in vitio quodam perſeveret, nec ab eodem liberetur, quam qui eundem ad illud ſeducit. Etenim quo diutius quis in vitio perſeverat, eo difficilius ipſum dediſcitur. Quantæ nimirum difficultatis ſit eradicare vitia inveterata, clariſſime conſtabit, ubi praxin vitiis medendi in Philoſophia morali tradiderimus. Sane haud raro contingit, ut diuturnitate malum prorſus inſanabile evadat, cujus rationes dabimus ſuo tempore.

§. 714.

Bona animi quænam ſint.

Habitus utendi facultatibus animæ bona animi ſunt. Etenim anima perficitur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.), adeoque habitus utendi facultatibus animæ eam reddunt perfectiorem. Enimvero quod animam perfectiorem reddit, bonum animi eſt (§. 554. 556. *Pſych. empir.*); habitus adeo utendi facultatibus animæ bona animi ſunt.

Loquimur hic de bonis animi acquiſitis, non naturalibus, quæ natura inſunt: habitus enim utendi facultatibus ſuperioribus præſertim animæ demum acquiri; non vero natura ineſſe, ex ſuperioribus ſatis conſtat & experientia obvium eſt.

§. 715.

Digitized by Google

§. 715.

Idem porro expenditur.

Virtutes intellectuales & morales ſunt bona animi. Virtutes enim intellectuales ſunt habitus intellectus, morales vero voluntatis & noluntatis boni (§. 547.), conſequenter intellectuales & morales ſimul ſunt habitus utendi facultatibus animæ, intellectu ſcilicet, voluntate ac noluntate. Enimvero habitus utendi facultatibus animæ bona animi ſunt (§. 715.). Ergo virtutes intellectuales & morales bona animi ſunt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Virtutes intellectuales & morales ſunt perfectio animæ acquiſita (§. 548.), adeoque animam perfectiorem reddunt. Sed quod animam perfectiorem reddit, bonum animi eſt (§. 554. 556. *Pſych. empir.*). Ergo virtutes intellectuales & morales bona animi ſunt.

Non eſt, quod objicias, dari etiam habitus facultatibus animæ inferioribus utendi, qui a nobis acquiri poſſunt. Quoniam enim facultates animæ inferiores ad conſenſum cum ſuperioribus reducendæ ſunt (§. 267. 268. 275.), atque adeo earundem uſus ſubeſt directioni facultatum ſuperiorum, ſi diſtincte expendis virtutes intellectuales & morales, eædem habitus facultatibus inferioribus utendi includunt, nec ſine his ſubſiſtunt, & quo præclariores fuerint hi habitus, eo etiam magis excellunt virtutes intellectuales atque morales. Inde eſt, quod non peculiares conſtituantur virtutes, quæ facultatibus animæ inferioribus inſunt. Etſi hæc jam ſatis aperta ſint per ea, quæ in Pſychologia docuimus; ſuo tamen tempore in Philoſophia morali, ubi praxin virtutum tam intellectualium, quam moralium tradenus, clarius eluceſcent. Facultates animæ ſuperiores ac inferiores non ita ſibi invicem opponendæ ſunt, quaſi homo officio ſuo ſatisfacere poſſit ſolo unius facultatis uſu; ſed in uſu potius omnes ſunt ſimul adhibendæ, ne actio humana ullatenus a rectitudine ſua deficiat.

§. 716.

Malum animi privativum in quo conſiſtat.

Impotentia uſus facultatum animæ malum animi eſt. Facultates enim animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209.). Quamobrem ſi iidem non acquiruntur, anima imperfectior eſt, quam ubi acquiruntur. Enimvero ubi adeſt impotentia uſus facultatum ejuſdem, habitus iiſdem utendi non fuerunt acquiſiti. Impotentia igitur uſus facultatum animæ eandem imperfectiorem reddit. Aſt malum animi eſt, quod eundem imperfectiorem reddit (§. 565. 567. *Pſych. empir.*). Impotentia itaque uſus facultatum animæ malum animi eſt.

Habemus hic principium generale dijudicandi malum animi privativum.

§. 717.

Mala animi privativa quænam ſint.

Abſentia virtutum intellectualium & moralium malum animi eſt. Virtutes enim intellectuales & morales ſunt habitus intellectus, voluntatis & noluntatis (§. 547.), conſequenter habitus facultatibus animæ utendi. Quamobrem ubi abſunt, datur impotentia uſus facultatum animæ. Atat impotentia uſus facultatum animæ malum animi eſt (§. 716.). Abſentia itaque virtutum intellectualium & moralium malum animi eſt.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam virtutes intellectuales & morales ſunt perfectio animæ acquiſita (§. 548.); ubi eædem abſunt, perfectio animæ deficit. Quamobrem cum deficiente perfectione anima imperfectior ſit, quam foret ſi eadem adeſſet; abſentia virtutum intellectualium & moralium animam imperfectiorem reddit. Enimvero malum animi eſt, quod animam imperfectiorem reddit (§. 565. 567. *Pſych. empir.*). Abſentia itaque virtutum intellectualium & moralium malum animi eſt.

Videmus adeo mala animi privativa redire ad abſentiam virtutum intellectualium atque moralium, modo notemus, quæ paulo ante (*not.* §. 715.) annotata fuerunt.

§. 718.

§. 718.

Vitia ſunt mala animi. Etenim vitia ſunt habitus committendi actiones, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum imperfectionem (§. 322. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter hominem imperfectiorem reddunt. Sed quod hominem imperfectiorem reddit quoad animam, malum animi eſt (§. 565. 567. *Pſych. empir.*). Vitia igitur mala animi ſunt. *Mala animi poſitiva.*

Hinc metaphorice dicuntur morbi animi. Quando enim homo vitiis laborat, facultates animæ non rite funguntur munere ſuo, quemadmodum, ubi corpus morbo aliquo laborat, una vel plures ejus partes ineptæ ſunt ad ſuos, quibus deſtinantur, uſus (§. 346.), conſequenter functiones ſuas non rite obeunt.

§. 719.

Ex hactenus demonſtratis denuo ſequitur, quod *nemo te a virtute avocare, vel quo minus eandem conſequaris, vel alius in ea conſequenda te juvet, impedire debeat*. Virtutes enim tam intellectuales, quam morales bona animi ſunt (§. 715.). Quamobrem qui a virtute te avocat, bono quodam animi te privat: qui impedit, quo minus virtutem conſequaris, is impedit, quo minus bona animi conſequaris; qui denique impedit, quo minus alter te juvet in virtute conſequenda, is impedit, quo minus alter te juvet in conſequendis animi bonis. Enimvero nemo te bonis animi privare debet (§. 699.), neque etiam impedire, quo minus bona animi conſequaris (§. 696.), aut quo minus alter te juvet in iis conſequendis (§. 703.). Quamobrem nemo te a virtute avocare, vel impedire debet, quo minus eandem conſequaris, aut alius in ea conſequenda te juvet. *Virtus alienа cur non impedienda.*

Non inconſultum eſt, præſertim in Philoſophia practica, unam eandemque propoſitionem variis modis demonſtrari, cum demonſtratio una aliis evidentior ſit eoſque magis convincat quam altera. Veritatis autem convictio plenaria maximi momenti eſt in praxi morali.

§. 720.

Nemo alterum ad vitia quomodocunque ſeducere, aut id agere debet, ut alter in vitio quodam perſeveret, neque etiam impedire, quo minus alter a vitio alterum avocet. Vitia enim mala animi ſunt (§. 718.). Quamobrem qui alterum ad vitia quomodocunque ſeducit, aut impedit, quo minus alius a vitio eundem avocet, is id agit, ut alter in mala animi incidat. Quoniam itaque nemo hoc agere debet ſive per ſe, ſive per alios, ut alter in mala animi incidat (§. 700.); nemo alterum ad vitia quomodocunque ſeducere, aut impedire debet, quo minus alius eundem a vitio avocet. *Vitia aliena cur non promovenda.*

Jam cum perinde ſit, ſive quis id agat, ut alter in mala animi incidat, ſive ut in iiſdem perſeveret, nemo autem id agere debeat, ut alter in mala animi incidat (§. *cit.*), ideo quoque nemo id agere debet, ut alter in vitio perſeveret.

Demonſtravimus hoc jam aliter ſuperius (§ 712. & ſeqq). Ceterum notanda hic quoque ſunt, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 721.

Nemo id agere debet ſive per ſe, ſive per alios, ut ſis infelix. Etenim nemo id agere debet ſive per ſe, ſive per alios, ut vitiis obnoxius fias (§. 720.). *Infelix nemo reddendus.*

Qua-

obligatur, quæ ad felicitatem hominis quidpiam conferunt. Enimvero quicquid voluptatem veram homini creat, id ad felicitatem ejus quidpiam confert (§. 638. *Pſych. empir.*). Ergo quilibet voluptatem veram alteri creare debet, quantum in ſe eſt. *Quod erat alterum.*

Charitati & amori univerſali hominum omnium erga omnes conveniens eſt, ut aliis voluptatem creemus, quantum in nobis eſt, & impediamus, quo minus tædiis eorum afficiatur animus, quemadmodum ex ſuperius demonſtratis abunde intelligitur. Eidem igitur repugnat, ut alteri tædia crees. Abutuntur autem amore erga liberos parentes, ſi, quo minus tædiis afficiatur animus eorum, permittunt, ut faciant ea, quibus infelices redduntur. Quamobrem ne propoſitio præſens in abuſum trahatur, ſequentia addere lubet.

§. 724.

Quibuſnam tædiis felicitas aliorum promoveatur.

Tædia innocua promovent felicitatem hominis. Etenim tædia innocua voluptatem veram pariunt, vel in eandem tandem degenerant (§. 386. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); conſequenter ea, ex quibus tædium innocuum percipitur, veram tandem homini voluptatem creant. Quamobrem cum id ad felicitatem hominis quidpiam conferat, quod voluptatem veram homini creat (§. 638. *Pſych. empir.*), ea, quibus tædium innocuum percipitur, ad felicitatem hominis quidpiam conferunt, conſequenter tædia innocua eandem promovent.

Tædia innocua ſunt, quæ liberi a parentibus & præceptoribus caſtigati ex plagis percipiunt. Etenim cum hoc ipſo emendatio eorundem intendatur, ea faciunt parentes & præceptores, quæ ad illorum perfectionem ac felicitatem promovendam exiguntur.

§. 725.

An alteri tædia innocua creare liceat.

Tædia innocua creare alteri per ſe obligationi naturali non repugnat, nemini tamen invito tædia innocua creare, ſeu ea facere, ex quibus tædia innocua percipit, licet. Etenim tædia innocua promovent felicitatem (§. 724.), adeoque & perfectionem alterius (§. 652.). Quoniam itaque ad perfectionem alterius pro virili promovendam obligamur (§. 609.); ea facere, quæ alteri tædia innocua creant, obligationi naturali minime repugnat, ſeu tædia innocua creare alteri obligationi naturali per ſe non repugnat. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam nullum tibi jus cogendi alterum, ut, ubi perfectionem ejus promovere vis, id a te fieri patiatur (§. 666.); neque jus competit, ut, altero invito facias, quæ ipſi tædia innocua creant. Quamobrem cum facere non licet, quod faciendi jus nullum nobis eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nemini etiam invito ea facere licet, ex quibus tædia innocua percipit. *Quod erat alterum.*

Ita plagis afficere alterum minime licet, ut ab ebrietate deſiſtat, ne ſcortetur, ne tempus otio fallat. Quodſi ergo tibi hoc licitum eſſe debet, neceſſe eſt, ut jus quoddam in alterum acquiſiveris, quod natura tibi minime competit. Videbimus autem ſuo loco tale jus competere parentibus in liberos, dominis in ſervos, ſuperiori in ſubditos. Quamobrem quæ hic demonſtrantur, quatenus homines tanquam natura liberi, ſive in ſe conſiderantur, non contrariantur iis, quæ ſuo loco de jure parentum in liberos, dominorum in ſervos, ſuperiorum in ſubditos demonſtrabuntur, & de aliis ſingularibus juribus, quæ connata non ſunt, ſed præſuppoſitis demum factis humanis naſcuntur. Acute diſtinguenda ſunt, quæ eadem non ſunt, ne perverſæ interpretationes admittantur, nec contradictiones fingantur, ubi nullæ ſunt. Si tibi jus eſt in alterum, multa licent, quæ alias licita non ſunt, quemadmodum conſtabit, ubi jura acquiſita explicaturi ſumus. Ceterum quia tædia innocua alteri creare per ſe obligationi naturali minime repugnat; ideo quoque fieri poteſt, ut jus hoc faciendi acquiratur, nec tale jus eidem adverſatur.

Digitized by Google

§. 726.

Quando tædia aliena non curanda.

Si alter tædium ex eo percipit, quod facias, ad quod faciendum obligatus es, vel facere nolis, ad quod non faciendum obligaris; ideo non contra obligationem tuam quicquam admittendum, nec dum obligationi ſatisfacis, alterum lædis. Quoniam enim obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); impoſſibile eſt, ut ulla detur ratio, cur contra eandem quicquam ſit admittendum (§. 291. *Ontol.*). Quamobrem nec ſufficiens ratio eſſe poteſt, ut non facias, ad quod faciendum obligaris, vel facias, ad quod non faciendum obligaris, ſi alter ex eo, quod contra obligationem naturalem nil quicquam admittere velis, tædium percipiat. Quamvis ergo alter ex eo tædium percipiat, quod facias, ad quod faciendum obligatus es, vel facere nolis, ad quod non faciendum obligaris; ideo tamen non contra obligationem tuam quicquam admittendum. *Quod erat unum.*

Quodſi alter ex eo, quod obligationi tuæ naturali ſatisfacis, tædium percipit; non tu, ſed ipſemet eſt cauſa tædiorum ſuorum (§. 881. *Ontol.*), conſequenter cum tædia ad infelicitatem pertineant (§. 637 *Pſych. empir.*), non tu, ſed ipſemet ad infelicitatem ſuam quidpiam confert, neque tu felicitatem ejus impedis, quia nullum ex eo, quod facis, tædium percipere debebat. Quoniam adeo is demum alterum lædit, qui alterius felicitatem impedit (§. 678.), adeoque & qui id agit, ut alter infelix ſit; ideo alterum minime lædit, qui contra obligationem ſuam nil quicquam admittere vult, etiamſi alter tædium ex eo percipit, quod facit, ad quod faciendum obligatur, vel facere nolit, ad quod non faciendum obligatur. *Quod erat alterum.*

E. gr. Ponamus, alterum tædiis torquere animum, quod nimio potu te ingurgitare nolis, non ideo eum lædis, quod hoc facere nolis, nec quo minus ipſi hoc ſit moleſtum, voluntati ejus ſatisfaciendum. Notandum vero, repugnare etiam libertati naturali, ut ideo non facias, ad quod non faciendum obligaris, quia alter inde tædium percipit, quod obligationi tuæ ſatisfacis. Si enim obligationi tuæ non ſatisfaceres, propterea quod alter ex eo tædium percipit, in agendo dependens fores a voluntate alterius: id quod utique libertati naturali adverſum (§. 153.). Immo non abſimili modo oſtendi poterat, quod etiam repugnet æqualitati hominum naturali.

§. 727.

Læſio alterius quoad membra corporis.

Qui integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiat, aut alterum membro quodam corporis aut ſaltem uſu ejuſdem privat; eundem lædit. Corpus conſideratur tanquam vivum, tanquam ſentiens, tanquam ſe movens & tanquam humanum (§. 316.). Corpus qua vivum imperfectioni cuidam obnoxium ſit, ſi integritas organorum vitalium non conſervatur (§. 322.); qua ſentiens imperfectioni obnoxium ſit, ſi integritas organorum ſenſoriorum non conſervatur (§. 327.); qua ſe movens imperfectioni obnoxium ſit, ſi integritas membrorum moventium non conſervatur (§. 334.); denique cum perfectio corporis qua humani ſupponat integritatem omnium organorum corporis (§. 339.), qua humanum imperfectioni obnoxium redditur, ſi quodcunque membrum corporis non conſervatur integrum. Quamobrem cum integritas membrorum corporis non conſervetur, ſi integritas ejus quomodocunque vitietur; qui integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiat, corpus alterius imperfectius reddit, quam ante fuerat. Enimvero qui corpus alterius imperfectius reddit, eundem lædit (§. 669.), quoad corpus ſcilicet (§. 670.). Ergo qui integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiat, alterum lædit. *Quod erat primum.*

Qui alterum membro quodam corporis privat, corpus mutilat. Quamobrem cum corporis qua humani perfectio ſupponat integritatem, adeoque etiam ine-

xi-,

xiſtentiam omnium membrorum corporis (§. 339.); qui alterum membro quodam corporis privat, corpus ejus imperfectius reddit, quam ante fuerat. Quoniam itaque alterum lædit, qui hoc facit (§. 669. 670.); qui alterum membro quodam corporis privat, eundem lædit. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum perinde ſit, ſive membrum quoddam prorſus abſit, ſive uſu ſuo deſtituatur, alter vero te lædat, ſi membro quodam corporis te privat *per demonſtrata n. 2.* qui alterum uſu membri cujuſdam corporis privat, ſeu in cauſa eſt, ut uſu ejus deſtituatur, eundem ſimiliter lædit.

Hac igitur propoſitione continentur omnes læſiones quoad membra corporis. Eſt adeo principium fœcundiſſimum, quod innumeros caſus particulares ſub ſe complectitur, quos ſingulos recenſeri prolixum nimis, immo inutile foret. Quoties enim caſus quidam particularis occurrit, beneficio propoſitionis præſentis læſio facile agnoſcitur. Id tantummodo notandum eſt, quando de uſu membrorum ſermo incidit, læſione tolli poſſe vel uſum omnem, vel ſaltem ex parte: in caſu autem poſteriori integritatem membrorum minime conſervari. Quodſi enim integritas conſervaretur, uſui, quem vi ſtructuræ ſuæ habere poterant, nihil decederet. Sublato igitur uſu membri alicujus ex parte, privatio uſus continetur ſub prima propoſitionis parte. Exemplo vix opus eſſe videtur, cum propoſitio non habeat, quod obſcurum videri poterat. Demus tamen exemplum ex ſuperabundanti. Si quis oculum tibi effodit, vel gladio perfodit, aut cœcitatem eidem conciliat; quin te læſerit nemo dubitaverit. In caſu primo organo viſus te privat, in ſecundo integritatem ejus deſtruit, in tertio uſu ipſius te privat.

§. 728.

Læſio membrorum corporis alieni prohibita.

Nemo integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiare, aut alterum membro corporis, vel ſaltem uſu ejuſdem privare debet. Etenim qui hoc facit, alterum lædit (§. 727.). Sed nemo eſt lædendus (§. 695.). Ergo nemo integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiare, aut alterum membro corporis, vel ſaltem uſu ejuſdem privare debet.

§. 729.

Ad periculum læſionis membrorum corporis alieni cur non ſit concurrendum.

Quoniam nemo integritatem membrorum corporis alieni quomodocunque vitiare, aut alterum membro corporis vel ſaltem uſu ejuſdem privare debet (§. 728.), qui vero alterum adducit in periculum integritatem membrorum corporis vitiandi, aut membrum aliquod corporis vel ſaltem ejus uſum amittendi, id agit, ut alter integritatem membrorum corporis vitiet, aut membrum aliquod corporis vel ſaltem ejus uſum amittat; *nemo* etiam *alterum in periculum membrum aliquod corporis vitiandi, aut membrum ipſum vel ſaltem uſum ejuſdem amittendi adducere debet.*

Non attendimus hic, utrum quis ſciens ac volens hoc faciat, ſive doloſe, ſive ſaltem ex culpa, multo minus ad gradum culpæ reſpicimus. Talia enim tum demum attendenda veniunt, ubi de imputatione læſionis quæſtio eſt.

§. 730.

Læſio ſanitatis alterius.

Qui id agit, ut alterius corpus morbo corripiatur, ſeu ſanitati alterius nocet, alterum lædit. Quamdiu enim corpus ſanum eſt, perfectio ejus ſubſiſtit (§. 391.), quamprimum vero morbo aliquo laborat, imperfectioni cuidam obnoxium evadit (§. 392.). Qui itaque id agit, ut alterius corpus morbo corripiatur, ſeu ſanitati alterius nocet, corpus alterius imperfectius reddit. Quare cum alterum lædit, qui corpus ejus imperfectius reddit (§. 669. 670.); qui id agit, ut alterius corpus morbo corripiatur, ſeu ſanitati alterius nocet, alterum lædit.

Digitized by Google

Sanitati multis noceri poteſt modis. Actiones ad ejus deſtructionem tendentes & morbos promoventes patebunt per ea, quæ in Phyſica ſpecialiſſima tradenda;

§. 731.

Læſio ſanitatis alienæ prohibita. *Nemo id agere debet, ut alterius corpus morbo corripiatur, ſeu ſanitati alterius nocere nemo debet.* Etenim qui id agit, ut alterius corpus morbo corripiatur, ſeu ſanitati alterius nocet, alterum lædit (§. 730.). Nemo autem alterum lædere debet (§. 695.). Ergo etiam nemo id agere debet, ut alterius corpus morbo corripiatur, ſeu ſanitati alterius nocere nemo debet.

§. 732.

Vulnus quid ſit. *Vulnus* dicimus ſolutionem continui in parte molliore corporis a cauſa quadam externa factam. Unde *corpus vulnerare* dicitur, qui in parte quadam molli continuitatem quomodocunque ſolvit, ſive fiat cædendo, tunc quando gladio acuto piſſecatur cutis cum muſculo ſubjacente, vel etiam vena quædam aut arteria, ſive pungendo, veluti ſi quis gladio perfodit thoracem, ſive contundendo, veluti ſi quis ligno duriori ferit caput, aut alio quocunque modo, veluti a ſclopetorum globulis.

Latiſſime ſumimus vocabulum ſecuti *Celſum* lib. 5. c. 6. etſi Medici ſubinde puncturas & contuſiones a vulneribus diſtinguant, propterea quod ſignificatus latiſſimus inſtituto præſenti convenientiſſimus, ne propoſitionum numerum multiplicare cogamur. Si quis tamen contuſiones a vulneribus diſtinguere velit, ne a communi loquendi uſu nimium recedere videatur; per nos hoc faciat, qui in verbis faciles ſumus, modo reipſa conveniamus.

§. 733.

Ruptura quid ſit. *Ruptura* eſt ſolutio continui in parte molliori nimia tenſione facta. In ſignificatu adeo latiſſimo, quem nos vocabulo tribuimus, ruptura ſub vulnere comprehenditur.

Rupturæ variæ ſunt cauſæ, quas inter recenſentur vehementis ponderis elevatio, vel geſtatio, caſus, percuſſio, vociferatio. Videatur *Sennertus* Pract. lib. 5. part. 4. c. 1. f. m 874. b.

§. 734.

Fractura quid ſit. *Fractura* eſt ſolutio continui in parte quadam dura ſeu oſſe corporis.

Etſi fractura quoque oſſis ſub vulnere comprehendi poterat, inſtituto noſtro non reclamantes illam tamen ab hoc diſtingui conſultum duximus, ne a communi loquendi uſu nimium recedere videamur, præſertim cum & Medici fracturas a vulnere diſtinguere teneantur ipſorum inſtituto convenienter, utut fateantur, quod eſt vulnus in parte molli, idem eſſe fracturam in dura & oſſe.

§. 735.

Luxatio quid ſit. *Luxatio* eſt articuli oſſis, quo alteri jungitur, e ſede ſua in alienam prolapſus.

Qui hanc definitionem ſatis intelligere voluerit, ex Anatomicorum libris modum ſibi perſpectum reddat, quo duo oſſa per articulum inter ſe connectuntur. Hæc cum vulnere nihil commune habet, quemadmodum fractura (*not.* §. 734.). Unde neceſſario ab eodem atque fractura diſtinguenda venit.

§. 736.

§. 736.

Status corporis vulnerati.

Si pars quædam vulneratur, ad omnes, quibus deſtinatur, uſus non amplius apta eſt: Immo haud raro vulnera interitum parti cuidam corporis, vel toti etiam corpori minitantur. Conſtat hoc a poſteriori. Ita ſi muſculus quidam diſſecatur, ad movendum organum, cui deſtinatur, non aptus deprehenditur, ſi tunicæ corneæ oculi vulnus infligitur, humorem aqueum non amplius continere poteſt oculus. Si cor transfoditur, ut ventriculus alter ejus diſſecetur; nec ſanguinem amplius continere, nec eam in arterias propellere valet, ac homo vulneratus ſubito extinguitur. Immo noto notius eſt, alia quoque vulnera haud raro ſequi mortem, vel ex accidente, vel ſuapte natura. Neque etiam ignotum eſt, ob vulnera inflicta ſubinde etiam membra quædam corporis eſſe reſecanda; parumque hic refert, ſive id ex accidente contingat, ſive ex vulnere neceſſario ſequatur jactura membri.

Plura non addimus, cum hæc præſenti loco ſufficiant. Experientia, ſi eam conſulere lubet, plura ſuggeret.

§. 737.

Status corporis in ruptura, fractura, luxatione.

Ruptura partem ad uſum, cui deſtinatur, ineptam facit, & fractura partes corporis, ad quas ſpectant oſſa corporis, ad motum ineptæ redduntur, idemque luxatio efficit. Patent hæc a poſteriori, & adeo obvia ſunt, ut opus non ſit ad ſpecialia provocare.

Nec commemoramus alia, quæ hinc haud raro conſequuntur, veluti claudicatio, privatio omnis facultatis locomotivæ quoad illam partem, dolores, qui inde percipiuntur. In obviis enim recenſendis non opus eſt, ut ſimus proliziores.

§. 738.

Vulnera, ruptura, fractura & luxatio morbi ſunt.

Vulnera, ruptura, fractura & luxatio morbi ſunt. Etenim vulnera non minus, quam ruptura, fractura & luxatio partes quaſdam corporis ad eum, cui deſtinantur, uſum ineptum reddunt (§. 736. 737.). Quoniam itaque ſtatus corporis, quo una vel plures ejus partes ad ſuos uſus, quibus deſtinantur, aptæ non ſunt, & eodem ſenſu morbus de qualibet parte dicitur (§. 346.); vulnera utique, ruptura, fractura, & luxatio morbi ſunt.

Noto notius eſt, Medicos quoque vulnera, rupturam, fracturam & luxationem inter morbos referre, ſit ita, quod peculiaris Medicinæ practicæ pars morbis hiſce curandis deſtinetur, quæ Chirurgia appellari ſuevit, quodque horum morborum curationi præficiantur Chirurgi, non Medici, qui morbos internos curant. Neque enim propterea morbi externi minus morbi ſunt quam interni, quia illi curantur a Medicis, hi a Chirurgis. Quæ ad unum genus referenda ſint, ex definitione dijudicandum (§. 349. *Log*). Morbi autem definitionem competere vulneribus, rupturæ, fracturæ, & luxationi ex demonſtratione liquet.

§. 739.

Læſio eſt vulnere inflicto, ruptura, fractura & luxatione.

Qui corpus alterius vulnerat, vel partes quaſdam rumpit, vel oſſa frangit, aut luxat, aut ut hæc fiant, quomodocunque concurrit; alterum lædit. Qui enim efficit, ut corpus alterius morbo cuidam obnoxium fiat, eum lædit (§. 730.). Enimvero qui corpus alterius vulnerat, vel partes quaſdam rumpit, vel oſſa frangit, aut luxat, corpus ejus morbo obnoxium reddit (§. 738.). Ergo qui corpus

corpus alterius vulnerat, vel partes quaſdam rumpit, vel oſſa frangit, aut luxat, aut ut hæc fiant quomodocunque concurrit, alterum lædit.

Rupturæ ſingulare exemplum recenſetur in Commentariis Academiæ Scientiarum Petropolitanæ Tom. I p. 382. Vir ſcilicet juvenis Petropoli pugnis cum altero ſeſe exercens ex liene in medio rupto ob hæmorrhagiam excitatam ſubito mortuus eſt, ut adeo ruptura fuerit lethalis. Etſi autem alteri mors inde ſecuta imputari minime poſſit moraliter, cum abſuerit animus lædendi, non tamen hinc ſequitur, quod alter ab ipſo minime fuerit læſus.

§. 740.

Vulneratio alterius, ruptura item, fractura & luxatio prohibita.

Nemo alterum vulnerare, vel partem quandam corporis rumpere, vel oſſa alterius frangere aut luxare, vel ut hæc fiant, quomodocunque concurrere debet. Qui enim horum aliquod facit, is alterum lædit (§. 739.). Sed nemo eſt lædendus (§. 695.). Quamobrem nemo etiam alterum vulnerare, vel partem quandam corporis rumpere, vel oſſa frangere alterius aut luxare, vel ut hæc fiant, quomodocunque concurrere debet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Nemo id agere debet, ut corpus alterius morbo cuidam obnoxium fiat (§. 731.). Quoniam itaque idem morbo obnoxium evadit, ſi vulnus ipſi infligitur, vel ſi pars quædam rumpitur, vel etiam ſi os quoddam frangitur, aut luxatur (§. 738.; nemo quoque corpus alterius vulnerare, vel partem quandam rumpere, vel oſſa alterius frangere aut luxare, vel ut hæc fiant, quomodocunque concurrere debet.

§. 741.

Homicidium quid ſit.

Occidere alterum dicitur, qui mortem eidem facto quodam ſuo conſciſcit, ſeu vita eundem privat. Unde *homicidium* eſt factum, quo quis alteri mortem conſciſcit, ſeu vita alterum privat.

Si quis alterum in flumen præcipitem dat, ut aqua ſuffocetur, ſi venenum miſcet, ſi gladio caput findit, ut moriatur, ſi enſe cor transfodit, ſi clava percutit, ut extinguatur; eum occidit. Ceterum hic non attenditur, num quis dolo, an culpa occidat alterum, per ea, quæ paulo ante in caſu ſimili (*not. §. 729.*) annotata fuerunt. Quamobrem omittimus diſtinctiones homicidii, quæ in Jure civili occurrunt; alio loco explicandas, ubi nimirum in Politica de pœna homicidii erit agendum. Hic loci tantummodo diſquiritur, num homicidium jure naturali ſit illicitum, atque adeo num qua tale habeat turpitudinem quandam naturalem, ob quam minime patrandum, etiamſi homines adhuc vivant in ſtatu naturali.

§. 742.

Occidere alterum quanta ſit læſio.

Alterum occidere læſio omnium maxima quoad corpus & ſtatum externum eſt. Mors enim tollit omnem perfectionem corporis, & omni imperfectioni obnoxium reddit hominem (§. 368.), cumque corpus mortuum per naturam ſuam tendat ad ſui destructionem (§. 369.), & unio ejus cum anima diſſolvatur (§. 367.), nullus amplius ejus ſtatus externus ſubſiſtit. Quamobrem corpus noſtrum ſtatuſque noſter externus majori imperfectioni obnoxia fieri nequeunt, quam ſi alteri mors conſciſcitur; conſequenter ſi is occiditur (§. 741.). Qui ergo alterum occidit, eum quoad corpus ejuſque ſtatum externum maximæ imperfectioni obnoxium reddit. Quoniam itaque alterum lædit, qui eum quoad corpus ſtatumque externum imperfectiorem reddit (§. 669. 670.); alterum occidere læſio omnium maxima quoad corpus & ſtatum externum eſt.

Quodſi læſiones, quemadmodum vulgo fieri ſolet, ad ſolum corpus & ſtatum externum reſtringantur; mortem inferre alteri læſio omnium abſolute maxima eſt. Qui enim alterum

vita

Digitized by Google

vita privat; non modo perfectionem omnem ei auſers, ſed & omni imperfectioni obnoxium ita reddit, ut aliquid perfectionis recuperandæ nulla amplius ſpes ſuperſit. Si vitam alteri abſtuleris, omnia uno actu auſers, quæ homini auferri poſſunt, immo auſers ea jura, quæ natura habet, & quamdiu vivit, a nemine ipſi auferri poſſunt, etſi quod exercitium eorum vi impediri poſſit a potentiore. Vides adeo læſionem majorem, ſi ab anima diſceſſeris, concipi minime poſſe, quam ubi alter occiditur. Cogita læſiones omnes, quæ quoad corpus & ſtatum externum hominis contingunt, nec difficulter videbis, eas in cæde alterius contineri. Quocunque igitur modo hominem quoad corpus ac ſtatum externum lædi poſſibile eſt, hæc læſio omnis uno actu accidit ei, cui mortem facto quodam tuo conſciſcis. Hæc probe perpendenda ſunt, ut intelligas, quid ſibi velit occidere alterum. Taceo, quot modis cæde unius lædantur alii, quorum intererat, ut, qui occiditur, viveret.

§. 743.

Nemo occidendus.

Nemo occidendus. Etenim ſi quis occiditur, quoad corpus & ſtatum externum omnium maxime læditur (§. 742.). Sed nemo eſt lædendus (§. 695.). Ergo etiam nemo occidendus.

Videmus adeo, cur homicidium maxime ſit prohibitum lege naturali, quodque turpitudinem intrinſecam ſummam habeat, quippe quæ ex eo æſtimatur, quod actio aliqua tendat ad imperfectionem noſtri ſtatuſque noſtri (§. 106. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 744.

An jus te occidendi alteri conferre poſſis.

Nemo hominum jus ſe occidendi alteri conferre poteſt. Qui enim alterum occidit, vita eundem privat (§. 741.), conſequenter qui alteri conferre vult jus ſe occidendi, ille conferre debet jus ſe vita privandi. Enimvero nemo hominum habet jus ſemetipſum vita privandi (§. 353.). Ergo nemo etiam hominum jus ſe occidendi alteri conferre poteſt.

Per ſe patet, quod jus habere debes, quod in alterum transferre volueris. Nemo eſt, qui non hoc admittat in omni alio caſu. Non potes alteri donare, quod tuum non eſt, quia transferre debes in alterum dominium, quod non habes. Non competit tibi dominium in vitam tuam (§. 351.), conſequenter nec de ea diſponere potes pro arbitrio tuo (§. 959. *part. 1. Theol nat.*), adeoque nec concedere alteri, ut te occidat. Non eſt, quod hinc inferas, bella omnia pœnaſque capitales eſſe illicita. Jus enim occidendi hoſtem in bello & pœna capitali afficere maleficos in civitate naſcitur ex jure defenſionis, quemadmodum ſuo loco videbimus, neque contrariatur obligationi naturali neminem occidendi ſine ulla reſtrictione aſſertæ. Oritur enim jus alterum occidendi in defenſione ſui ac juris ſui per modum exceptionis ex obligationum naturalium colliſione, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, hic vero præmonendum fuerat, ne per abuſum principiorum in ſe verorum colligerentur, quæ inde legitime inferri minime poſſunt, vel præter neceſſitatem reſtringantur, quæ reſtringi minime opus habent. Tenenda quoque hæc ſunt de homicidio licito in inculpata tutela adverſus aggreſſorem violentum. Pertinet enim hoc ad jus defenſionis, adeoque jus occidendi alterum hic nullum adhuc demonſtrari poteſt. Methodus demonſtrativa requirit, ut omnia ſuo tradantur loco.

§. 745.

An volentem occidere liceat.

Ne volentem quidem occidere licet. Cum enim ad alterum non occidendum obligetis (§. 743.); moraliter neceſſe eſt, ne alterum occidas (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque tibi jus occidendi alterum nullum eſt (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Neque vero etiam alter jus ſe occidendi in te transferre poteſt (§. 744.). Quamobrem fieri nequit, ut, ſi vel maxime alter a te occidi velit, hoc ulla jure facias. Quoniam itaque facere non licet, ad quod faciendum jus nullum habes (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ne volentem quidem occidere licet.

Si quis a te occidi vult, & tu hoc facis, perinde eſt ac ſi ipſemet ſe vita privaret, conſe-

Digitized by Google

quenter autochiriam committeret (§. 354.). Quamobrem cum autochiria jure naturali licita non ſit (§. 365.); nec alter licite vult a te occidi, nec tu hoc licite facere potes (§. 743.).

§. 746.

Cur nemo in periculum vitæ adducendus.

Nemo alterum in periculum vitæ adducere, ſeu eidem exponere debet. Quilibet enim obligatur ad vitam alterius conſervandam, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 641.), conſequenter quantum in poteſtate ſua poſitum eſt curare debet, ne alter vitæ ſuæ jacturam faciat. Quoniam itaque in periculo vitæ conſtitutus jacturam ejus facere poteſt; nemo alterum in periculum vitæ adducere, ſeu eidem exponere debet.

Vide, quæ ſupra annotavimus (not. §. 371.), eum oſtenderemus, periculum vitæ hominis vitandum eſſe, quantum in poteſtate ſua poſitum.

§. 747.

Obligatio ad non occidendum alterum, ut eaane ejus veſcamur.

Nemo hominum alterum occidere debet, ut carne ejus veſcatur. Etenim obligatur ad alterum non occidendum (§. 743.). Quamobrem nec alterum occidere debet, ut carne ejus veſcatur.

Indirecte idem multo evidentius oſtenditur. Ponamus licitum eſſe, ut alterum occidas, quo carne ejus veſcaris. Quia licitum eſt, ad quod faciendum jus habes (§. 170. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); moraliter fieri poteſt, ut alterum occidas (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter neceſſe moraliter non eſt, ne occidas. Ne igitur occidas alterum minime obligaris (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): id quod abſurdum (§. 743.).

Fidem adeo ſupra datam (*not.* § 287.) hic liberavimus. Abſit tibi ut perſuadeas, hac argumentatione tolli poſſe jus inculpatæ tutelæ. Oſtendemus enim ſuo loco, quando idem naſcatur ex obligatione naturali & juribus naturalibus connatis.

§. 748.

Læſio ob ſubtractionem ad vitam & ſanitatem conſervandam hancque recuperandam neceſſariorum.

Qui quocunque modo facit, ut tibi deſint ad vitam ac ſanitatem conſervandam, vel ſanitatem amiſſam recuperandam neceſſaria, te lædit, neque hoc facere debet. Homo enim obligatur ad vitam (§. 350.) & ſanitatem conſervandam (§. 393.), ſanitatemque amiſſam recuperandam (§. 413.). Quamobrem qui quocunque modo facit, ut tibi deſint ad vitam ac ſanitatem conſervandam, vel ſanitatem amiſſam recuperandam neceſſaria; is impedit, quo minus facere poſſis, ad quod faciendum obligaris (§. 726. *Ontol.*). Enimvero qui alterum impedit, quo minus facere poſſit, ad quod faciendum obligatur, is eum lædit (§. 676.). Qui ergo quocunque modo facit, ut tibi deſint ad vitam ac ſanitatem conſervandam, vel ſanitatem amiſſam recuperandam neceſſaria, te lædit, *Quod erat unum*.

Jam nemo lædere debet alterum (§. 695.). Quoniam itaque te lædit, qui quocunque modo facit, ut tibi deſint ad vitam ac ſanitatem conſervandam, vel ſanitatem amiſſam recuperandam neceſſaria, *per demonſtrata n.* 1. Nemo quoque quocunque modo facere debet, ut tibi deſint ad vitam ac ſanitatem conſervandam, vel ſanitatem amiſſam recuperandam neceſſaria. *Quod erat alterum*.

Nemo exiſtimet talia præter neceſſitatem inculcari, quod facile unuſquiſque ea per ſe agnoſcat, ubi occaſio de iiſdem cogitandi offertur, & vi principii generalis de altero non lædendo inferat, quod fieri minime debeat. Quoniam enim hiſce principiis utemur in demonſtrandis aliis, quæ ad Philoſophiam practicam ſpectant; ideo hic prætermittenda minime fuerunt. Et quia non ſumende ſunt in demonſtrandis aliis, quæ nondum demonſtrata fuere,

præ-

Digitized by Google

ideo hic quoque ea demonſtranda fuere, præſertim cum in veritatibus practicis, ubi appetitus aſſenſui reluctatur, principia, quæ evidentia videbantur, tum demum evadant ſuſpecta, ubi iis demonſtrandis adhibentur, quæ vera eſſe nolles.

§. 749.

An vita alterius ſit in dominio humano.

Nemini hominum natura competit dominium in vitam alterius. Quilibet enim obligatur ad vitam aliorum hominum conſervandam, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 641.), obligatur etiam ad alterum non occidendum (§. 743.), neque alter jus ſe occidendi in quemlibet conferre poteſt (§. 744.), ita ut ne volentem quidem occidere liceat (§. 745.), immo nemo alterum in periculum vitæ addúcere debet (§. 746.). Quamobrem nemini natura integrum eſt de vita alterius diſponere pro arbitrio ſuo. Quoniam vero nobis in eam rem dominium minime competit, de qua pro arbitrio noſtro diſponere minime poſſumus (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*); nemini quoque hominum natura competit dominium in vitam alterius.

Undenam vero ſit in civitate jus vitæ ac necis, quod rectori ejuſdem competit, ſuo oſtendetur loco.

§. 750.

Num quis ſit dominus vitæ alterius.

Quoniam dominus vitæ alterius non eſt, cui in eam dominium minime competit (§. 964. *part.* 1. *Theol. nat.*), nemini autem hominum natura competit dominium in vitam alterius (§. 749.; *nemo quoque hominum natura eſt dominus vitæ alterius.*

Quodſi ergo quis ſibi perſuadet ſe eſſe dominum vitæ alterius, ille oſtendere debet, quo titulo jus hoc acquiſiverit. Quales olim errores foverint antiqui, ſuo videbimus loco eoſque confutabimus. Probe igitur notanda ſunt principia, quæ hic demonſtrantur.

§. 751.

Bona corporis quænam ſint.

Sanitas, agilitas, pulchritudo & vita ſunt bona corporis. Quamdiu enim corpus ſanum eſt, perfectio ejus ſubſiſtit (§. 391.), nec ſine ea ſubſiſtere poteſt (§. 392.). Sanitas adeo corpus hominis perfectum reddit. Quoniam itaque bonum corporis eſt, quod ipſum reddit perfectius (§. 554. 556. *Pſych. empir.*). Sanitas bonum corporis eſt. *Quod erat primum.*

Agilitas habitus eſt corpus & membra ejus externa in quemlibet ſitum celeriter componendi ſitumque mutandi (§. 329.). Quamobrem cum perfectio corporis qua ſe moventis conſiſtat in aptitudine appetitionibus & averſionibus animæ convenienter motus producendi, & ſitus tam totius corporis, quam membrorum ejus externorum determinandi (§. 330.); agilitas corpus perfectius reddit. Quoniam itaque bonum corporis eſt, quod corpus perfectius reddit (§. 554. 556. *Pſych. empir.*); agilitas bonum corporis eſt. *Quod erat ſecundum.*

Cum pulchritudo conſiſtat in perfectione rei, quatenus ea vi illius ad voluptatem in nobis producendam apta (§. 544. *Pſych. empir.*); eadem quoque corpus noſtrum perfectius reddit, quam abſque ea eſſet. Quamobrem cum bonum córporis ſit, quod corpus perficit (§. 554. 556. *Pſych. empir.*); pulchritudo bonum corporis eſt. *Quod erat tertium.*

Denique cum mors, quæ vitæ privatio eſt, omnem tollat perfectionem corporis omnique imperfectioni id obnoxium reddat (§. 368.); ſine vita nulla corpori humano competit perfectio. Vita igitur corpus noſtrum perficit, alias trunco vel ſtatuæ ſimile futurum. Enimvero quod corpus perficit, bonum corporis eſt (§. 554. 556. *Pſych. empir.*). Vita itaque corporis bonum eſt.

Digitized by Google

Ecce tibi bona corporis, quæ partim naturalia ſunt, partim acquiſita. Vita, ſanitas & pulchritudo bona naturalia ſunt, cum nemo inficietur eadem nos naturæ beneficio accipere. Nemo enim ſibi debet ea, unde vita, ſanitas & pulchritudo pendent, niſi quatenus ad eorum conſervationem concurrit. Quod vero conſervamus, jam habemus, nec conſervando demum acquirimus, ſed quod habemus tantummodo retinemus. Agilitas corporis quædam naturalis eſt: cum ſub ſe comprehendat omnes habitus movendi corpus & partes ejus externas, atque in ſitu quolibet eaſdem retinendi, quamdiu viſum fuerit, hi vero habitus exercitio acquirantur (§. 430. *Pſych. empir.*); patet vero agilitatem corporis ſub ſe comprehendere innumera corporis bona, quæ ſingula recenſeri prolixum nimis foret. Ceterum cum omnis habitus ſupponat aptitudinem quandam eundem acquirendi, vi cujus poſſibile eſt, ut eundem acquiras, conſequenter diſpoſitionem quandam (§. 426. *Pſych. empir.*); diſpoſitiones iſtæ bona naturalia ſunt. Cum tamen non appareant niſi habitu contracto, ex hic attendendæ minime veniunt.

§. 752.

Mala corporis.

Morbi & mors mala corporis ſunt, & mors malum omnium maximum. Quamprimum enim corpus morbo quodam laborat, imperfectioni cuidam obnoxium evadit (§. 392.). Enimvero quo corpus redditur imperfectius, id malum corporis eſt (§. 565. 567. *Pſych. empir.*). Ergo morbi mala corporis ſunt. *Quod erat primum.*

Mors corpus omni imperfectioni obnoxium reddit (§. 368.). Quoniam itaque id, quod corpus imperfectius reddit, malum corporis eſt (§. 565. 567. *Pſych. empir.*); mors malum corporis eſt. *Quod erat ſecundum.*

Et quoniam majus malum concipi nequit, quam quod omni imperfectioni corpus obnoxium reddit (§. 565. 567. *Pſych. empir.*); mors utique malum corporis maximum eſt. *Quod erat tertium.*

Cum ſuperius oſtenderemus, mortem eſſe malum phyſicum omni homini inevitabile (§. 370.), quod mors ſit malum omnium maximum jam demonſtravimus, cum idem ſupponere non liceret. Non tamen inconſultum fuit hic ſigillatim id demonſtrari, ubi e re eſt mala corporis recenſeri.

§. 753.

Quædam ſpecialius enumerantur.

Quoniam vulnera, rupturæ, fracturæ & luxationes morbi ſunt (§. 738.), morbi autem mala corporis (§. 752.); *vulnera, rupturæ, fracturæ & luxationes mala corporis ſunt.*

Corollarium hoc ſubjungimus, quod vulgo non agnoſcatur vulnera, rupturas, fracturas & luxationes eſſe morbos, ſeu cum morbis internis ad idem genus pertinere, quia ex notionibus confuſis judicantibus morbi externi & interni nil commune habere videntur: quo in errore confirmantur, quod Chirurgi a Medicis diſtinguantur, & modus medendi admodum diverſus ſit. Sed hoc præjudicium jam ſuſtulimus in anterioribus (*not.* §. 738.).

§. 754.

Abſentia boni malum eſt.

Abſentia boni malum eſt. Quoniam enim bonum hominem ejuſque ſtatum perficit (§. 554. *Pſych. empir.*) ſi bonum quoddam abeſt, perfectione quadam caret, cujus capax erat. Cum itaque imperfectior cenſeri debeat, qui perfectione quadam deſtituitur, cujus capax erat; abſentia boni homo vel ejus ſtatus redditur imperfectior. Enimvero quo homo vel ejus ſtatus imperfectior redditur, id malum quoddam eſt (§. 565. *Pſych. empir.*). Abſentia igitur boni malum quoddam eſt.

Lubet hoc principium in genere demonſtrare, propterea quod vi ejuſdem demonſtrationes aliæ contrahuntur, ejuſque uſus etiam erit inſignis in Philoſophia morali.

Digitized by Google

§. 755.

Mala animi privativa.

Quoniam itaque habitus utendi facultatibus animæ bona animi ſunt (§. 714.); bona etiam animi ſunt virtutes intellectuales & morales (§. 715.), abſentia autem boni malum eſt (§. 754.); *impotentia utendi facultatibus animæ & abſentia virtutum intellectualium & moralium mala animi ſunt.*

Hæc jam demonſtravimus in ſuperioribus (§. 716. 717.). Patet vero, quod modo diximus (*not.* §. 754.), beneficio principii generalis, quod in præcedente paragrapho continetur; demonſtrationes contrahi.

§. 756.

Abſentia mali num ſit bonum

Abſentia mali bonum eſt. Malum enim hominem ejuſque ſtatum reddit imperfectiorem (§. 565. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo malum quoddam abeſt, homo imperfectione quadam caret, cui vel ipſe vel ſtatus ejus obnoxius fieri poterat. Quoniam adeo eatenus cenſetur ipſe vel ſtatus ejus perfectior, quatenus imperfectione quadam caret vel ipſe, vel ſtatus ejuſdem; abſentia mali hominem ejuſque ſtatum perficere cenſetur. Enimvero quod hominem ejuſque ſtatum perficit, bonum quoddam eſt (§. 554. *Pſych. empir.*). Abſentia igitur mali bonum quoddam eſt.

Notanda hic ſunt, quæ modo annotavimus *not.* §. 754.). Ceterum propoſitio præſens notionibus accenſenda. Quis enim eſt qui neſciat, quemlibet affirmare, quod bonum ſit, ubi abeſſe intelligit aliquod malum, in quod incidere poterat. Quoniam tamen notiones communes non ſemper ab errore omni immunes ſunt, præſertim in eo veritatum genere, ubi appetitus in aſſenſum influit, etſi hoc fieri minime debebat, an notiones communes veritati conſentaneæ ſint, utique demonſtrandum. Sane quia appetitus ſubinde in aſſenſum influit, ideo contingit, ut contra notiones communes judicent ii, quorum appetitus jam determinatus eſt ob rationes quaſdam extrinſecas, etſi alias iiſdem conforme ferant judicium. Unum adeo idemque principium nunc admittunt tanquam verum, nunc tanquam falſum rejiciunt ſibi parum conſtantes.

§. 757.

Bona corporis privativa.

Quoniam morbi (§. 752.), in ſpecie etiam vulnera, rupturæ, fracturæ & luxationes (§. 753.), mala corporis ſunt, mors item malum corporis maximum eſt (§. 752.); *quod morbis careas, quod vulneribus, rupturis, fracturis & luxationibus, quod etiam mors nondum ſecuta fuerit, bonum corporis eſt, ſeu boni loco babendum* (§. 756.).

Vulgo non agnoſcitur, quantum ſit bonum carere malis corporis, quibus obnoxii ſunt alii: immo non perpenditur, quanti ſit vita ac ſanitate frui, quatenus a nobis procul abſunt mala, dum ea fruimur. Quamobrem etſi ſanus ſit, qui morbo caret, etii vivat, qui mortuus non eſt; abſentia tamen morbi ac mortis tanquam peculiare bonum ſpectandum. Neque enim bono eidem hic de cauſa quidpiam decedit, multo minus bonum quoddam ab altero diſtinctum eſſe deſinit, quia cum altero neceſſario conjunctum eſt.

§. 758.

Auxilium aliis præſtandum quoad bona corporis privativa.

Quicquid ad hoc conferre vales, ut alter careat morbis, vulneribus, rupturis, fracturis & luxationibus & ne moriatur, ad id faciendum obligaris. Etenim ad alium quemcunque ope tua indigentem juvandum obligaris, quantum in poteſtate tua eſt, ut conſequatur corporis bona (§. 612.). Quamobrem cum bonum corporis ſit, carere morbis, vulneribus, rupturis, fracturis & luxationi-

bus, & ne moriatur (§. 756.); quicquid ad hoc conferre vales, ut alter careat morbis, vulneribus, rupturis, fracturis & luxationibus, & ne moriatur, ad id faciendum obligaris.

Non eſt quod exiſtimes, officium, quod hic præcipitur, eſſe idem cum ſuperiori, ſcilicet ne alterum vulneres, vel partem quandam corporis rumpas, vel oſſa alterius frangas, vel ne quomodocunque concurras, ut hæc fiant (§. 740.) & ne occidas alterum (§. 743.). Toto enim cœlo hæc officia diverſa ſunt. Potes alterum non vulnerare, potes non concurrere, ut vulneretur; nil tamen conferre potes, ne vulneretur. Et eodem modo ſeſe res habet quoad reliquas propoſitionis præſentis partes. Officio de non vulnerando altero ſatisfit actionem quandam omittendo, quam committendi occaſio offerebatur, officio autem præſenti, quo quid, quod in poteſtate tua eſt, confers, ne alter vulneretur, non ſatisfit niſi actionem quandam committendo, cujus patrandæ occaſio offertur. Atque hinc apparet, non ſubtilitatis inanis gratia abſentiam morbi, quæ cum ſanitate ſemper conjuncta eſt, nec ab ea ſeparari poteſt, ſpectari tanquam peculiare bonum, quod ſit a ſanitate diverſum.

§. 759.

Læſio quoad vitam parum commodam & moleſtam.

Quicunque facit, ut vitam minus commode ac cum moleſtia tranſigere cogaris, te lædit. Qui enim facit, ut vitam minus commode ac cum moleſtia tranſigere cogaris, cum etiam vita incommoda moleſtias creet (§. 465.), is felicitatem tuam impedit (*not.* §. 645.) & infelicitatem promovere ſtudet (§. 637. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque te lædit, qui felicitatem tuam impedit (§. 678.), adeoque multo adhuc magis lædere debet, ſi ſimul infelicitatem tuam promovere ſtudet; quicunque facit, ut vitam minus commode ac cum moleſtia tranſigere cogaris, te lædit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quicunque facit, ut vitam minus commode ac cum moleſtia tranſigere cogaris, is non tantummodo impedit, quo minus vitam commode ac jucunde tranſigere poſſis; verum vitam tuam incommodam ac moleſtam prorſus reddit. Quamobrem cum te lædat, qui impedit, quo minus vitam commode ac jucunde tranſigere poſſis (§. 686.); multo adhuc magis te lædere debet, quicunque facit, ut vitam parum commode ac cum moleſtia tranſigere cogaris.

Majus utique eſt promovere incommoditatem & moleſtiam vitæ, quam impedire commoditatem & jucunditatem ejus: ut adeo, ſi prius illicitum, illicitum etiam cenſeri debeat poſterius.

§. 760.

Vita alterius incommoda & moleſta non readenda.

Nemo facere debet, ut alter vitam minus commodam & moleſtam vivere cogatur. Qui enim hoc facit, alterum lædit (§. 759.). Nemo autem lædendus eſt (§. 695.). Ergo nemo etiam facere debet, ut alter vitam incommodam & moleſtam vivere cogatur.

Poterat etiam oſtendi hoc modo independenter a propoſitione præcedente. Quicquid facere potes, ut alii vitam commode ac jucunde tranſigant, ad hoc faciendum obligaris (§. 645.). Enimvero ſi ad hoc faciendum obligaris, ad contrarium non faciendum ſimul obligaris (§. 722.). Ergo haudquaquam facere debes, ut alter vitam minus commode ac cum moleſtia tranſigere cogatur.

Quibus demonſtratio propoſitionis anterioris diſplicet, quod in ea a minori ad majus argumentemur; eiſdem ſatisfaciet demonſtratio altera propoſitionis præſentis, ab anteriore minime dependens.

§. 761.

§. 761.

Quæ circa cibum ac potum, veſtimenta & ædes quoad alios prohibita.

Nemo ad hoc quicquam conferre debet, ut deſint aliis cibus ac potus ſalubris, ut deſint veſtimenta neceſſaria & commoda, ut deſint ædes commodæ ac pulchræ. Quicquid enim ad hoc conferre valemus, ne deſit aliis cibus ac potus ſalubris, ne deſint veſtimenta neceſſaria atque commoda, ne deſint ædes commodæ ac pulchræ, id promte facere debemus (§. 644.). Enimvero ſi ad hoc faciendum obligamur, ad contrarium non faciendum ſimul obligamur (§. 722.). Ergo nil quicquam ad hoc conferre debemus, ut deſint aliis cibus ac potus ſalubris, ut deſint veſtimenta neceſſaria & commoda, ut deſint ædes commodæ ac pulchræ.

Contrariatur hoc charitati, & ex odio vel invidia, quæ odium particulare continet, proficiſcitur. Quamobrem cum ad charitatem ipſa naturæ lege obligemur (§. 621.), ad ea non facienda, quæ eidem contrariantur, ſimul obligamur (§. 722.). Cumque nemo hominum odio habere debeat alterum (§. 624); nec ea facere debet, quæ nonniſi ex odio in alios proficiſcuntur. Hoc modo ex ipſis officiis, quæ charitas imperat, deducere licet, quænam lege naturali ſint prohibita, conſequenter cum officia charitatis deducantur ex officiis erga teipſum (§. 608.); habes hic principia heuriſtica, qua via prorſus analytica officia erga alios eruere licet. Proſunt eadem, ut officia erga alios tibi facile in memoriam revoces, quotieſcunque opus eſt, etiamſi eadem memoriæ firmiter non infixeris, modo officia erga teipſum tibi fuerint familiaria. Immo eadem uſui ſunt, ubi in compendio citra ambiges analyticas officiorum erga alios demonſtrationes dare volueris. Quæ igitur hic annotantur, probe notanda veniunt. Poteramus addere uſus alios in praxi morali, veluti ut data occaſione agendi cogites, quid debeas aliis, ſed de iis in præſenti dicendum non eſt, quæ alium locum ſibi vindicant.

§. 762.

Obligatio amicitiam aliorum alteri conciliandi.

Si alteri amicitiam aliorum conciliare vales, ad id faciendum obligaris. Operam enim dare tenemur, ut ipſimet amicitiam aliorum acquiramus (§. 636.). Quoniam igitur alteri cuicunque debes, quod tibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga teipſum hoc alteri præſtare potes (§. 608.); operam quoque dare tenemur, quantum in nobis eſt, ut alter amicitiam aliorum conſequatur, conſequenter ſi tu alteri amicitiam aliorum conciliare vales, ad id faciendum obligaris.

Quodſi ergo fieri poſſet, ut omnes omnibus redderes amicos; hoc faciens faceres, quod eſt officii tui. Charitas enim, quam alteri cuicunque debes, a te hoc exigit, quæ alterum tibi quoad obligationes connatas æqualem facit.

§. 763.

Obligatio eandem conſervandi.

Quicquid ad hoc conferre vales, ut amicitia aliorum alteri conſervetur, ad id faciendum obligaris. Quoniam enim operam dare tenemur, ut ipſimet amicitiam aliorum, quam conſecuti ſumus, conſervemus (§. 636.); eodem prorſus, quo ante, modo oſtenditur, nos alteri obligari ad hoc faciendum, quicquid ad aliorum amicitiam ipſi conſervandam conferre valemus.

§. 764.

Alios alteri inimicos reddere illicitum.

Nemo alios alteri inimicos reddere debet. Danda enim tibi opera eſt, ne alios tibi reddas inimicos (§. 634.). Enimvero quilibet homo alteri cuicunque homini debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum alteri hoc facere poteſt (§. 608.). Danda igitur opera eſt, ne alios alteri reddas inimicos, conſequenter nemo alios alteri inimicos reddere debet.

Quoniam inimicus alterum odit (§. 626.), qui vero odit alterum, eidem tæ-

dia

Digitized by Google

dia creare, & quo minus voluptate perfundatur, impedire ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*); qui alios alteri inimicos reddit, per alios eidem tædia creare, & quo minus voluptate, qua frui poterat, fruatur impedire ſtudet, aut ſaltem in cauſa eſt, ut alii alteri tædia creare, ac quo minus voluptate, qua frui poterat, fruatur impedire ſtudeant (§. 881. *Ontol.*). Quoniam itaque qui alteri tædium creare ac voluptatem, qua perfrui poterat, impedire ſtudet, alterum odit (§. 672. *Pſych. empir.*), conſequenter ipſe alteri inimicus eſt (§. 626.), qui vero in cauſa eſt, ut alii alteri tædia creare ac quo minus voluptate, qua frui poterat, fruatur, impedire ſtudeant, felicitatem alterius impedit (§. 636. 637. *Pſych. empir.*); nemo autem alteri inimicus eſſe debet (§. 628.), nemo etiam felicitatem alterius impedire debet (§. 698.); nemo alios alteri inimicos reddere debet.

Demonſtrationem alteram ex principiis ſpecialioribus deductam addere libuit, ut intrinſeca actus turpitudo, quam prohibitam eſſe hic oſtendimus, clarius percipiatur. Demonſtrationes enim præſertim in veritatibus practicis magis compellunt ad aſſenſum, ſi ex principiis ſpecialibus contextæ, quam ſi ex generalibus conſtitæ. Unde paulo ante monui (*not.* §. 761.) principia generalia magis uſui eſſe in inveniendo, quam in veritatibus inventis in uſus aliorum demonſtrandis. Quoniam itaque nos quoque intendimus, ut lectores ad artem inveniendi præparemus, quo veritates ipſis nondum perſpectas proprio Marte eruere valeant, quoties iiſdem opus habent, vel ubi ipſis propoſitum eſt theſauros veritatum homini ſcitu utilium ac neceſſariarum amplificare; utramque dare viſum fuit, ut utriuſque differentia clarius percipiatur. Id omnino agimus, ut lectori noſtro tantum proſimus data qualibet occaſione, quantum poſſumus. Ceterum in demonſtratione poſteriore probe diſtinguendus erat dolus a culpa, ne minus demonſtraretur, quam demonſtrari debebat: id quod lector attentus, cui differentia inter dolum & culpam perſpecta eſt ex parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis, facile animadvertet.

§. 765.

Obligatio inimicos alteri reconciliandi. *Quilibet inimicos tuos, quantum in ſe eſt, tibi reconciliare tenetur, hoc eſt, facere debet, ut ex inimicis reddantur amici.* Etenim, quantum in te eſt, operam dare debes, ut aliorum amicitiam alteri concilies (§. 762.). Quamobrem cum aliorum amicitiam alteri concilies, ſi ex inimicis reddas amicos, conſequenter ſi inimicos ſuos alteri reconcilies; evidens eſt, quod quilibet tenetur, quantum in ſe eſt, alteri reconciliare inimicos ſuos, ſeu facere ut ex inimicis reddantur amici.

Præceptum de concilianda aliorum amicitia aliis revera ſub ſe jam continet præceptum de inimicis reconciliandis; neque enim ſupponitur in demonſtratione, utrum illi, quorum amicitiam alter tibi conciliare debet, ſint inimici, an indifferenti in te animo, conſequenter præceptum non minus de illis, quam de his intelligendum. Quoniam tamen non omnes hoc ſtatim vident, conſultius viſum fuit præceptum præſens ſuperaddere, ne videamur omiſiſſe, quod maxime utile ac neceſſarium eſt, officium.

§. 766.

Reconciliatio inimicorum quomodo differat. *Reconciliari* dicitur amicus, ſi ex inimico reddatur amicus. Quoniam tamen inter amicitiam & inimicitiam datur ſtatus medius, nimirum quo quis indifferenti in alterum animo eſt (§. 629.); reconciliatio recte diſtinguitur in perfectam & imperfectam. Nimirum *Reconciliatio perfecta* eſt, quæ & ſimpliciter *Reconciliatio* dicitur, ſi ex inimico alter reddatur amicus: aſt *imperfecta* eſt, ſi alter quidem deſinit eſſe inimicus, indifferenti tamen erga te manet animo.

Equidem indifferentia animi erga alios legi naturæ contraria (§. 630.), adeoque vi ejuſdem non dari debet medium quid inter amicitiam & inimicitiam, quarum illa præcipitur (§. 627.), hæc prohibetur (628.) una cum indifferentia animi (§. 630.); quoniam tamen non omnes ſatisfaciunt officio ſuo, ideo quoque fieri non poteſt, ut inimicum reconciliaturus efficias,

quo

Digitized by Google

quo ex inimico fiat amicus. Nemo autem eſt qui neſciat præſtare, ut alter deponat inimicum in te animum, etſi maneat indifferenti in te animo, quam ut inimicum retineas, conſequenter inter reconciliationem perfectam & imperfectam utique diſtinguendum.

§. 767.

Reconciliatio imperfecta quantum legi naturæ conformis.

Quoniam quilibet inimicos, quantum in ſe eſt, tibi reconciliare tenetur (§. 765.); *ſi ex inimico alterum tibi amicum reddere nequit, ſufficit ſi alterum eo adducat, ut inimicum in te deponat animum, etſi indifferenti poſthac in te ſit animo*, conſequenter cum perfecta ſit reconciliatio, ſi quis ex inimico redditur amicus, imperfecta vero, ſi quidem inimicus eſſe deſinit, indifferenti tamen in te animo manet (§. 766.), *ubi reconciliatio perfecta ſperanda non eſt, ad imperfectam tamen tentandam obligaris.*

Etſi obligemur ad inimicos nobis & aliis reconciliandos, non tamen obligatio extendenda ultra id, quod poſſibile eſt (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum a te ſolo non pendeat, ut inimicus vel tibi, vel alteri reconcilietur, hoc eſt, ut amicus fiat, qui antea erat inimicus (§. 766.), ſed alterius quoque requiratur voluntas, cujus determinatio a te minime pendet, quia voluntas minime cogi poteſt (§. 927. *Pſych. empir.*), tanto magis ſatisfeciſti officio tuo, ſi id obtinuiſti, ut inimicum deponat animum, conſequenter ſi imperfecta ſit reconciliatio (§. 766.), quanto certius eſt, te eidem jam ſatisfeciſſe, ſi ex parte tua nihil omiſeris, quod ad eum reconciliandum facere potes. Quamvis adeo certum ſit perfectam reconciliationem ſperari haud quaquam poſſe, quin tamen imperfecta tentanda ſit, dubio omni caret. Ubi in Philoſophia morali inquiſiverimus in rationes inimicitiæ & in impedimenta reconciliationis, multo clarius perſpicietur, cur ſubinde imperfecta reconciliatio in poteſtate ſit, non tamen perfecta. Enimvero quoniam ſuperius nondum demonſtravimus, quod etiam ipſemet inimicos tuos tibi reconciliare debeas, ideo addere lubet propoſitionem ſequentem, ne quid deſit, quod in Moralibus alibi demonſtratum ſupponi debet.

§. 768.

Obligatio inimicos ſibi reconciliandi.

Quilibet obligatur ad inimicos ſibi reconciliandos, hoc eſt, omnem dare debet operam, ut inimici ipſi reconcilientur, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte. Operam enim dare tenemur, ut aliorum amicitiam acquiramus (§. 636.), conſequenter etiam, ut, qui inimici ſunt, nobis fiant amici, adeoque perfecte nobis reconcilientur (§. 766.). Quoniam tamen voluntatem alterius cogere non potes (§. 927. *Pſych. empir.*), ut vero alter fiat amicus tuus, a voluntate ipſius pendet; ubi hoc obtinere non potes, ut fiat amicus tuus, opera tamen adhuc danda eſt, ut deſinat eſſe inimicus; conſequenter ſi fieri non poſſit, ut perfecte tibi reconcilietur, danda tamen adhuc opera eſt, ut imperfecte reconcilietur (§. 766.).

Quodſi hanc propoſitionem ſumas, ultro ſequitur (§. 608.), quod modo aliter demonſtravimus (§. 765 767.); quod etiam obligeris ad inimicos aliis reconciliandos, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte.

§. 769.

Obligatio ad reconciliationem, quæ tentatur, acceptandam.

Quilibet ad reconciliationem pronus eſſe debet, hoc eſt, *ſi tu fueris mihi vel alteri inimicus, & ego te mihi vel alteri reconciliare volo, minime reſiſtere debes, quo minus mihi vel alteri reconcilieris, ſed facilem te præbere debes.* Quoniam enim nemo hominum alteri debet eſſe inimicus (§. 628.), illicitum eſt, quod tu mihi vel alteri ſis inimicus (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cumque homini omni, etiam ei, qui tuus inimicus eſt, amicus eſſe debeas (§. 627. 633.); ſi mihi fueris vel alteri inimicus, & ego te mihi vel alteri reconciliari volo, hoc eſt, voluero ut inimicus eſſe deſinas, & amicus fias (§. 766.); non volo, niſi ad quod faciendum obligaris, conſequenter quod neceſſe eſt ut facias, etiamſi ego a te hoc non expeterem (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patet

adeo

Digitized by Google

adeo, quod reconciliationem tentanti reſiſtere minime debeas, ſed potius facilem te præbere tenearis (§. 722.), conſequenter dubium non eſt, quin quilibet ad reconciliationem pronus eſſe debeat.

§. 770.

Obligatio mutuam amicitiam aliorum propagandi. *Quilibet operam dare debet, ut alios homines ſibi mutuo reddat amicos.* Etenim ſi amicitiam Mævii conciliare vales Titio, ad id faciendum obligaris, &, ſi viciſſim Titii amicitiam Mævio conciliare vales, ad id faciendum itidem obligaris (§. 762.). Quoniam mutua eſt Mævii ac Titii amicitia, ſi non modo Mævius fuerit amicus Titii, verum etiam viciſſim Titius amicus Mævii; operam dare omnino debes, ut homines alios ſibi mutuo reddas amicos.

Non eſt quod exiſtimes propoſitionem hanc non differre a ſuperiori de amicitia Mævii Titio concilianda (§. 762.). Etſi enim Mævius Titio ſit amicus, cum de vera amicitia hic ſermo, quæ charitatem & amorem infucatum ſupponit, non tamen ideo ſequitur, quod etiam Titius ſit Mævii amicus. Sane ſi hoc ſequeretur, nullum eſſet præceptum de inimicis diligendis, quamprimum enim alios diligeres, non amplius inimici eſſent; id quod non minus rationi, quam experientiæ repugnat.

§. 771.

Obligatio inimicos ſibi invicem conciliandi. *Quilibet operam dare debet, ut inimicos ſibi invicem conciliet, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte.* Nimirum ſi Mævium inimicum Titio reconciliare vales, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte, ad hoc faciendum obligaris, & viciſſim ſi Titium inimicum Mævio reconciliare vales, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte, ad idem ſimiliter faciendum obligaris (§. 765. 767.). Quoniam adeo, qui erant inimici, ſibi invicem reconciliantur, ſi Mævius Titio & Titius viciſſim Mævio reconciliatur, quilibet omnino operam dare debet, ut inimicos ſibi invicem conciliet, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, mutatis mutandis huc quoque trahenda ſunt. Si mutua eſt Titii ac Mævii inimicitia, non ideo inimicum in Mævium animum deponit Titius, quia Mævius eundem depoſuit, multo minus ideo Titius ex inimico redditur Mævio amicus, quia Mævius ipſi jam amicus factus eſt. Atque adeo vides mutuam reconciliationem eſſe diverſam ab ea, qua unus tantummodo reconciliatur alteri, ſive perfecta, ſive imperfecta intelligatur reconciliatio. Etſi autem præceptum de inimicis alteri reconciliandis ponat alterum de reconciliatione mutua inimicorum, non tamen ideo eſſe deſinunt duo diverſa præcepta quippe de diverſis prorſus caſibus loquentia. Quamobrem ſuperfluum non eſt, ut oſtendatur, quomodo alterum ex altero ſequatur.

§. 772.

Amicitia mutua & reconciliatio mutua inimicorum non impedienda. *Nemo impedire debet, quo minus homines ſibi mutuo fiant amici; neque etiam impedire, quo minus inimici ſibi mutuo reconcilientur ſive perfecte, ſive imperfecte.* Quilibet enim operam dare debet, ut alios homines ſibi mutuo reddantur amici (§. 770.), & ut inimici ſibi invicem reconcilientur, ſi non perfecte, ſaltem imperfecte (§. 771.). Quodſi vero ad hoc faciendum obligaris, ad contrarium non faciendum ſimul obligaris (§. 722.). Quamobrem nemo impedire debet, quo minus homines ſibi mutuo fiant amici, & quo minus inimici ſibi mutuo reconcilientur.

Denuo monemus, de vera amicitia hic nobis eſſe ſermonem, ne quis præceptum de mutua amicitia non impedienda in abuſum trahat. Quænam autem vera ſit, ex definitione intelligitur (§. 625.), modo notaveris verum ibidem intelligi amorem, qui charitatis ſocius. Alias enim, qui tibi amicus videtur, revera inimicus eſt, quatenus te reddit infelicem, dum felicitati tuæ conſulere videtur, voluptate nocua cum vera & tranſitoria innocua confuſa.

§. 773.

§. 773.

Amicitia quale bonum.

Amicitia bonum fortunæ eſt. Etenim amicus eſt, qui te amat (§. 625.), conſequenter voluptatem tibi creare, tædium vero a te avertere ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*), adeoque data occaſione lubenter confert, quicquid ad perfectionem tuam ſtatuſque tui conferre valet (§. 554. *Pſych. empir.*). Amicorum adeo voluntas cum voluntate, quæ tibi eſſe debet, ad idem tendit (§. 152. *p. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque conſentit (§. 503. *Ontol.*), conſequenter amicitia ad ſtatum externum ſpectans (§. 706. *Ontol.*) facit, ut is cum ſtatu interno tuo conſentiat, adeoque eundem perfectiorem reddit (§. 503. *Ontol.*). Quoniam itaque fortunæ bonum eſt, quod ſtatum externum perfectiorem reddit (§. 554. 556. *Pſych. empir.*); amicitia fortunæ bonum eſt.

§. 774.

Inimicitia quale ſit malum.

Inimicitia malum fortunæ eſt. Inimicus enim nos odio proſequitur (§. 626.). Quoniam itaque alteri tædia creare, & quo minus voluptate fruatur, impedire ſtudet (§ 671. *Pſych. empir.*), quicquid vero veram homini voluptatem creat, id ad felicitatem ejus quidpiam confert (§. 638. *Pſych. empir.*) & quicquid ex adverſo tædium creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert (§. 639. *Pſych. empir.*), inimicus alterius felicitatem impedire & infelicitatem promovere ſtudea. Quoniam inimici ad ſtatum externum pertinent (§. 706. *Ontol.*), & obligatio naturalis ad promovendam felicitatem & vitandam infelicitatem ducit (§. 280.); inimicitia diſſenſum ſtatus externi cum obligatione naturali, quam immutabilem eſſe conſtat (§. 142. *p. 1. Phil. pract. univ.*), parit (§. 504. *Ontol.*), adeoque eundem imperfectiorem reddit (§. *cit.*). Quamobrem cum malum fortunæ ſit, quod ſtatum hominis externum imperfectiorem reddit (§. 565. 567. *Pſych. empir.*); inimicitia malum fortunæ eſt.

Inimicitiam eſſe malum quoddam, nemo non agnoſcit exiode, quod inimici occaſionem oobis nocendi ambabus, quod dicitur, manibus arripiaot. Quod vero ſit malum fortunæ, inde colligitur, quia inimicitiam aliorum evitare non ſemper in noſtra poſitum eſt poteſtate, adeoque haud raro fortunæ adverſæ tribuendum. Immo acutiores fortunæ concurſum ad inimicitiam perſpiciunt etiam eo in caſu, quando culpa tua contrahis aliorum inimicitiam. Enimvero nobis hoc demonſtrandum fuit ex ipſis notionibus generalibus, ut in ſyſtemate omnia inter ſe cohæreant, nec deſit ea evidentia, quæ intellectum ſyſtematicum, quem in Horis ſubſecivis me graphice delineaſſe memini, ad aſſenſum compellit. Hæc annotaſſe viſum fuit, ne methodi, qualis convenit ſyſtemati, igoaris demonſtrationem e longinquo petiiſſe videamur, quæ ex principiis obviis conflari poterat, & iotricaſſe judicemur, quæ in ſe plana & perſpicua ſunt, ut citra probationem admittantur ac nemine invito ſumantur.

§. 775.

Amicis carere ac privari quale ſit malum.

Carere ac privari amicis malum fortunæ eſt. Etenim amicitia bonum fortunæ eſt (773.), adeoque ejus abſentia malum (754.). Quoniam itaque amicitia abeſt, ſi amicis careas, vel iiſdem, quos habueras, privaris, ſeu eorum jacturam facis; carere ac privari amicis malum fortunæ eſt.

Non eſt, qui non agnoſcat carere ac privari amicis malum eſſe. Iode eſt, quod cooqueramur de amicorum defectu, & quod lugeamus, ubi amicus morte nobis abripitur, immo quod triſtitia angatur animus, ſi culpa noſtra amicitiæ alterius jacturam facimus, & iodignemur aliis, qui amicitiæ conſervandæ parum ſtudent.

§. 776.

Carere inimicis & ab iiſdem liberari quale ſit bonum.

Carere inimicis & ab iiſdem liberari bonum fortunæ eſt. Inimicitia enim malum fortunæ eſt (§. 774.), adeoque ejus abſentia bonum fortunæ (§. 756.). Abeſt inimicitia, ſi inimicis careas, & ſi ab iiſdem, quos habes, liberaris. Quamobrem carere inimicis & ab iiſdem liberari bonum fortunæ eſt.

Nemo eſt, qui non agnoſcat. Hinc felicem; aut ſaltem fortunatum prædicamus eum, qui nullos habet inimicos. Gaudemus, ſi inimici moriantur, aut etiam nobis reconcilientur, ſaltem imperfecte.

§. 777.

An amicus quoad officia præſtanda præferendus inimico & ei, qui indifferenti in nos animo.

Si amico & inimico, vel ei, qui indifferenti in te eſt animo, præſtandum aliquod officium, & utrique ſimul idem præſtari non poſſit, aut ut præſtes non ſit in poteſtate tua, amicus præferendus eſt inimico, vel ei, qui indifferenti in te eſt animo. Quoniam unusquiſque alium quemcunque, etiam inimicum (§. 632.), amare debet tanquam ſemetipſum (§. 619.), ſi in poteſtate tua fuerit, officium quodcunque utrique præſtare debes. Enimvero quoniam idem utrique præſtare haud quaquam potes, ſeu, ut idem præſtes in poteſtate tua non eſt, unus neceſſario alteri præferendus, cum ad officia præſtanda obligeris (§. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque ob obligationis hujus neceſſitatem ac immutabilitatem (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), utrique deeſſe minime poſſis. Cum amicus te amet (§. 625.), adeoque voluptatem, conſequenter felicitatem tuam (§. 638. *Pſych. empir.*), appetat (§. 650. *Pſych. empir.*), inimicus autem te odio proſequatur (§. 626.), adeoque tædia tua (§. 669. *Pſych. empir.*), conſequenter infelicitatem tuam appetat (§. 639. *Pſych. empir.*), & qui indifferenti in te eſt animo, te neque amet, neque odio proſequatur (§. 629.), adeoque felicitatem tuam curæ minime habet *per demonſtrata*; amicus magis meretur, ut officium ipſi præſtes, quam inimicus atque is, qui indifferenti in te eſt animo. Quoniam itaque ratio aliqua adeſſe debet, cur unum alteri præferas, ubi utrique officium aliquod humanitatis præſtare minime potes (§. 70. *Ontol.*); amicus præferendus eſt inimico & ei, qui indifferenti in te eſt animo.

Etſi jam ſæpius monuerimus ac ipſa demonſtratio ſatis aperte loquatur, ſermonem hic nobis eſſe de vero amico, cui nempe competit definitio ſupra tradita (§. 625.); idem tamen hic inprimis denuo repetendum, ne præſens propoſitio perverſæ interpretationi ac applicationi obnoxia fiat. Ceterum facile patet, hunc caſum, de quo loquitur propoſitio præſens, emergere non poſſe, niſi quoad officia poſitiva: privativa enim cum omittendo adimpleantur, pluribus ſimul ſemper ſatisfacere licet. Neque vero a notionibus communibus abhorret propoſitio præſens. Nemo enim eſt, qui non reprehendat inimicum vel eum, qui indifferenti in nos eſt animo, ob rationes quaſdam extrinſecas præferri amico, immo amicus, ubi poſtponitur, conqueritur de inimico vel eo, qui indifferenti in alterum animo eſt, ſibi prælato. Quoad meritum naturale, quod in indigentia conſiſtit (§. 667.), homines æquales ſunt, adeoque inter amicum & inimicum, inter amicum & eum, qui indifferenti in nos animo, nulla differentia eſt. Enimvero quoniam amicus amore in te ſuo ſe tuo amore dignum reddit, inimicus vero eundem ſpernit, & qui indifferenti in te animo eum parum curat; aliud adhuc meritum amico eſt præter naturale, cur ipſi ſuccurras. Et hoc ipſum efficit inæqualitatem inter amicum & inimicum, inter amicum & eum, qui indifferenti animo eſt, & propter hanc inæqualitatem amico jus prælationis competit. Nemini hic quicquam ſupererit obſcuri, qui naturam amoris, quem in Pſychologia empirica diſtincte ſatis delineavimus, probe perſpectam tenet, adeoque noverit amorem, quo alter nos proſequitur, eſſe motivum ipſum amandi.

§. 778.

§. 778.

An qui indifferenti eſt animo præferendus ſit inimico.

Si inimico & ei, qui indifferenti in te eſt animo, officium quoddam humanitatis præſtandum & utrique ſimul idem præſtare non poſſumus, is, qui indifferenti in nos animo eſt, inimico præferendus. Patet ut in demonſtratione præcedente, unum alteri eſſe præferendum. Conſtat porro ex eadem inimicum appetere infelicitatem tuam, aſt eum, qui indifferenti in te animo eſt, tantummodo non appetere felicitatem tuam, minime autem appetere infelicitatem. Ille igitur indignum ſe reddit amore tuo, conſequenter officiis humanitatis (§. 655.); hic minime. Etſi autem hoc ipſo, quod ſe indignum reddat officiis humanitatis non libereris ab obligatione eadem ipſi præſtandi (§. 631.), ſufficiens tamen ratio eſt, cur alterum, qui ſe indignum minime reddidit, eidem præferamus. Atque adeo patet, ſi inimico & ei, qui indifferenti in te eſt animo, officium quoddam humanitatis præſtandum, & utrique ſimul idem præſtare non poſſumus, eum, qui indifferenti in nos animo eſt, inimico præferendum eſſe.

Quoad meritum naturale, quemadmodum modo (*not.* §. 777.) monuimus, inter amicum, inimicum & eum, qui indifferenti in nos animo eſt, nulla intercedit differentia, atque adeo oblata occaſione præſtandi aliquod officium humanitatis quærendum non eſt, num ſit amicus, an inimicus, an indifferenti in nos animo. Naturalis enim obligatio non ſupponit, quod alter ſatisfaciat viciſſim ſuæ obligationi (§. 631.). Enimvero ubi unus horum alteri præferendus, ratio aliqua adeſſe debet, cur hoc fiat (§. 70. *Ontol.*) & hæc ratio deſumenda ab inæqualitate quoad meritum, cum hic quæſtio ſit, quinam magis mereatur altero, ut officium humanitatis ipſi præſtes. Quodſi ergo jam amicum, inimicum & eum, qui indifferenti in te animo eſt, inter ſe conferas; manifeſtam deprehendis differentiam. Amicus te amat (§. 625.), adeoque ſuæ in te obligationi ſatisfacit (§. 619.); inimicus te odit (§ 626.), adeoque contra obligationem in te ſuam agit (§. 624); qui indifferenti in te eſt animo, neque te amat, neque odio habet (§. 629.), adeoque non ſatisfacit obligationi ſuæ (§. 619), non tamen contra eandem facit (§. 624), niſi quatenus eidem non ſatisfaciendo adverſus eandem delinquit (§. 630). Amicus adeo ſeſe dignum reddit amore tuo, inimicus vero indignum, & qui indifferenti animo eſt non dignum ſeſe reddit amore tuo, neque tamen etiam indignum. Quamobrem ubi quæritur, quinam magis mereatur officium humanitatis, dicendum utique eſt, dignum præferendum eſſe indigno, & qui minus indignus eſt ei, qui magis indignus eſt, ſeu non dignus indigno, quatenus per modo dicta non dignus ab indigno differt, cum hic non dignus dicatur, qui tantummodo neglexit ſe dignum reddere; nihil tamen admiſit; quo ſe indignum redderet: quæ quidem diſtinctio hic obtinet, quia naturaliter omnes capaces ſunt ad officia humanitatis ab aliis accipienda. Vides adeo, quomodo meritum, quod naturaliter æquale eſt, reddi poſſit inæquale. Non eſt quod exiſtimes, quæ de amicis quoad officia humanitatis inimicis atque iis, qui indifferenti ſunt animo, & de hiſce quoad eadem inimicis præferendis præcipiuntur, ea adverſari doctrinæ Chriſti, qui amorem inimicorum inculcaturus ait *Matth.* V. 46 Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum (Judæos ſcilicet), quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Perperam enim hinc infertur, amorem inimicorum eſſe multo excellentiorem amore amicorum, atque adeo hinc illum præferendum vi legis perfectivæ (§ 193. p. 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter in officiorum humanitatis præſtatione inimicum eſſe præferendum ei, qui indifferenti eſt animo, atque amico. Etenim Chriſtus tantummodo commendat amorem inimicorum tanquam eximium charitatis gradum, ad quem adſpirare debemus, & qui cum amore amicorum ſit conjungendus: non vero ibidem loquitur de iis, qui quoad officia humanitatis ſint aliis, quos non minus, quam ipſos diligere debemus, præferendi. Huc potius pertinet adhortatio Apoſtoli *Gal.* V. 10 Operemur bonum quoad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Quamvis enim non præciſe de caſu propoſitionis præſentis & præcedentis accipienda ſint hæc verba, iis tamen continentur, quæ ab eo non prorſus diſſentanea ſunt.

§. 779.

Placabilis & implacabilis quinam ſit.

Placabilis dicitur, qui ad reconciliationem pronus eſt; *Implacabilis* vero, qui ſe alteri reconciliari non patitur.

Vocabulum *irreconciliabilis* equidem occurrit, ſed tanquam barbarum rejicitur, aſt *reconciliabilis* prorſus non in uſu eſt. Ne igitur aures Latinitati adſuetas præter neceſſitatem offenderemus, placabilem dicere libuit, quem alias convenientius reconciliabilem dicere poteramus, & implacabilem, qui irreconciliabilis dici poterat. Etenim qui alteri iraſcitur, non ſtatim ipſi redditur inimicus: placatur tamen, ubi iræ nuncium mittit. Quoniam tamen ira omnis odium continet (§. 862 *Pſych. empir.*), & ex eadem inimicitia naſcitur, quatenus ira exſpirante odium remanet (§. 626.), adeoque qui alteri iraſcitur, eo ipſo, quo iraſcitur, tempore inimicus ejuſdem eſt; nil obſtat, quo minus terminus placabilis & implacabilis barbaris vocabulis ſubſtituamus.

§. 780.

Placabilitas quid ſit.

Placabilitas itaque eſt virtus, qua quis ad reconciliationem pronus eſt.

Sumitur in ſignificatu laxiore, eum ſtrictior ſit frequentior, quo tantummodo ad iram transfertur. Non datur vocabulum aliud Latinum, quo hanc virtutem, quæ Germanice die Verſöhnlichkeit dicitur, indigitare liceт.

§. 781.

Implacabilitas quid ſit.

Implacabilitas eſt vitium, quo quis ſe alteri reconciliari non patitur.

Quæ de ſignificatu vocabuli placabilitatis modo annotavimus, mutatis mutandis hic quoque notanda veniunt. Vernaculo ſermone vitium hoc appellatur die Unverſöhnlichkeit. Implacabilitas vocabulum apud Latinos in uſu non eſt, quod mireris, cum non aliud ſit vocabulum, quo vitium hoc ſignificatur. Quoniam enim placabilitatem laudarunt Romani, videntur agnoviſſe, quod virtus ſit, adeoque cognoſcere etiam debebant oppoſitum ejus eſſe vitium. Cur ergo idem nullo inſignivetunt nomine, quod tamen adeo obvium erat? Nobis cum veritas magis cordi ſit, quam linguæ Latinæ puritas; religioni minus nobis ducimus condere vocabulum, quod apud Autores non occurrit, etſi genio linguæ minime repugnet.

§. 782.

Placabilitas præcepta, implacabilitas prohibita.

Homines omnes placabiles; nemo implacabilis eſſe debet. Quilibet enim ad reconciliationem pronus eſſe debet (§. 769.). Qui ad reconciliationem pronus eſt, placabilis eſt (§. 779.). Quilibet adeo homo placabilis eſſe debet. *Quod erat unum.*

Si tu fueris mihi vel alteri inimicus, & ego te mihi vel alteri reconciliare volo, minime reſiſtere debes, quo minus mihi vel alteri reconcilieris (§. 769.), adeoque legi naturæ contrariatur, ſi te mihi vel alteri reconciliari non pateris. Enimvero qui ſeſe alteri reconciliari non patitur implacabilis eſt (§. 779.). Nemo igitur implacabilis eſſe debet. *Quod erat alterum.*

Patet adeo placabilitatem eſſe virtutem (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), implacabilitatem vero vitium (§. 322. *p. 2. Phil. pract univ.*). Poſterius non agnoviſſe videntur Romani, quod ipſis nullum hujus vitii fuit nomen; & placabilitatem magis in laude, quam virtute poſuiſſe videntur, obligationem naturalem non intime perſpicientes.

§. 783.

Animus in reconciliationem propendens præceptus.

Quilibet alteri ultro reconciliari debet, hoc eſt, etſi alter reconciliationem non petat, nec ſit alius, qui eam tentet. Nemo enim hominum alteri inimicus (§. 628.), ſed cuilibet (§. 627.), ipſi etiam inimico amicus eſſe debet (§. 633.). Quodſi ergo contingat, te alteri fieri inimicum, aut in inimicitiam propendeat animus; ex inimico amicus fieri ac ab inimicitia animum revocare debes. Reconciliatur alteri, qui ex inimico fit amicus (§. 766.), conſequenter etiam, ſi ini-

Digitized by Google

inimicitia naſcens ſtatim ſupprimitur. Quilibet adeo alteri ultro reconciliari debet, hoc eſt, etſi alter reconciliationem non petat, nec ſit alius, qui eam tentet.

Vides adeo placabilitati convenire reconciliationem abſque reconciliatore & petitore: implacabilitati vero tribuendum eſſe, ſi quis a precibus ejus, cui inimicus eſt, vel a tentaminibus reconciliatoris reconciliationem ſuſpendit. Ultroneam hanc reconciliationem urget Chriſtus *Matth.* V. 24. 25. utpote amori inimicorum conſentientem. Qui enim inimicum amare debet, amicus ejus eſſe debet (§. 625.), adeoque fieri non poteſt, ut vel momento in inimicitia perſiſtere detur.

§. 784.

An reconciliari debeamus alteri, qui reconciliari nobis non vult.

Reconciliari debemus alteri, etiamſi alter ſeſe nobis reconciliari non patiatur. Etenim amici eſſe debemus inimicorum (§. 633.). Quamobrem cum ex inimico fiat amicus, qui alteri reconciliatur (§. 766.), adeoque ſi nos alteri reconciliamur, alter vero nobis reconciliari non vult, amici ſimus inimici noſtri; alteri reconciliari debemus, etiamſi alter nobis reconciliari ſeſe non patiatur.

Qui hoc facit, ſatisfacit obligationi ſuæ (§. 769. 783.), dum alter eidem non ſatisfacit (§§. *cit.*): id quod legi naturali conſentaneum (§. 631.).

§. 785.

Num placabiles eſſe debeamus altero implacabili manente.

Quoniam qui alteri reconciliatur, dum alter ſeſe ipſi reconciliari minime patitur, ad reconciliationem pronus eſt, qui vero ad reconciliationem pronus placabilis, qui ſe alteri reconciliari non patitur, implacabilis eſt (§. 779.), ſed alteri reconciliari debemus, etiamſi alter ſeſe nobis reconciliari non patiatur (§. 784.); *placabiles eſſe debemus, etiamſi alter ſit implacabilis.*

Si alter implacabilis, in vitio perſiſtit (§. 781.), tu vero ſi placabilis es virtuti te dedis (§. 780.). Virtus tua non ſuſpenditur a vitio alterius (§. 631.). Vides adeo implacabilitatem tuam non excuſari implacabilitate alterius, & toto cœlo errare, qui placabilitatem ſtultitiæ tribuunt, ſi pars adverſa fuerit implacabilis.

§. 786.

Reconciliatori quales nos præbere debeamus.

Nemo reconciliatori ſeſe difficilem præbere debet. Quilibet enim reconciliatori minime reſiſtere, ſed facilem ſeſe eidem præbere (§. 769.), immo alteri ultro abſque reconciliatore reconciliari debet (§. 783.). Quoniam itaque eidem reſiſtit, nec facilem ſeſe præbet, multo minus abſque reconciliatore reconciliationi locum concedit, qui eidem ſeſe difficilem præbet; nemo reconciliatori ſeſe difficilem præbere debet (§. 722.).

Non piget minutim perſequi, quæ de reconciliatione lege naturali præcipiuntur, propterea quod placabilitas virtus admodum rara ſit, ad quam difficillime perduxeris alios, quemadmodum ſuo tempore in Philoſophia morali oſtendetur. Ut enim implacabilitatem excuſent, varia prætexere ſolent, quæ ſi rite inſpiciantur, ipſam arguunt.

§. 787.

Contemtus quid ſit.

Contemnere alterum dicitur, qui actibus externis declarat alterum honore ac laude indignum eſſe. Unde *Contemtus* eſt actus quicunque externus, quo ſignificatur alterum honore ac laude indignum eſſe. Et hinc *res contemnere* dicitur, qui nullum ipſis ſtatuit pretium, ſeu actibus externis declarat, quod nullum ipſis pretium ſtatuat.

Pone-

Ponamus Titium laudari a Mævio ob ſcientiam mathematicam, te vero eandem extenuare, quaſi non ſit magni momenti, vel ſubridendo aut vultus mutatione indigitare, quod eundem parviſacias; Titium contemnere diceris. Si alter te alloquitur & tu tacens abis, hoc ipſo ſignificans te eum tanti non facere, ut cum ipſo verba miſceas; eum contemnis. Si Titii prædicatur liberalitas, & tu ore faſtidiente regeras non eſſe eam ſingularem; Titium contemnis. Si Sempronium non ſalutes honoris gratia ſalutandum, adeoque indicas te eum tanti non facere, qui a te ſalutetur, eum contemnis. Si Rex quidam Legatos alterius ne quidem admittit auditurus, quid nomine Regis ſui propoſituri ſint, eos contemnit. Similiter voluptates ſenſuum contemnit, qui iiſdem frui non vult, etſi innocuas. Munus contemnit, qui illud recipere recuſat, utut nulla ſubſit ratio, cur idem accipere non debeat. Picturam contemnit, qui nævos exſculpere conatur, ut pretium ejus, quod eidem ſtatuitur, diminuat. Exempla hæc abunde loquuntur, quod vocabulum a nobis accipiatur in eo ſignificatu, quem ipſi tribuit mos loquendi.

§. 788.

Quale judicium ſupponat contemtus.

Quoniam virtutes potiſſimum intellectuales & morales (§. 550.) & facta ex iiſdem profecta honorem atque laudem pariunt (§. 551.), hominemque laude dignum probant ac honore (§. 552.), qui vero alterum contemnit, actibus externis declarat alterum honore ac laude indignum eſſe (§. 787.); *qui alterum contemnit, vel negat ei virtutes intellectuales & morales eſſe, vel eaſdem in multis deficere contendit, aut eas honorem ac laudem non parere exiſtimat.*

Obtinet hoc, quatenus contemtor agnoſcit, nonniſi virtutes intellectuales & morales veram parere laudem honoremque verum. Et de hoc potiſſimum contemtu hic agitur, quo alteri denegatur honor verus & laus vera, qui debebantur.

§. 789.

Quando alii contemnantur ob fortunæ vel corporis bonorum defectum.

Quodſi quis alios majoris facit aliis ob corporis vel fortunæ bona, adeoque *eos honore ac laude dignos judicat, quibus ſunt corporis vel fortunæ bona; alios contemnit, qui nihili faciendos judicat eos, qui bonis corporis vel fortunæ deſtituuntur, actibuſque externis idem ſignificat* (§. 787.).

Etſi enim honor tantummodo opinativus ſit, non verus, nec minus laus ſolum modo opinativa, non vera, quæ alteri tribuitur ob bona corporis vel fortunæ; contemtus tamen verus eſt, ſi quis ob horum defectum minoris ſit, quam alii, qui bonis iſtis fruuntur. Nullibi magis regnat opinio, quam ubi de honore ac laude agitur, præſertim in civitate, ubi honori opinativo aliquid dandum eſſe ſuo oſtendetur loco. Nimirum honor ac laus ſupponunt hominum inæqualitatem, ob quam unus præfertur alteri, & majoris ſit altero. Etſi adeo de iſta inæqualitate per errorem ſtatuas; hoc tamen minime obſtat, quo minus alterum minoris facias altero, adeoque honore ac laude minime dignum exiſtimes, qui vel maxime honorandus ac laudandus erat, conſequenter eundem contemnas. Sane Geometræ, qui ſolam ſcientiam geometricam & calculos algebraicos in pretio habent, reliquam vero ſcientiam ac eruditionem nihil faciunt, quemadmodum omnem ſcientiam reliquam atque eruditionem, ita etiam alios eadem præſtantes contemnunt, nec dignos judicant honore ac laude.

§. 790.

Contemtus aliorum prohibitus.

Nemo eſt contemnendus. Etenim unusquiſque alteri honorem exhibere debet, quem meretur, & tantum tribuere laudis, quantum meretur (§. 648.). Sed qui alterum contemnit, eum honore ac laude prorſus indignum judicat, idque actibus externis ſignificat (§. 787.). Quod cum facere non debeat (§. 722.); nemo contemnendus eſt.

Conſiſtit contemtus in denegatione honoris debiti debitæque laudis (§. 787.). Atque hic contemtus verus eſt. Quoniam itaque honor debitus lauſque debita nemini denegari debet; nemo eſt contemnendus. Quodſi honor fuerit tantummodo opinativus lauſque opinativa, qui de-

denegantur; animus tamen adeſt alterum contemnendi, & actus externi, quibus contemtus conſtat, adſunt. Quamobrem hunc quoque prohibitum eſſe apparet.

§. 791.

Contemtus non conſiſtit in nuda honoris ac laudis omiſſione, verum etiam in actibus poſitivis, quibus ſignificatur quod alter honore ac laude indignus judicetur. Etenim contemtus conſiſtit in actibus, quibus ſignificatur alterum honore ac laude indignum eſſe (§. 787.). Quoniam adeo qui alterum honore ac laude indignum eſſe ſignificare vult, non modo id facere poteſt omittendo illos actus, quibus honor ac laus defertur, verum etiam edendo alios, quibus judicium ſuum de indignitate alterius prodit; contemtus non in nuda honoris ac laudis omiſſione conſiſtit, ſed alios inſuper requirit actus poſitivos, quibus ſignificatur, quod alter honore ac laude indignus habeatur. *An contemtus ſit nuda honoris & laudis omiſſio.*

Ex ſolis actibus privativis non ſemper colligi poteſt, quod alter honore ac laude indignus judicetur. E. gr. Laudat te Titius, tacet Mævius: non hinc inferre potes, te a Mævio contemni. Variæ enim eſſe poſſunt rationes, cur taceat, etſi te laudem iſtam mereri perſuaſus ſit, nec eam tibi invideat, vel tacere etiam poteſt, quod ſe tuarum virtutum, quæ prædicantur, judicem parum competentem agnoſcat. Quodſi vero contradicat laudanti, ſi in riſum effundatur, ſi miretur, quod ea laude decoreris; tum demum certo colligitur, te laude iſta indignum cenſeri; atque in hiſce actibus poſitivis contemtus tui conſiſtit. Contemtus adeo denegatio honoris meriti meritæque laudis qualificata eſt, cum nuda omiſſio etiam fieri poſſit abſque animo contemnendi. Quodſi tamen ex circumſtantiis aut indiciis aliis certo colligi poſſit, te honorem alteri tribuendum, laudem eidem deferendam omittere, quia alterum honore ac laude indignum judicas, tum demum nuda honoris ac laudis omiſſio, ſeu ſimplex utriusque denegatio contemtus eſt.

§. 792.

Nemo alterum odiſſe, nec eidem iraſci debet, quod ab eo contemnatur. Etenim cum neminem odio habere debeas (§. 624.), ſi contemtorem tui odio proſequeris, contra obligationem tuam agis. Nemo alterum contemnere debet (§. 790.). adeoque qui te contemnit non ſatisfacit obligationi ſuæ. Quodſi adeo alterum odio proſequeris, quia te contemnit; tu ideo non ſatisfacis obligationi tuæ, quia alter non ſatisfacit obligationi ſuæ naturali. Enimvero ſi alter non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo tibi permiſſum eſt non ſatisfacere tuæ (§. 631.), conſequenter eadem adhuc teneris. Nemo igitur alterum odiſſe debet, quia ipſum contemnit. *Quomodo nos gerere debeamus, ſi ab aliis contemnamur.*

Oſtenditur etiam per indirectum hoc modo. Ponamus tibi licere ut alterum oderis, quia te contemnit. Quoniam inimicus alterius eſt, qui ipſum odit (§. 626.), contemtoris inimicum eſſe licet. Enimvero nemo hominum alteri, nequidem inimico (§. 633.), inimicus eſſe debet (§. 628.). Contemtorem igitur ſui odiſſe non licet. *Quod erat unum.*

Qui alteri iraſcitur, eum quoque odio habet (§. 862. *Pſych. empir.*). Sed contemtorem ſui odio proſequi minime debemus *per demonſtrata n. 1.* Ergo nec eidem iraſci debemus. *Quod erat alterum.*

Hoc vulgo parum attenditur, cum homines ſint contemtus admodum impatientes, nec facile quicquam difficilius ferre accidit quam contemtum. Hinc & ſibi ſufficientem rationem eſſe exiſtimant, quod alios oderint, ubi contemtum ſui allegare valent. Tanto igitur magis neceſſe erat officium hoc inculcari;

§. 793.

Non ideo alterum contemnere licet, quia te contemnit, contemtorique tuo honorem meritum meritamque laudem tribuere debes. Quoniam enim nemo contemnendus *An contemtor viciſſim contemnendus.*

dus

dus (§. 790.), qui te contemnit non ſatisfacit obligationi ſuæ. Enimvero quia alter non ſatisfacit obligationi ſuæ naturali, non tibi permiſſum eidem quoque non ſatisfacere (§. 631.), conſequenter eadem adhuc teneris. Quamobrem cum ad alterum non contemnendum obligeris (§. 790.), ſed unicuique potius eum exhibere debeas honorem, quem meretur, tantumque tribuere laudis, quantum meretur (§. 648.); non ideo alterum contemnere licet, quia te contemnit, contemtorique tuo honorem meritum meritamque laudem tribuere debes.

§. 794.

Obligatio contemtores ſui in contemtum aliorum non adducendi.

Quoniam perinde eſt, ſive tu ipſe contemtorem tui contemnas, ſive facias, ut contemnatur ab aliis, tibi autem minime licet contemnere alterum, quia te contemnit (§. 793.), *nec hoc facere licet, ut contemtor tuus contemnatur ab aliis, ſeu contemtorem tui in contemtum aliorum adducere minime licet.*

Non ignoro durum hoc videri pleriſque, quemadmodum cetera omnia, quæ ab amore inimicorum pendent; nemo tamen diffiteri poterit, eſſe hoc veritati conſentaneum, modo attendat animum ad demonſtrationes, ut videat, quomodo ex veritatibus aliis, quæ in dubium vocare minime poteſt, legitima ratiocinatione colligatur. In Philoſophia vero morali oſtendemus, præſtationem hujus & officiorum geminorum non eſſe ſupra vires humanas poſitam.

§. 795.

Obligatio non impediendi honorem ac laudem contemtoris tui.

Similiter quia contemtori tuo honorem, quem meretur, laudemque meritam tribuere debes (§. 793.); *quin impedire minime liceat, quo minus alii eidem honorem, quem meretur, exhibeant, vel quo minus meritam tribuant laudem, dubitandum non eſt.*

Conſequitur idem ex corollario præcedente (§. 794.). Si enim impedis, quo minus alii alteri tribuant honorem, quem meretur, meritamque laudem; eoſdem adducis ut denegando honorem ac laudem alteri debitam honore ac laude indignum declarent: id quod ad contemtum referendum eſſe conſtat (§. 787.), etſi in nuda honoris ac laudis omiſſione ſolummodo non conſiſtat (§. 791.). Quamobrem cum tui contemtorem in aliorum contemtum adducere minime liceat (§. 794.); nec impedire licet, quo minus alii contemtori tuo eidem honorem meritum meritamque laudem tribuant. Patet etiam hac ratione. Quoniam tu contemtori tuo honorem meritum meritamque laudem tribuere debes (§. 793.), eandem non tribuere tibi non licet (§. 722.). Quod vero tibi facere non licet, id nec facere licet per alios. Ergo nec alios adducere potes, ne contemtori tuo debitum exhibeant honorem meritamque tribuant laudem, conſequenter nec impedire licet, quominus hoc faciant. Non piget operam dare, ut veritati, cui difficulter præbetur aſſenſus, omnem evidentiam fœneremur, quam recipit.

§. 796.

Par pari referre quid ſit.

Par pari referre dicitur, ſi quod quis ipſi fecit, vel non fecit, idem etiam facit, vel non facit alteri, quia alter fecit, vel non fecit.

Ex. gr. Si quis te læſit, & tu ipſum viciſſim lædis, quia te læſit, par pari refers. Si quis tibi tædia creavit, & tu ipſi viciſſim tædia creas, quia tibi creavit, par pari refers. Similiter ſi quis te laudat & tu ipſum viciſſim laudas, quia te laudavit, par pari refers. Si quis tibi mutuo dedit pecuniam, cum ea indigeres, & tu ipſi viciſſim alia vice pecuniam mutuo das, quando ipſe ea indiget, quia tibi mutuo dederat, par pari refers. Si quis te ad prandium invitavit, & tu viciſſim eundem invitas, quia ipſe invitaverat, par pari refers. Enimvero ut par pari referas neceſſe non eſt, ut idem præciſe facias alteri, quod tibi fecit, ſed ſufficit, ut genere idem facias, veluti ſi te calumniatus eſt, ut tu ipſi deneges quodcunque humanitatis officium, vel ſi te verberavit, ut tu conviciorum plauſtris ipſum oneres.

§. 797.

§. 797.

Bonum bono referre quid ſit.

Bonum bono referre vel rependere dicitur, ſi alter tibi extitit cauſa boni, & tu viciſſim ipſi cauſa boni exiſtis, quia ipſe extitit.

Ex.gr. Si quis tibi in periculo mortis conſtituto manus auxiliatrices porrexit, nè perires, & tu poſthæc data occaſione ipſum commendes, ut munus quoddam eidem conferatur, quia illud fecerat; bonum bono refers ſeu rependis. Similiter ſi quis te laudavit, & tu deinceps impedis, quo minus alter ipſi det damnum, quia laudavit, bonum bono refers.

§. 798.

Malum malo referre quid ſit.

Ex adverſo *malum malo referre* ſeu *rependere* dicitur, ſi alter tibi extitit cauſa mali, & tu viciſſim ipſi cauſa mali exiſtis, quia ipſe extitit.

Ex.gr. Si alter te convitiatus fuerit, & tu poſtea impedis, quo minus ad munus quoddam promoveatur; malum malo refers ſive rependis. Si alter tibi denegavit officium quoddam humanitatis, quod præſtare in poteſtate ipſius erat, & tu data occaſione damnum quoddam eidem infers, quia illud denegaverat, malum malo rependis. Item ſi alter te contemnat, & tu propterea eundem calumnieris, malum malo refers.

§. 799.

Malum bono referre quid ſit.

Malum bono referre dicitur, qui cum alter tibi cauſa mali extitit, tu ipſi cauſa boni exiſtis, non obſtante quod ille extiterit cauſa mali.

Ex.gr. Contempſit te alter, tu hoc non obſtante meritam ipſi tribuis laudem. Malum ergo bono refers. Similiter denegavit tibi alter opem ferre in periculo conſtituto, tu hoc non obſtante eidem ſuccurris, quando auxilio tuo indiget. Malum igitur bono refers. Lædit te alter, tu ipſum lædere non vis, etiamſi commoda hoc faciendi offeratur occaſio. Malum itaque bouo refers.

§. 800.

Bonum malo referre quid ſit.

Denique *bonum mal o referre* dicitur, qui cum alter tibi cauſa boni extitit, tu ipſi cauſa mali exiſtis, non obſtante quod ille extiterit cauſa boni.

E.gr. Laudavit te alter, tu hoc non obſtante alterum calumniaris. Bonum ergo malo refera. Tibi in periculo vitæ conſtituto alter tulit opem, ne perires, tu hoc non obſtante fortunas ejus ſubvertere ſtudes. Bonum adeo malo rependis. Alter te ad dignitatem evexit tuaſque fortunas auxit, tu hoc non obſtante eidem tædia ac moleſtiam creas, quibus animus ejus torquetur. Bonum itaque malo rependis.

§. 801.

Quum par pari referatur.

Qui bonum bono vel malum malo refert, par pari refert. Qui enim bonum bono refert, tibi boni cauſa exiſtit, quia tu ipſi cauſa boni extitiſti (§. 797.), conſequenter cum etiam abſentia mali bonum ſit (§.756.), adeoque alteri cauſa boni exiſtas, ſi impedis aut alio quocunque modo efficias, ne alter incidat in malum, vel ſi efficias, ut a malo liberetur (§. 881. *Ontol.*), alteri facis vel non facis, quod tibi fecit alter, vel non fecit, quia fecit vel non fecit. Enimvero qui alteri facit, vel non facit, quod alter ipſi fecit vel non fecit, quia fecit vel non fecit, par pari refert (§. 796.). Qui ergo bonum bono refert, par pari refert. *Quod erat unum.*

Similiter qui malum malo refert, alteri cauſa mali exiſtit, quia alter ipſi cauſa mali extitit (§. 798.), conſequenter eum abſentia boni malum ſit (§. 754.), adeoque alteri cauſa mali exiſtat, qui impedit aut alio quocunque modo efficit, ne alter bonum quoddam conſequatur, aut efficit, ut bono quodam privetur (§. 881. *Ontol.*), alteri facit vel non facit, quod ipſi fecit alter, vel non fecit, quia fecit vel non fecit. Enimvero qui alteri facit vel non facit, quod ipſi fecit alter, vel non fecit, quia fecit vel non fecit, par pari refert (§. 796.). Qui ergo malum malo refert, par pari refert. *Quod erat alterum*.

Videmus adeo duplicem eſſe caſum, quo par pari refertur, ſcilicet alterum, quo bonum bono, alterum vero, quo malum malo rependitur. Quando vulgo par pari referri dicitur ſimpliciter, alterum tantummodo caſum intelligimus, quo malum malo rependitur. Et hunc reſpicit proverbium Germanorum; einen mit gleicher Münze bezahlen. Etſi enim ſignificatus verborum ferat, ut de utroque accipiatur, uſus tamen loquendi eum reſtringit. In genere autem dicitur, eines mit dem andern vergelten / ſi actio alterius ſit ratio, cur ipſi hoc facias, vel non facias. Unde in caſu ſpeciali dicimus, gutes mit gutem / böſes mit böſem / böſes mit gutem / gutes mit böſem vergelten / frequentius tamen böſes mit böſem & gutes mit böſem / quam gutes mit gutem & böſes mit gutem vergelten; quemadmodum & Latine frequentius dicitur malum malo & bonum malo, quam bonum bono vel malum bono referri aut rependi.

§. 802.

Motivum par pari referentis.

Qui par pari refert, ei agendi vel non agendi motivum eſt actio alterius poſitiva, vel privativa. Qui enim par pari refert, is ideo quid facit vel non facit alteri, quia alter fecit vel non fecit ipſi (§. 796.). Quoniam itaque per actionem alterius ſive poſitivam, ſive privativam (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.*) intelligitur, cur hoc fecerit, vel non fecerit, ratio ſufficiens cur agat vel non agat, conſequenter cur agere velit aut nolit (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 942. *Pſych. empir.*) eſt actio alterius ſive poſitiva, ſive privativa (§. 56. *Ontol.*). Ratio volitionis & nolitionis ſufficiens motivum volitionis & nolitionis eſt (§. 887. *Pſych. empir.*). Qui ergo par pari refert, ei agendi vel non agendi motivum eſt actio alterius ſive poſitiva, ſive privativa.

Ad par adeo pari referendum requiritur animus hoc faciendi: ſi enim actio alterius non influit in determinationem voluntatis vel noluntatis tuæ, non habes animum par pari referendi, ſed quia nec ideo facis, vel non facis alteri, quod alter prior tibi idem fecit vel non fecit, nec par pari refers (§. 796.), etſi facias, quod facere debebas, vel non debebas, quemadmodum alter fecit tibi, quod facere, vel non facere debebat.

§. 803.

Motivum ejus qui bonum bono vel malum malo refert.

Quoniam qui bonum bono vel malum malo refert, par pari refert (§. 801.), qui vero par pari refert, ei motivum agendi vel non agendi eſt actio alterius poſitiva vel privativa (§. 802.); *qui bonum bono vel malum malo refert, ei motivum agendi eſt actio alterius ſive poſitiva, ſive privativa*, conſequenter *in priori caſu bonum ab altero acceptum, in poſteriori malum ab altero perpeſſum*.

Laus bonum fortunæ eſt (§. 688.). Qui ergo te laudat, boni cujuſdam fortunæ te facit participem. Quodſi vero ipſum viciſſim laudas, quia te laudavit, boni cujuſdam fortunæ ipſum reddis participem, quia te ejuſdem participem fecit. Atque adeo motivum laudandi alterum eſt, quod te laudavit, conſequenter bonum fortunæ, cujus per ipſum factus es particeps. Idem patet ſi alterum non contemnis, quia te non contemnit: ubi abſentia contemtus eſt bonum tanquam abſentia mali (§. 756.). Vulnus malum corporis eſt, & mors malum corporis maximum (§. 751. 753.). Qui ergo te vulnerat malo quodam te afficit. Quodſi vero alterum interficis, quia te vulneravit, malum maximum corpori ejus infers, quia tuum malo quodam affecit. Atque adeo motivum interficiendi alterum eſt, quod te vulneravit, conſequenter ma-

lum

lum, quo te affecit, quatenus nempe hoc facit, ut malum alterius tibi repræſentes tanquam tibi bonum, utpote propter malum, quod tibi illatum eſt, ex eodem voluptatem percipiens (§. 561. *Pſych. empir.*). Idem patet, ſi alteri laudem promeritam tribuere recuſas; quia tibi eandem denegavit, quatenus privatio laudis malum fortunæ eſt, utpote abſentia boni cujuſdam fortunæ (§. 754.).

§. 804.

An actio alterius ſit motivum malum bono referentis.

Qui malum bono refert, ei motivum non eſt actio alterius, conſequenter nec malum ab altero perpeſſum. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, actionem alterius eſſe motivum agendi vel non agendi. Quoniam malum bono refertur, ſi ei cauſa boni exiſtis, qui tibi extiterat cauſa mali (§. 799.); ratio cur alteri cauſa boni exiſtas, eſt, quia ipſe cauſa mali tibi extitit (§. 887. *Pſych. empir.*), conſequenter per hoc intelligitur, cur alteri cauſa boni exiſtas, quia ipſe cauſa mali tibi extitit (§. 56. *Ontol.*). Enimvero ſi alteri bono malum refers, quod alter tibi cauſa mali extitit, tantummodo non obſtat, quo minus alteri exiſtas cauſa boni (§. 799.), conſequenter per hoc non intelligitur, cur cauſa boni alteri exiſtas, adeoque ratio, cur exiſtas, non eſt (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem qui malum bono refert, ei motivum non eſt actio alterius, conſequenter nec malum iſta illatum, ſeu ab altero perpeſſum.

Quodſi malum ab altero perpeſſum deberet eſſe motivum, ut tu in ipſum conferas aliquod bonum, actionem hanc tibi ideo repræſentare deberes tanquam bonam, quod alter malo quodam te affecerit (§. 890. *Pſych. empir.*); quod quam ſit abſonum, ex ipſa notione boni intelligitur, ſive actionem ad te ſtatumque tuum, ſive ad alterum ſtatumque ſuum retuleris (§. 554. *Pſych. empir.*). Ecquis enim dixerit, ideo hac actione te vel ſtatum tuum aut alterum vel ſtatum ſuum reddere perfectiorem, quod alter te vel ſtatum tuum antea imperfectiorem reddiderat? Sane ſi animum ad notiones diſtinctas advertis nullum eſſe ſenſum deprehendis, quando dicitur, malum ab altero perpeſſum eſſe motivum malum bono referendi. Quodſi dicas præclaram eſſe hanc actionem ac ideo eam te appetere, quia præclara eſt: motivum gloria eſt (§. 565. *Pſych. empir.*), vel actionis pulchritudo (§. 545. *Pſych. empir.*), adeoque non malum ab altero perpeſſum.

§. 805.

An actio alterius ſit motivum bonum malo referendi.

Qui bonum malo refert, ei motivum non eſt actio alterius. Qui enim bonum malo refert, non obſtante quod alter ipſi extitit cauſa boni, ipſi cauſa mali exiſtit (§. 800.). Quoniam adeo per hoc minime intelligitur, cur alter ipſi exiſtat cauſa mali, quod eidem cauſa boni extitit; nec ratio, cur eidem cauſa mali exiſtat, conſequenter cur agere velit, vel nolit, eſt quod alter eidem cauſa boni extitit (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum ratio volitionis & nolitionis quod non eſt motivum eſſe nequeat (§. 887. *Pſych. empir.*); qui bonum malo refert, ei motivum non eſt actio alterius.

Nimirum bonum ab altero in te collatum motivum eſſe poterat, ne eum malo afficeres. Sed quia alia ſunt motiva, quibus voluntas determinatur, ut facias, quod alteri malum eſt, ſeu ex quo malum quoddam in alterum redundat; non obſtante illo motivo voluntas determinatur in partem contrariam, aut motivum illud non attenditur, animo ad alia attento. Nemo adeo malus eſt, ut ideo alteri male facere velit, quia bene fecit: immo hoc naturæ humanæ repugnat, ut talis malitia in numerum eorum referenda ſit, quæ ſinguntur, cum eſſe non poſſint. Sed talia clarius diſcutiemus in Philoſophia morali.

§. 806.

An bonum bono referre debeamus.

Bonum bono referre debemus. Etenim qui bonum bono refert, ei motivum eſt bonum ab altero in ipſum collatum (§. 803.). Quilibet vero hominum alium quemcunque juvare debet, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona,

 quan-

quantum in poteſtate ſua eſt (§. 612.). Motivum adeo hoc obligationi naturali non repugnat, ſed per ipſum voluntas eidem conformiter determinatur. Quare cum actione, qua bonum bono refertur, conjungi poteſt per ipſam noſtram rerumque naturam. Enimvero ſi per ipſam noſtram rerumque naturam motivum aliquod cum actione connecti poteſt, natura ipſa nos ad eam committendam obligat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo ipſa natura nos obligat ad bonum bono referendum, conſequenter bonum bono referre debemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Non alio modo natura hominem obligat, quam quatenus per motiva actio tendens ad ipſius ſtatuſque ejuſdem perfectionem, vel etiam ad perfectionem alterius redditur appetibilis. Ubi ergo iſtiuſmodi motivum natura hominis rerumque ſuppeditat, ibi naturalis datur obligatio. Ad actionem, qua bonum bono rependitur, jam obligati ſumus per ſe ſine reſpectu ad actionem alterius. Quamobrem cum actio alterius novam pariat obligationem, ad bonum bono rependendum duplex obligatio eſt. Unde non mirum, quod in præſtandis officiis humanitatis amicus præferri debeat inimico atque ei, qui indifferens in nos animo eſt, quemadmodum ſupra alio modo demonſtravimus (§. 777.). Duplex obligatio major eſt ſimplici, adeoque ſimplicem vincit (§. 230. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*).

§. 807.

An bonum malo referre debeamus. Quoniam bonum bono referre debemus (§. 806.), qui vero ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum ſimul obligatur (§. 722.); *bonum malo referre non debemus.*

Nimirum quemadmodum ex actione alterius, qui nobis cauſa boni exiſtit, naſcitur obligatio bonum bono referendi, quæ obligationem naturalem in juvandis aliis in conſequendis bonis intendit, ut major fiat, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet; ita ex eadem quoque naſcitur obligatio bonum malo non rependendi (§. 722.), quæ naturalem obligationem non impediendi, ne alter conſequatur bona (§. 696.), nec faciendi, ut in mala incidat (§. 700.), majorem reddit. Unde liquet, nos fortius obligari ad bonum malo non referendum, quam ad impediendum, ne alter incidat in mala, nec non impediendum, quominus bona conſequatur. Non abhorret hoc a notionibus communibus. Turpius enim cenſent omnes malo rependere bonum, ſeu eum lædere, qui tibi cauſa boni exiſtit, quam cauſam mali exiſtere ei, qui nobis cauſa boni minime exiſtit. Agnoſcunt etiam omnes, ex eo, quod alter tibi exiſtit cauſa boni, naſci obligationem bonum bono referendi & malo non referendi.

§. 808.

An malum bono referendum. *Malum bono referre debemus.* Quoniam nemo id agere debet ſive per ſe, ſive per alios, ut alter incidat in mala animi, corporis aut fortunæ (§. 700.), neque bono quodam animi, corporis aut fortunæ ſive per ſe, ſive per alios eundem privare (§. 699.), neque etiam ullo modo impedire debet, quo minus quodcunque bonum conſequatur (§. 696.), abſentia autem boni malum eſt (§. 754.); qui alteri cauſa mali exiſtit, obligationi ſuæ non ſatisfacit (§. 881. *Ontol.* & §. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Si alter non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo nobis permiſſum eidem quoque non ſatisfacere (§. 631.). Quamobrem etſi alter exiſtat nobis cauſa mali, hoc tamen non obſtante nos ſatisfacere debemus obligationi naturali. Enimvero alterum quemcunque ope noſtra indigentem juvare debemus, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 612.). Non obſtante igitur quod alter nobis cauſa mali exiſtat, eidem cauſa boni exiſtere debemus (§. 881. *Ontol.*). Quamobrem cum malum bono referat, qui, cum alter ipſi cauſa mali exiſtit, ipſe eidem cauſa boni exiſtit, hoc non obſtante, quod ille cauſa mali exiſtit (§. 799.); malum bono referre debemus.

Nimirum voluptas percipienda ex tædio alterius, qui nobis cauſa mali exiſtit, appetitum ſen-

Digitized by Google

ſenſitivum trahit in alterius malum, ut adeo huic conſentientes alteri cauſa mali exiſtere velimus, propteres quod nobis cauſa mali extitit. Contrariatur hoc obligationi naturali, quæ urget charitatem (§. 621.), univerſalem hominum promiſcue omnium dilectionem (§. 620.). Appetitus adeo ſenſitivus rationi ſubjiciendus & in conſenſum cum rationali reducendus (§. 267.). Atque hoc modo naſcitur lex naturæ, quæ malum bono referre præcipit. Perfectio nimirum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ in conſenſu utriusque cum rationali conſiſtit (§. 270.). Unde lex naturæ, quæ præcipit actiones ad perfectionem tendentes noſtram (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præcipit actiones etiam omnes, quæ a conſenſu appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali pendent. In harum vero numero ſunt illæ, quibus malum bono rependitur.

§. 809.

Malum malo referre non debemus. Malum enim bono referre debemus (§. 808.). Quodſi vero ad hoc faciendum obligamur, ad contrarium non faciendum ſimul obligamur (§. 722.). Quamobrem malum malo referre non debemus. *An malum malo referre liceat.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Ponamus, ſi fieri poteſt, licitum eſſe, ut malum malo referas. Quoniam impoſſibile eſt, ut malum & bono, & malo referas, (§. 28. *Ontol.*); neceſſe non eſt, ut malum bono referas, conſequenter ad malum bono referendum non obligaris (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque malum bono referre non debes, ſed permiſſum tibi eſt, utrum bono, an malo idem referre velis: quod cum ſit abſurdum (§. 808.), malum malo referre minime debemus.

Convenit hoc amori inimicorum, quem lege naturali præceptum ſupra demonſtravimus (§. 632.). Præceptum, quo urgetur, ut malum bono rependamus, in ordinem reducit appetitum ſenſitivum, qui ad malum malo rependendum fertur (*not.* §. 808.). Atque adeo apparet legem prohibitivam, qua cavetur, ne malum malo referamus, arcere imperfectionem appetitus ſenſitivi atque averſationis ſenſitivæ (§. 270.). Quamobrem patet, quomodo ea lege naturæ generali de omittendis actionibus ad imperfectionem noſtram tendentibus (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) naſcatur lex prohibitiva, ne malum malo referamus. Quodſi ergo appetitus ſenſitivus perficiatur, ut cum rationali ad eandem actionem tendat; non voluptatem amplius percipimus ex iis actionibus, quibus promovetur malum ejus, qui nobis cauſa mali extitit; ſed voluptatem potius percipimus eamque inſignem ex iis actionibus, quibus obtinetur bonum alterius, qui nobis cauſa mali extitit. Arguit nimirum ejusmodi actio perfectionem animæ inter paucos diſtributam, cujus cum nobis conſcii ſimus, quin voluptate inſigni perfundatur animus fieri haud quaquam poteſt (§. 516. *Pſych. empir.*).

§. 810.

Si alter tibi extitit cauſa boni, par pari referendum; ſi cauſa mali, non. Bonum enim bono referendum (§. 806.). Sed ſi bonum bono refertur, alter tibi cauſa boni extitit (§. 797.) & par pari refertur (§. 801.). Quamobrem par pari referendum, ſi alter tibi extitit cauſa boni. *Quod erat unum.* *Quando par pari referendum.*

Malum malo non referendum (§. 809.). Sed ſi malum refertur alteri malo, alter tibi cauſa mali extitit (§. 798.) & par pari refertur (§. 801.): Par pari igitur non referendum, ſi alter tibi extitit cauſa mali. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo, quomodo actiones alterius, quæ nos reſpiciunt, ſeu ea, quæ alter nobis fecit, aut non fecit, influere poſſint in determinationem voluntatis & noluntatis noſtræ, & quando id fieri debeat, quando non. Unde fluunt multa ſpecialia per modum corollarii, veluti quod non ideo alterum contemnere liceat, quia te contemnit, contemtorique tuo honorem meritum meritamque laudem tribuere debeas, quemadmodum paulo ante oſtendimus (§. 793.). Qui enim contemtorem ſui contemnit, quia ſe contemnit, par pari refert (§. 796.), tibi alter ipſi cauſa mali exiſtit, contemtus quippe malum fortunæ eſt. Sed par pari referendum non eſt, ubi alter cauſa mali nobis exiſtit, *vi præſ.* Ergo nec contemtorem ſui contemnere licet.

§. 811.

Ignominia quid ſit. Aliorum de imperfectione noſtra judicium, quatenus ejus cauſa libera ſumus, *Ignominia* eſt. Unde alterum *ignominia afficere* dicitur, qui actibus externis quibuſcunque hoc ſuum de imperfectione alterius judicium declarat.

Ignominia opponitur exiſtimationi atque honori, neque enim habemus vocabulum, quo actum internum ab actibus externis, quibus internus ſignificatur, diſtinguere liceret. Vernaculo ſermone ignominia in oppoſitione ad exiſtimationem dicitur Schande, in oppoſitione ad honorem Beſchimpfung, unde ignominia afficere nobis beſchimpfen eſt. Multa hic loquendi inconſtantia eſt, cum vocabulorum ſignificatus ſit admodum vagus, nec determinatæ ſatis iiſdem reſpondeant notiones, ubi de aliorum perfectione & imperfectione aliena judicium ſpectatur & de iis actionibus ſermo eſt, quarum illud motivum eſt. Sed nobis convenit, ut fixos ſignificatus determinemus, quo demonſtrandorum veritas aperta ſit.

§. 812.

Contumeliæ quid ſit. *Contumeliæ* ſunt actus externi, quibus alter ignominia dignus declaratur.

Exempla contumeliarum reperiuntur apud *Svetonium in Claudio* cap. 8 *Claudius* enim paulo ſerius ad prædictam cœnæ horam accurrens non niſi ægre & circuito demum triclinio recipiebatur; quoties poſt cibum addormiſceret, olearum ac palmularum oſſibus inceſſebatur, interdum ferula flagrove velut per ludum excitabatur; ſubinde manibus ſtertentis ſocci inducebantur, ut repente expergefactus faciem ſibi confricaret. Ita contumeliis annumeratur, ſi legati alterius naribus & auribus abſciſſis remittuntur. Similiter colaphis cædi contumelia eſt. Unde *Seneca*: invenias ſervum, inquit, qui flagellis, quam colaphis cædi malit.

§. 813.

Vituperare quid ſit. *Vituperare* alterum dicitur, qui perfectionis defectus eidem imputat. Unde etiam *res vituperare* dicimur, ſi in iis notamus defectus perfectionis, ad imminuendum earum pretium. *Vituperium* adeo ſermo eſt, quo alteri defectus perfectionis imputantur.

Ita vituperatur carmen, ſi contenditur, quod autor in eo condendo non obſervarit leges artis poeticæ. Vituperatur Poeta, quod carmen malefecerit.

§. 814.

Calumnia quid ſit. *Calumnia* ſermo eſt, quo alteri imputantur imperfectiones, quibus minime laborat.

Ita ſi quis alterum vocat ſcortatorem vel helluonem, qui non eſt; calumniatur eum dicitur. Si quis ait te furtum commiſiſſe, conſequenter furandi animum tibi objicit, a quo maxime alienus es, te calumniatur.

§. 815.

Convicium quid ſit. *Convicia* ſunt vocabula, quibus alterum ignominia afficiendi animo imperfectiones eidem exprobramus. Multa dantur vocabula iſtiuſmodi, quibus præter animum ignominia alterum afficiendi nihil ſignificatur, aut alius ſaltem ſignificatus a conviciatore non intenditur. Trahuntur huc etiam haud infrequenter per metaphoram bene multa, & unuſquiſque ſibi in vernaculo præſertim nobis

Digitized by Google

nobis ſermone, in quo vocabulorum per derivationem formatio facilis, c ia pro arbitrio fingit. Hinc *alterum conviciari* dicitur, qui verbis quibuſcunque prodit animum alterum ignominia afficiendi. *Conviciis inceſſere* dixit *Suetonius*. Vernaculo ſermone dicimus Schimpffen, ſubinde Schelten: unde convicia Schelt-Worte, item Schimpff-Wörter appellantur, quamvis non eodem prorſus ſignificatu, ſi ab inconſtantia loquendi receſſeris.

Conviciatur fœminam, qui turpem meretricem vocat, animo ignominia eam afficiendi, quem vel vox indignabunda, vel alia indicia produnt, parum ſollicitus, utrum vera loquatur, nec ne. Conviciatur alterum, ſi ignaviam ei exprobraturus eum vocat aſinum ignavum, ubi vocabulum aſinus animum ignominia afficiendi probat. Similiter ſi tenuis fortunæ hominem quis vernacula vocat einen Nack-Arſch, quaſi qui non habeat, qui partes obſcœnas tegat ob paupertatem, eum conviciatur; cum enim aperte falſa loquatur alteri paupertatem objiciens ſeu fortunam tenuem, aut ſua ſaltem minorem, hoc ipſo animum ignominia alterum afficiendi prodit. Eodem ſignificatu per convicium, ſubinde quoque per contemtum in vernacula dicimus ein nackend Menſch, ne duriora proferamus, quæ honeſtas aures lædere poterant, ſi fœmina fuerit indotata, vel tenuis fortunæ virgo.

§. 816.

Si imperfectio, quæ nobis ab altero tribuitur, fuerit vera & nos revera ſimus cauſa ejus libera; ignominia vera eſt. Etenim ſi imperfectio, quæ nobis ab altero tribuitur, fuerit vera & nos revera ſimus cauſa ejus libera, conſequenter imperfectione etiam iſta revera laboramus, alterius judicium de imperfectione noſtra, quatenus ejus cauſa libera ſumus, verum eſt (§. 505. *Log.*). Quoniam itaque aliorum de imperfectione noſtra judicium, quatenus ejus cauſa libera ſumus, ignominia eſt (§. 811.); ignominia vera eſt, ſi imperfectio, quæ nobis ab altero tribuitur, fuerit vera & nos revera ſimus ejus cauſa libera. *Quando ignominia ſit vera.*

Videmus adeo, quæ ad ignominiam veram requirantur. Nimirum neceſſe eſt, ut quis vera imperfectione laboret & ut ſit ejus cauſa libera, quam libere agendo vel non agendo contraxit, vel eum ab ea liberari potuiſſet, hoc facere neglexit. Inter mala fortunæ paupertas referenda, quemadmodum ſuo loco patebit. Quodſi luxu in eandem incidiſti; cauſa ejus libera es (§. 526. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo judicent alii, te luxu tuo diſſipaſſe opes, quibus abundabas; ignominia vera eſt, ac ideo dicitur ignominiæ tibi eſſe, quod luxu tuo opes diſſipaveris & pauper factus fueris, ſeu paupertas tibi ignominiæ eſt. Furtum commiſſum veram arguit imperfectionem voluntatis, cujus quia cauſa libera eſt, quatenus vel ea fecit, quibus animum furandi acquiſivit, vel ea facere omiſit, quibus impedire poterat, ne animus furandi ipſi eſſet. Quodſi ergo quis furatur, judicium aliorum, quod furatus ſit, verum eſt, quamobrem ſi judicent, eum eſſe furem; ignominia vera eſt, ac ideo dicitur ignominiæ eſſe alteri, quod furatus ſit.

§. 817.

Quilibet ſibi ab ignominia vera cavere debet. Quilibet enim ſibi cavere debet ab omni imperfectione ſui ſtatuſque ſui (§. 168. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quantum in ſe eſt (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ne ſit cauſa libera imperfectionis ſuæ (§. 526. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cavere igitur ſibi debet, ne aliorum judicium de imperfectione vera, quæ ipſi tribuitur, quodque ejus ſit cauſa libera, verum ſit (§. 505. *Log.*). Enimvero ſi imperfectio, quæ nobis tribuitur, fuerit vera, & nos revera ſimus ejus cauſa libera, ignominia vera eſt (§. 816.). Quilibet itaque ſibi ab ignominia vera cavere debet. *Obligatio vitandi ignominiam veram.*

Influit ignominia in determinationem nolitionis per modum motivi, quatenus ſiniſtrum aliorum de nobis judicium pudorem gignit (§. 779. *Pſych. empir.*) & ideo malum exiſtimatur, ſi alii norint, quæ a nobis male vel minus recte facta ſunt, aut quæ nobis mala ſunt. Sed hæc fuſius proſequemur in Philoſophia morali.

§. 818.

Obligatio præcavendi ignominiam aliorum.

Quilibet operam dare debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alii ignominiam habeant. Etenim quilibet ſibi ab ignominia cavere debet (§. 817.). Quoniam itaque alteri cuicunque homini debet quilibet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſe ipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608.); quilibet etiam operam dare debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alii ignominiam habeant.

Qui pudorem omnem exuerunt, ignominiam veram parum curant. Sed hi ſunt hominum ſceleratiſſimi, quos ſceleribus totos ſe dare minime pudet. Abſit autem, ut in horum numerum referas eos, quos non pudet ſceleris inter ſui ſimiles: cum enim hi ignominiæ non vertant aliis, quod pro ignominia non haberi in ſe ab iiſdem perſuaſi ſunt; non tamen ideo a pudore vacui ſunt, ſi male facta ad aliorum judicium referunt.

§. 819.

Obligatio præcavendi ignominiam aliorum.

Nemo alterum in ignominiam adducere debet. Etenim operam dare debet unusquisque, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alii ignominiam habeant (§. 818.). Sed qui ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium ſimul faciendum obligatur (§. 722.). Nemo igitur alterum in ignominiam adducere debet.

Non eſt quod excipias, ſequi hinc, quod delicta ſint celanda, quæ tamen in Rep. puniri intereſt, & quæ quo minus celentur, rationes aliæ ſæpius urgent. Etenim in iſtiuſmodi caſu obligationes inter ſe colliduntur, ut exceptione opus ſit. Hic vero expendimus, quid fieri non debeat, ſi factum, de quo loquitur præſens propoſitio, in ſe conſideretur. Neque vero etiam exiſtimandum eſt, quaſi ſola propalatione facti alterius is in ignominiam adduci poſſit: dantur enim adhuc modi alii, quibus idem fieri poteſt, veluti ſi quis alterum ad ſcelus quoddam committendum ſeducit, vel ſi non diſſuadet, ubi diſſuadere poterat.

§. 820.

An defectus virtutum pariat ignominiam.

Virtutum intellectualium & moralium defectus veram ignominiam pariunt. Etenim virtutes intellectuales & morales ſunt perfectio animæ acquiſita (§. 548.). Quamobrem ubi deficiunt, perfectio animæ, quæ acquiri debebat, quemadmodum ex tota tractatione palam fit, deeſt, conſequenter defectus virtutum intellectualium & moralium animam imperfectiorem facit. Quoniam itaque aliorum de imperfectione alterius judicium, quatenus ejus cauſa libera eſt, ignominia eſt (§. 811.), eaque vera in hypotheſi propoſitionis præſentis (§. 816.), virtutum intellectualium & moralium defectus veram ignominiam pariunt.

Nimirum ſi virtutibus intellectualibus & moralibus cares, qui hoc cognoſcit, te iiſdem carere omnino judicat. Cumque virtutes illas acquirere potuiſſes ac debuiſſes; cauſa libera imperfectionis, quæ tibi eſt, judicaris (§. 526. *part. 1. Phil pract. univ*). In hoc judicio cum vera ignominia conſiſtat (§. 816.); virtutum utique intellectualium atque moralium defectus ignominiam pariunt. Per ſe autem patet, ignominiam diverſos admodum admittere gradus, pro diverſitate virtutum intellectualium & moralium, quarum alia aliis magis perficit animam. Admittit eadem gradus, prouti magis cauſa libera cenſeris deficientis virtutis ſive intellectualis, ſive moralis. Sed in hæc inquirere jam non vacat. Silentio tamen prorſus prætereunda minime fuerunt; ne videamur ignominiam latius extendere, quam par erat, propterea quod vulgo non advertitur quædam ignominiæ eſſe, quæ revera ſunt, & levis, quæ videtur, ignominia pro nulla habeatur. Notiones communes rerum moralium non ea rectitudine gaudent, ut nihil prorſus erronei iiſdem inſit. Noſtrum vero eſt, qui eas ad diſtinctas & determinatas revocamus, ut opinionibus hominum, quibus honor adhæret, in iiſdem locum nullum demus.

§. 821.

Quoniam defectum virtutum intellectualium & moralium facta probant, nec idem aliis aliter niſi per facta innoteſcere poteſt; *Facta, quæ arguunt defectum virtutum intellectualium & moralium, ignominiæ veræ ſunt, quatenus ſcilicet illius cauſa libera ſumus* (§. 820. 816.

Qualia facta ignominiæ vera ſint.

Inde eſt, quod ignominia judicetur ex factis, & hinc vulgo non agnoſcatur conſiſtere eandem in judicio de imperfectione noſtra ab aliis lato, quatenus nimirum cauſa hujus imperfectionis libera ſumus (§. 811.). Interim tamen ad imperfectiones animæ provocant, ubi facta deſunt, quotieſcunque alterum ignominia afficere intendunt, & nunc quidem virtutum intellectualium, nunc moralium defectum allegant, ut adeo dici nequeat notionem, quam nos vocabulo jungimus, eſſe a conſuetudine loquendi remotam, quemadmodum judicium præcipitant, qui terminorum abſtractorum vim ac poteſtatem non percipiunt.

§. 822.

Vitia ignominiam veram pariunt. Vitium enim habitus eſt eas committendi actiones, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum imperfectionem (§. 322. 354. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque animam imperfectioni obnoxiam faciunt, ſeu ipſamet animæ imperfectiones acquiſitæ ſunt. Quodſi ergo aliis ea innoteſcant, judicium eorum, quod alter hoc vitio laboret, conſequenter quod hæc ipſi tribuenda ſit imperfectio, verum eſt (§. 505. *Log.*). Et quia vitia acquiruntur exercitio (§. 323. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque eorundem actuum repetitione (§. 195. *Pſych. empir.*); vitiorum, quibus quis laborat, cauſa libera eſt (§. 526. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi, cum alii judicant de imperfectione noſtra, imperfectio, quæ nobis tribuitur, vera ſit, & nos revera ſimus cauſa libera, ignominia vera eſt (§. 816.). Vitia igitur ignominiam veram pariunt.

Qualem ignominiam pariant vitia.

Facile intelligitur vitia ignominiam veram parere, quatenus homini imputari poteſt, quod iiſdem laboret (§. 811. *Jur. Nat. p.* 1. & § 527. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui ea animo comprehendit, quæ de imputatione in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis prolixe demonſtravimus; facile judicabit, uni magis, alteri minus imputari poſſe, quod eodem vitio laboret. Unde dantur gradus ignominiæ veræ, ad quos etiam vulgo reſpiciunt homines, qui judicium ferunt de aliorum vitiis, quando animus nullo affectuum impetu perturbatur.

§. 823.

Quoniam vitia aliorum nobis innoteſcere nequeunt, niſi per facta, facta vero hæc legi naturali contraria ſunt, quæ ex vitio procedunt (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *facta, quæ vitia arguunt, ſeu legi naturali contraria ſunt, ignominiam pariunt veram.*

Quænam facta ignominiam veram pariant.

Vitia ſunt imperfectiones voluntatis, quippe quæ fertur in ea, quæ nolle debebamus. Unde facta, quæ ex vitio tanquam fonte ſuo profluunt, potiſſimum veram pariunt ignominiam, ut adeo ab hiſce ſibi cavere debeat, qui ab ignominia vera liber eſſe voluerit, & ubi appetitus ſenſitivus adhuc fertur in actum vitioſum, eidem reſiſtere tenetur, ne in actum externum erumpat appetitio. Sed de hiſce ſuo loco plura in Philoſophia morali.

§. 824.

Mala animi tam poſitiva, quam privativa veram ignominiam pariunt: bona vero animi, exiſtimationem, honorem ac laudem veram. Etenim abſentia virtutum intelle-

Quænam mala ignominiam...

miniam, quænam vere honorem pariant.

intellectualium & moralium (§. 820.) atque vitia veram ignominiam pariunt (§. 822.). Enimvero abſentia virtutum intellectualium & moralium (§. 717.) atque vitia ſunt mala animi (§. 718.), neque præter hæc dantur alia mala animi acquiſita, quorum adeo cauſa libera eſſe poteramus. Mala igitur animi tam poſitiva, quam privativa veram ignominiam pariunt. *Quod erat unum.*

Similiter virtutes intellectuales & morales exiſtimationem (§. 549.), honorem atque laudem pariunt (§. 550.). Virtutes vero intellectuales & morales bona animi ſunt (§. 715.), neque præter eas dantur bona animi acquiſita, quorum cauſa libera ſumus. Quamobrem bona animi exiſtimationem, honorem atque laudem pariunt. *Quod erat alterum.*

Notanda hic quædam ſunt, ne propoſitio præſens in ſenſum perverſum trahatur. Forſan exiſtimaverit unus alterve, præter defectum virtutum intellectualium atque moralium dari adhuc alia animi mala, veluti angores animi ac tædia, quibus is afficitur. Enimvero qui ita ſentiunt, non diſtinguunt inter ea, quæ ex malis animi conſequuntur, & inter mala animi, quibus animus redditur imperfectior (§. 567. *Pſych. empir.*). Si animus angitur vel tædiis quibuſcunque afficitur, ratio aliqua adeſſe debet, cur hoc fiat (§ 70. *Ontol.*). Ratio vero alia eſſe nequit, quam quod imperfectionis cujuſdam nobis conſcii ſimus (§. 518. *Pſych. empir.*), conſequenter tædium, adeoque & angor animi ex malo quodam conſequitur. Inter mala igitur animi referri nequeunt tædia, quibus animus afficitur. Sunt actus quidam interni, quemadmodum dantur actus externi in corpore ab hujus imperfectione, conſequenter malis corporis (§. 567. *Pſych. empir.*), diſtinguendi, veluti ſi corpus frigore nimio moleſtatur. Similiter patet voluptatem, qua perfunditur animus, pro bono animi non haberi poſſe, ut adeo plura eam in rem addi ſupervacaneum ſit. Enimvero ſi quis ægre aſſenſum propoſitioni præſenti præbendum a ſe impetrare poſſit; in ejus gratiam addere lubet propoſitiones ſequentes.

§. 825.

Idem evidentius oſtenditur.

Mala animi acquiſita & naturalia, a quibus liberari potuiſſemus, modo voluiſſemus, ignominiam veram pariunt. Et ſimiliter *bona animi exiſtimationem, honorem ac laudem pariunt.* Etenim mala animi animam revera imperfectiorem reddunt (§. 565. 567. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo fuerint acquiſita, facta iterata ſupponunt (§. 425. *Pſych. empir.*), atque adeo, qui iſtis laborat, cauſa imperfectionis ſuæ libera exiſtit (§. 526. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi imperfectio, quæ nobis ab altero tribuitur, vera eſt, & nos revera cauſa ejus libera ſimus, ignominia vera eſt (§. 816.). Mala igitur animi acquiſita veram ignominiam pariunt. *Quod erat primum.*

Quoniam mala naturalia natura inſunt, adeoque ſine prævio exercitio (§. 425. *Pſych. empir.*), conſequenter ſine facto quodam tuo (§. 195. *Pſych. empir.*), nec eorum cauſa libera es (§. 526. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi tamen ab iis liberari poteras, modo voluiſſes, eatenus cauſa libera es, quod iſta imperfectione adhuc labores. Unde patet ut ante mala naturalia veram ignominiam parere, a quibus liberari potuiſſes, modo voluiſſes (§. 816.). *Quod erat ſecundum.*

Ex adverſo bona animi animam reddunt perfectiorem (§. 554. 556. *Pſych. empir.*). In cauſa igitur ſunt, ut alii judicent te perfectione iſta gaudere, atque hoc judicium ſuum actibus externis ſignificare poſſint (§. 881. *Ontol.*). Quoniam igitur aliorum de perfectione noſtra judicium exiſtimatio eſt, & actus externi, quibus idem ſignificatur, honor (§. 538.), laus vero ſermo de eadem (§. 541.); evidens eſt bona animi exiſtimationem, honorem, ac laudem parere. *Quod erat tertium.*

Quodſi ergo exiſtimes præter virtutes intellectuales ac morales dari adhuc alia animi bona, etſi alia nominare non poſſis, vel in eorum numerum referas, quæ perperam ſibi inter ea locum vindicant; hoc tamen non obſtante fatendum eſt vi demonſtrationis præſentis, bona animi parere honorem, laudem & exiſtimationem. Et ſimiliter quodſi credas præter vitia & virtutum moralium atque intellectualium defectum dari adhuc alia mala animi, quorum cauſa libera eſſe poſſumus, hoc tamen non obſtante concedendum vi demonſtrationis præſentis

verum

verum eſſe; quod mala animi poſitiva & privativa, quorum ſcilicet illa acquiſivimus, hæc vero retinere, quam ab iis liberari maluimus (de hiſce enim intelligenda propoſitio præſens, quemadmodum ex materia ſubſtrata intelligitur), veram pariant ignominiam. Exemplis haud difficile foret ſingulas propoſitionis præſentis partes illuſtrare, quoniam tamen obvia ſunt, ut iis recenſendis immoremur conſultum non eſt. Id potius inculcamus propoſitionem præſentem probe ponderandam eſſe, ut a vera ignominia nobis caveamus, nec magis metuamus ea, quæ nonniſi opinione hominum ignominiæ habentur.

§. 826.

Illicitum non eſt cognoſcere ea, quæ alteri ignominiæ ſunt. Homo enim obligatur ad cognoſcendum imperfectionem animæ, corporis ac ſtatus externi aliorum atque non uſum & abuſum facultatum, quo perfectionum jacturam faciunt, ac in imperfectiones incidunt (§. 193.), conſequenter quod ſint cauſa libera defectus perfectionis & imperfectionis, qua laborant (§. 526. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in hoc judicio ignominia conſiſtit (§. 811.), illicitum vero eſt, ad quod omittendum ſeu non faciendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); illicitum non eſt cognoſcere ea, quæ alteri ignominiæ ſunt.

An cognitio eorum, quæ alteri ignominiæ ſunt, illicita.

Probe notandum eſt, ſermonem hic eſſe de nuda cognitione. Conſtat autem ex ſuperioribus (§. 193.), eadem non intendi aliud, niſi ut ex alieno caſu diſcas quod vites. Tui igitur emendandi cauſa cognoſcis, quæ ignominiæ ſunt alteri: quo ipſo alteri non noces, tibi autem prodes. Ecquis vero dixerit illicitum eſſe non nocendo alteri prodeſſe ſibi? Quod hoc alteri ignominiæ ſit, non inde eſt, quod tu idem cognoſcis, conſequenter non tibi tribuendum, quod quid alteri ignominiæ ſit, ſed ipſemet ſibi tribuat, qui talia fecit, quibus ignominiam ſibi fecit. Quamdiu igitur in hac cognitione acquieſcis, nec alium ejus uſum facis, niſi ut ut emenderis tibique ab ignominia caveas; nihil facis, quod reprehendi poſſit.

§. 827.

Quæ homini ignominiæ ſunt, mala ſunt, quorum ipſe cauſa libera eſt. Quæ enim homini ignominiæ ſunt, ea faciunt, ut homines judicent eum eſſe cauſam liberam imperfectionis ſuæ (§. 811.). Quamobrem cum mala ſint, quæ ipſum imperfectioni cuidam obnoxium reddunt (§. 565. *Pſych. empir.*). Quæ homini ignominiæ ſunt, mala ſunt, quorum ipſe cauſa libera eſt.

Quænam homini ſint ignominiæ.

Vera nimirum ignominia eſt, ſi vera fuerit imperfectio, quæ alteri ab aliis tribuitur, & ipſe revera ſit cauſa ejus libera (§. 816.). Sed quæ hominem revera imperfectiorem reddunt, mala vera ſunt (§. 568. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque imperfectio vera, qua alter laborat, & cujus cauſa libera eſt, ipſi ignominiæ eſt; quin mala, quorum ipſe libera cauſa, ſint ea, quæ ipſi ignominiæ ſunt; dubitari haud quaquam poteſt. E. gr. Si quis libidinoſus fuerit, voluntas ejus imperfectioni obnoxia eſt, appetitui ſenſitivo ſubjecta, qui fertur in actus venereos. Quin vitium, quo laborat, quodque ipſi ignominiæ eſt, malum quoddam morale ſit, nemo negaverit, niſi qui vitium non eſſe opinatur, nec ſcortari ignominiæ ſibi ducit. Non vero hic quæritur, quid per errorem ſtatuant nonnulli, ſed quidnam veritati conveniat.

§. 828.

Nemo ea propalare debet, quæ aliis ignominiæ ſunt. Quilibet enim operam dare debet, ne alii ignominiam habeant (§. 818.), conſequenter abſtinere ab iis, quæ faciunt, ut habeant ignominiam. Quoniam itaque ea propalans, quæ aliis ignominiæ ſunt, facit, ut alii ignominiam habeant; nemo ea propalare debet, quæ aliis ignominiæ ſunt.

An ea propalanda, quæ ignominiæ ſunt aliis.

Quodſi ea, quæ alteri ignominiæ ſunt, manifeſta fuerint, nec latere poſſint, veluti ſi quis furatus & in furto deprehenſus fuerit; ubi de iis loqueris tanquam de re in vulgus nota, minime dici poteſt, quod ea propales, quæ alteri ignominiæ ſunt, conſequenter contra obliga-

gationem, quam urget propoſitio præſens, minime facis. Neque vero eſt, quod excipias, contrariari hoc ei, quod modo oſtendimus, illicitum non eſſe cognoſcere ea, quæ alteri ignominiæ ſunt (§. 826.), conſequenter nec illicitum eſſe, ut alios ad earum cognitionem adducas (§. 637.), eodem fine quo tibi ea acquiſitu utilis (*not.* § *cit.*). Etenim ſi ex alieno caſu alios docere velis, quæ vitanda ipſis ſunt; ad ea provocare potes ac debes, quæ manifeſta ſunt, neque opus eſt ut occulta propalentur. Et ubi ad ea, quæ ab aliis ignorantur, provocare viſum fuerit; non opus eſt, ut eum nomines, cui ignominiæ eſſe poſſunt. Sufficit nominaſſe individuum vagum, & aſſeverare, quod ea fueris expertus. Ita enim obtinentur ea, quæ licite intendere potes, neque opus eſt, ut alterum in ignominiam adducas. Patebunt ſuo loco ac tempore motiva, cur hac circumſpectione ſit utendum. Dantur etiam caſus alii, quibus ob colliſionem per modum exceptionis propalare licet, quæ alteri ignominiæ ſunt. Sed de his dicemus ſuo loco.

§. 829.

Ignominia alterum afficere illicitum.

Nemo alterum ignominia afficere debet. Nemo enim ea propalare debet, quæ aliis ignominiæ ſunt (§. 828.), adeoque multo minus actibus externis aliis ſignificare debet ſuum de imperfectione alterius judicium, cum, ſi judicium iſtud verum ſit, in eo vera ignominia conſiſtat (§. 816.), ſi falſum, animus tamen adeſt alteri ignominiam faciendi. Quoniam itaque alterum ignominia afficit, qui actibus quibuſcunque externis ſuum de imperfectione alterius judicium declarat (§. 811.); nemo alterum ignominia afficere debet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui alterum ignominia afficit, actibus externis ſuum de imperfectione alterius, conſequenter de iis, quæ minus recte ab altero facta ſunt, adeoque ſiniſtrum, quod fert de altero, judicium (§. 774. *Pſych. empir.*), declarat (§. 811.). Quamobrem cum ex judicio aliorum ſiniſtro, quod verum eſt, vel etiam pro vero ab aliis haberi agnoſcimus, triſtitia vel tædio afficiamur (§. 775. *Pſych. empir.*); ex eo, quod quis ignominia afficitur, tædio afficitur, conſequenter hoc ipſum alteri diſplicet §. 542. *Pſych. empir.*) & hinc odium ejus in te provocas (§. 674. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque inimicus eſt, qui alterum odio proſequitur (§. 626.); alios ignominia afficiens aliorum inimicitiam provocat. Enimvero danda homini opera eſt, ne alios ſibi reddat inimicos (§. 634.). Quamobrem nec alterum ignominia afficere debet.

Demonſtratio poſterior applicari quoque poterat ad propoſitionem præcedentem: immo eandem reapte continet. Qui enim propalat ea, quæ alteri ignominiæ ſunt, ſiniſtrum de altero judicium ſuum non modo verbis ſignificat, verum etiam in cauſa eſt, ut alii de eodem ſiniſtre judicent. Ignominia alios afficere & ea propalare, quæ ignominiæ ſunt aliis, hoc eſt, ſiniſtre judicandi occaſionem de aliis aliis præbent, eſt medium inimicitias conflandi, atque adeo contrariatur tale factum obligationi naturali amicitias hominum conſervandi (§. 770.) & inimicitias exterminandi (§. 771.). Quodſi vero vel maxime obligatio alia fortior urget, ne quæ alteri ignominiæ ſunt, reticeat (§. 635.); non tamen ideo ignominia afficiendus alter. Quando hoc facere liceat in pœnam, patebit ſuo loco, ubi de Jure pœnarum agetur: jus enim pœnarum ſimiliter oritur per modum exceptionis ex jurium & obligationum colliſione, quemadmodum ſuo loco patebit.

§. 830.

Ignominia alterum afficere & ea, quæ ignominiæ ſunt, propalare charitati adverſum.

Ignominia alterum afficere & ea, quæ ignominiæ ipſi ſunt, propalare, charitati repugnat. Qui alterum impenſe amat, eorum pœnitet, quæ ab eo vel male, vel minus recte facta exiſtimat (§. 757. *Pſych. empir.*), adeoque factum infectum reddere mallet (§. 761. *Pſych. empir.*). Fieri adeo non poteſt, ut propalet, quæ ab altero vel male, vel minus recte facta ſunt, conſequenter quæ alteri ignominiæ ſunt (§. 821. 823.), adeoque multo minus ſuum de alterius imperfectione judicium actibus quibuſcunque externis ut declaret, conſequenter ut alterum ignominia afficiat, fieri poteſt (§. 811.). Jubet charitas, ut alios diligamus tanquam nosmetipſos (§. 620.), conſequenter ut omni ſtudio id agamus, quo alter ſit felix, ac caveamus, ne ſit infelix (§. 617.), atque adeo voluptatem ejus appetamus, tædia vero averſemur (§. 636. 637. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum alte-

Digitized by Google

alterum amat, qui voluptatem ejus appetit (§. 650. *Pſych. empir.*), tædia vero averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*); jubet charitas, ut alterum amemus tanquam nosmetipſos, conſequenter impenſe. Ignominia itaque alterum afficere & ea, quæ ignominiæ ſunt, propalare charitati repugnat.

Repugnantia inter charitatem & animum ignominia alterum afficiendi eaque propalandi, quæ ignominiæ ſunt alteri, adeo manifeſta eſt, ut a nemine in dubium vocari poſſit, modo ad ea attendere velit animum, quæ experientia obvia ſuggerit.

§. 831.

Quod neutrum facere liceat.

Quoniam ad charitatem lege naturæ obligamur (§. 621.), adeoque etiam ad non facienda, quæ charitati repugnant (§. 722., charitati autem repugnat ea propalare, quæ alteri ignominiæ ſunt, atque alterum ignominia afficere (§. 830.); ideo patet, quod jam ante alio modo oſtendimus (§. 828. 829.), quod *nemo alterum ignominia afficere*, *nemo* etiam *propalare debeat*, *quæ alteri ignominiæ ſunt*.

§. 832.

Contumeliam facere illicitum ſ

Nemo in alios contumelias edere debet. Nemo alterum ignominia afficere debet (§. 831.). Quoniam ignominia alterum afficit, qui ſuum de imperfectione alterius judicium actibus quibuſcunque externis declarat (§. 811.); multo minus tales actus edere debemus, quibus alter ignominia dignus declaratur. Actus iſtiuſmodi, quibus alter ignominia dignus declaratur, contumeliæ ſunt (§. 812.). Nemo igitur contumelias in alios edere debet.

Contemnere alterum minus eſt, quam ignominia afficere, & ignominia afficere minus, quam contumeliis onerari. Qui alterum contemnit, tantummodo judicat, quod is virtutibus intellectualibus & moralibus careat, aut non tantas eſſe contendit, quantæ videntur alii, ſeu quod careat iis, quæ honorem ac laudem merentur (§. 788.); qui alterum ignominia afficit, is negat non ſolum quod alter careat virtutibus intellectualibus & moralibus, verum etiam declarat, quod ſit hoc ipſum eidem tribuendum, quodque vitiis ſit obnoxius (§. 811.); qui denique contumelias in alterum edit, is dignum judicat, de quo ſiniſtrum feratur judicium & quod tale feratur, actibus externis declaretur (§ 812.). Facta igitur, quibus quis contemnitur, quibus ignominia afficitur & quibus contumelia in eum editur, nonniſi gradu differunt. Inde eſt, quod hic plurimum tribuatur opinioni, ac ſubinde difficile ſit, ea a ſe invicem diſtinguere. Quamobrem inconſtantiæ loquendi, quæ hic regnat, in præjudicium veritatis non nimium tribuendum.

§. 833.

Convicia illicita.

Neminem conviciis proſcindere licet. Qui enim alterum conviciis proſcindit, ignominia alterum afficiendi animum prodit nobis (§. 815.). Enimvero non ignominia alterum afficere (§. 831.), conſequenter nec animum eundem ignominia afficiendi habere, multoque minus verbis prodere debemus. Neminem igitur conviciis proſcindere debemus.

Contumelia factis, convicium verbis fit. Utriſque idem intenditur: unde contumeliam dicere dixit *Plautus*. Qua de cauſa igitur contumeliæ ſunt illicitæ (§. 832.); eadem quoque convicia illicita cenſeri debent. Non tamen nego, contumelias eſſe conviciis graviores.

§. 834.

§. 834.

Quinam alterum calumnietur. *Qui alteri tribuit facta, quæ virtutum intellectualium aut moralium defectum vel vitia arguunt, etſi norit talia ab altero non fuiſſe commiſſa, eum calumniatur.* Etenim qui alteri tribuit facta, quæ virtutum intellectualium & moralium defectum vel vitia arguunt, is eidem tribuit virtutum intellectualium ac moralium defectum atque vitia, cum nonniſi per facta alterius nobis innoteſcere poſſit, quod careat virtutibus intellectualibus atque moralibus atque vitiis laboret. Quoniam virtutes intellectuales & morales ſunt perfectio animæ acquiſita (§. 558.), earum defectus imperfectio eſt, & oppoſita hiſce vitia imperfectiones quoque animæ ſunt. Qui ergo alteri tribuit facta, quæ virtutum intellectualium & moralium defectum vel vitia arguunt; ei imperfectiones tribuit. Quia tamen novit, alterum iſta, quæ narrat, non feciſſe *per hypotheſin*, alteri imperfectiones tribuit, quibus minime laborat, aut quibus num laboret ſaltem ignorat. Ex parte autem ipſius perinde eſt, ac ſi iiſdem non eſſet obnoxius. Quoniam itaque alterum calumniatur, qui tribuit eidem imperfectiones, quibus minime laborat (§. 814.); qui alteri facta tribuit, quæ virtutum intellectualium & moralium defectum vel vitia arguunt, & novit ea ab ipſo non fuiſſe commiſſa, eum calumniatur.

In ſuperioribus (*not.* § 814.) jam dedimus exempla, quæ huc trahi poſſunt. Calumniatores non alio fine falſa de aliis narrant, quam ut aliis perſuadeant, quod huic vel iſti vitio ſint dediti, hac vel iſta virtute intellectuali & morali careant. Cum vero facta fingere pro lubitu non ſemper poſſint, hiſce quoque vitiis alios eſſe deditos, hac vel iſta virtute morali eos eſſe deſtitutos ſaltem affirmant. Quo pejora autem ſunt facta, vel etiam vitia; eo major quoque calumnia eſt.

§. 835.

Intentio calumniatoris. *Qui alterum calumniatur, ei ignominiam inferre ſtudet.* Qui enim alterum calumniatur, ei imputat imperfectiones, quas ipſi minime convenire novit (§. 814.). Quamobrem cum per ſe pateat, quod velit ut alii dictis fidem habeant; aliud intendere nequit, quam ut etiam alii ipſi tribuant iſtas imperfectiones (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque judicium aliorum de imperfectione noſtra, quatenus ejus cauſa libera habemur, ignominia eſt (§. 811.); qui alterum calumniatur, ei ignominiam inferre ſtudet.

E. gr. Calumniator alterum vocat idiotam, qui non meretur nomen tyronis in Matheſi, etſi in ea fuerit cum laude verſatus. Vult utique ut is, cui hoc dicit, credat vera eſſe, quæ tanta confidentia affirmat, conſequenter ut alterum pro tanto idiota habeat. Quodſi adeo is credit alterum eſſe Mathematum imperitum, defectum ſcientiæ mathematicæ, qua pollere debebat, ipſi tribuit, atque adeo ignominia eidem infertur. Eodem modo intelligitur, ignominiam inferri ei, quem calumniator ſcortatorem vocat, ubi dictis fides habetur: quod cum calumniator intendat, ignominiam alteri inferre utique ſtudet. Exemplum primum conſulto adduximus, ne quis exiſtimet, calumniæ non eſſe locum niſi in iis, quæ omnibus promiſcue ignominiæ ſunt, quemadmodum obtinet in exemplo altero. Qui alterum calumniatur, eidem nocere intendit. Nocet autem, qui calumniatur, quod quis ſit in Matheſi admodum tyro, ubi conſilia agitantur de eodem ad profeſſionem Matheſeos evehendo, vel ubi cuidam animus eſt ipſius in Matheſi inſtitutione utendi.

§. 836.

Calumnia prohibita. *Nemo alterum calumniari debet.* Qui enim alterum calumniatur, ei ignominiam inferre ſtudet (§. 835.). Enimvero nemo alterum in ignominiam adducere debet (§. 819.), ſed operam dare potius tenetur, ne is ignominiam habeat (§. 818.). Quamobrem nemo alterum calumniari debet.

Ca-

Calumniæ haud raro cum conviciis conjunguntur, veluti in exemplo, quod modo dedimus, ubi quis alterum idiotam & tyronem vocat, etſi non neget eum aliqua Matheſeos peritia inſtructum eſſe. Nuda enim calumnia eſt, ſi dicat ipſum in Matheſi exiguos admodum feciſſe progreſſus, aut, ubi ad profeſſionem mathematicam evehendus, eum non tanta peritia pollere, ut alios Matheſeos elementa docere poſſit. Et ſane magis nocet calumniator, ſi nudas calumnias profert, quam ubi iiſdem convicia miſcet, cum fides ejus minus ſuſpecta ſit.

§. 837.

An ignominiam ignominia rependere liceat.

Si quis te ignominia afficit, vel in ignominiam adducit; eum viciſſim ignominia afficere, vel in ignominiam adducere non debes. Quoniam enim neminem ignominia afficere (§. 829.), neque etiam in ignominiam adducere debemus (§. 819.); qui alterutrum facit, obligationi naturali minime ſatisfacit (§. 120 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed quia alter eidem non ſatisfacit, non ideo tibi permiſſum eſt eidem non ſatisfacere (§. 631.). Quamobrem ſi quis te ignominia afficit, vel in ignominiam adducit; eum viciſſim ignominia afficere, vel in ignominiam adducere minime debes.

Patet etiam ex eo, quod par pari referendum non ſit, ſi alter tibi cauſa mali extitit (§. 810). Prolixior tamen foret demonſtratio, ſi ex hoc principio propoſitionem præſentem demonſtrare velles; id quod etiam de ſequentibus tenendum.

§. 838.

An contumelias contumeliis & convicia conviciis rependere liceat.

Si quis contumelias in te edit, vel conviciis te proſcindit, in eum viciſſim contumelias edere vel eundem conviciis proſcindere minime debes. Quia nemo in alios contumelias edere (§. 832.), nemo etiam alios conviciis proſcindere debet (§. 833.); qui alterutrum horum facit, obligationi naturali minime ſatisfacit (§. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed quia alter eidem non ſatisfacit, non ideo tibi permiſſum eſt eidem non ſatisfacere (§. 631.). Quamobrem ſi quis in te contumelias edit, vel te conviciis proſcindit; in eum viciſſim contumelias edere vel eundem conviciis proſcindere minime licet.

§. 839.

Quid ſit magni vel majoris aliquem facere.

Quoniam perfectionis alterius nobis conſcii voluptatem percipimus (§. 511. *Pſych. empir.*) & quo major fuerit perfectio, eo major quoque voluptas eſt (§. 516. *Pſych. empir.*), homines vero gradu perfectionis inter ſe differre deprehendimus; *meliorem judicamus eum, qui majore perfectione gaudet, & meliorem eum, qui perfectione quadam gaudet, altero, qui eadem deſtituitur, & hinc majore perfectione præditus præfertur ei, qui minore inſtructus, & perfectione quadam inſtructus alteri, qui eadem deſtituitur.* Unde *majoris fieri* dicitur, quem ob perfectionem vel majorem ejus gradum aliis præferimus, qui vel eadem deſtituuntur, vel minore gradu eandem poſſident. Et abſolute loquendo *magni facere* dicimus eum, qui ob perfectionem, qua pollet, vel exquiſitum perfectionis iſtius gradum aliis multis præferendum eſſe judicamus. Quia voluptas oritur non minus ex ſenſu perfectionis apparentis, quam veræ (§. 511. *Pſych. empir.*) & in æſtimatione gradus neceſſe non eſt veritatis rationem haberi, ut major ſit voluptas (§. 516. *Pſych. empir.*); *homines in magni vel majoris faciendis aliis plurimum dant opinionibus præjudicatis.*

Quæ hic dicuntur, experientiæ conſona ſunt, & unuſquiſque in ſeipſo experiri poteſt, cum exempla obvia ſint. Notandum vero in Philoſophia rationem haberi ſolius veritatis, minime opinionis hominum, quæ ubi a vero aberrat, per philoſophiam rectificanda, ut, quod erroneum adhæret, inde ſeparetur.

§. 840.

Effectus exiſtimationis. Quoniam exiſtimatio eſt judicium de aliorum perfectione (§. 538.), qui vero perfectione quadam prædìtus eſt, præfertur alteri, qui eadem deſtituitur, & qui majore perfectione præditus ei, qui minore inſtructus eſt (§. 839.); *exiſtimatio facit, ut alterum magni faciamus vel majoris faciamus aliis, ſeu appetitum movet ad alterum magni faciendum vel majoris faciendum, quam alios.*

Actus appetitus huius nobis ſumus conſcii, dum de aliorum perfectione judicamus, ut adeo exiſtimationi ſemper adhæreat, utut in confuſis perceptionibus acquieſcentes non ſatis intelligant, quid in anima accidat. Atque inde eſt, quod, ubi exiſtimationem per judicium de alterius perfectione definiri audiunt, eam minus recte definiri ſibi perſuadeant, quaſi ea amplius quid requirat, animum potiſſimum attendentes ad appetitum, qui ad alterum aliis præferendum tendit. Quoniam vero hic appetitus actus per judicium iſtud determinatur, ex definitione utique exulare (§ 680. *Log.*), ac inde deduci debet, quemadmodum hic a nobis factum eſſe vides.

§. 841.

Qualibus actibus honor exhibeatur. Quoniam honor conſiſtit in actibus externis, quibus noſtrum de perfectione alterius judicium ſignificamus (§. 538.), exiſtimatio autem facit, ut alterum magni faciamus vel majoris, quam alios (§. 840.), conſequenter ut eum præferamus aliis vel aliis multis præferendum eſſe judicemus (§. 839.); *honor conſiſtit in actibus externis, qui bus alterum aliis præferimus, vel aliis multis præferendum eſſe indigitamus.*

Vernaculo ſermone actum appetitus, qui exiſtimationi adhæret, Hochachtung appellare ſolemus. Communis vero loquendi uſus ſignificatum reſtringit ad eum caſum, quo alterum ob ſingularem perfectionem plurimis aliis præferendum judicamus. Hinc Hochachtung bezeigen idem eſt ac actibus externis prodere iſtum appetitus actum judicio connexum. Quoniam tamen in magni faciendis aliis plurimum datur præjudicatis opinionibus (§. 839.), plurimæque ſunt rationes, cur etiam hic hominum actiones ſint ſimulatæ; inconſtantia loquendi vi notionum confuſarum miſcet, quæ a ſe invicem diſtinguenda erant. Enimvero nobis inhærendum eſt notionibus diſtinctis ac determinatis, per quas vocabulorum ſignificatus determinandus, ut veritati ſua conſtet evidentia, nec dubitationum ancipitibus fluctibus jactetur animus.

§. 842.

Qualia verba & facta ſint contemtori. *Qui alterum contemnit, verbis & factis declarat alterum eſſe indignum, qui magni fiat, vel majoris, quam alii.* Qui enim alterum contemnit, actibus externis declarat eum eſſe honore ac laude indignum (§. 787.). Quamobrem cum honor conſiſtat in actibus externis, quibus declaratur, quod alter dignus ſit, qui tanti fiat ab aliis, vel majoris etiam quam alii (§. 841.); qui alterum contemnit, verbis & factis declarat alterum eſſe indignum, qui magni vel tanti fiat ab aliis, vel majoris, quam alii.

§. 843.

Quid velit contemtor. Quoniam itaque *contemtor* ferre nequit, ut alter magni vel tanti fiat, aut etiam majoris, quam alii (§. 842.); utique *vult, ut alterum minoris facias, vel etiam nihili.*

Loquuntur hic exempla, quæ ſupra in medium adduximus (*not.* §. 791.). Quemadmodum vero contemtus ſuos habet gradus, prout magis vel minus eum honore ac laude indignum decla-

Digitized by Google

declaras; ita etiam facta & verba gradum contemtus indigitant, ſi ea ſereno animo timeris. Concurrunt autem cum verbis actus quidam externi, quæ ea per contemtum prolata indicant, veluti mutationes vultus, vocis, geſtus & hi ſimiles, ut taceam ipſas quaſdam dictiones contemtui proprias eſſe, quales ſunt, quæ ironiam ſapiunt.

§. 844.

Nihili alterum facere quid ſit.

Quoniam tædium oritur, ſi imperfectionis alterius nobis conſcii ſumus (§. 518. *Pſych. empir.*) & quo major fuerit imperfectio, eo majus quoque tædium eſt (§. 521. *Pſych. empir.*); *pejorem judicamus eum, qui imperfectione quadam laborat, aliis; tantoque pejorem, quo major fuerit imperfectio*, & hinc *ob imperfectionem, ubi alterum cauſam ejus liberam judicamus, eum nihili facimus*. Dantur autem in nihili faciendo gradus, prouti nunc magis, nunc minus commovemur ad alterum nihili faciendum. *Nihili* adeo *facere alterum* dicitur, qui ob imperfectionem alterum ceteris omnibus poſtponit, immo tandem ex numero hominum quaſi detruſum cum brutis in eundem cenſum refert. Quoniam vero tædium non minus ex imperfectione falſa, quæ per errorem pro tali habetur, quam ex vera oritur (§. 518. *Pſych. empir.*), nec magnitudo tædii ſupponit judicii de gradu imperfectionis veritatem (§. 521. *Pſych. empir.*); *in nihili faciendis aliis homines plurimum dant præjudicatis opinionibus*.

Vix datur aliqua notio, quæ majus acumen majoremque attentionem exigit, ne confundantur, quæ diſcernenda ſunt, quam actus parvi pendendi vel nihili faciendi alios. Non e longinquo petenda eſt ratio. Confunditur imperfectio vera cum apparente, acquiſita cum naturali, ea, quæ fortunæ tribuenda, cum altera, cujus cauſa libera eſt, nec omnes in æſtimandis imperfectionibus conſentiunt. Ubi diſcutiendum, quantum imputandum ſit alteri, quod imperfectioni cuidam obnoxius ſit, in diverſas admodum partes ſcinduntur, qui judicant & vix unquam judicium veritati conſentaneum, immo plerumque impoſſibile videtur, ut ex vero ſtatuatur. Nemo ea de re dubitabit, qui ſatis ea intellexit & animo comprehendit, quæ de imputatione docuimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. Influit præterea appetitus ſenſitivus non modo in judicium de imperfectione, verum etiam in actum imputationis. Atque hic pro diverſitate circumſtantiarum tanta ſeſe offert diverſitas, quanta vix cogitatur. Diverſi admodum affectus influunt in actum nihili faciendi vel vilipendendi alios, qui eundem nunc intendunt, nunc imminuunt, ſubinde prorſus reprimunt, immo in contrarium vertunt. Vides adeo, quænam peregrina ſeſe immiſceant notioni, de qua jam nobis ſermo eſt, probe omnino perpendenda, ne præcipitetur judicium, quando illam ad examen revocare volueris. Illud quoque tenendum eſt, quod probe diſtinguendum ſit, utrum quis nihili fiat abſolute, an vero nonniſi in certo hominum genere. Quamvis enim plerumque nonniſi poſterius fieri deberet; obtinet tamen prius. Ita vides Geometras, qui eruditos alios nullo tantummodo loco habere debebant inter Geometras, eos prorſus nullo loco habent. Tales etiam videas criticos, tales videas homines literatos, qui non niſi alios ſui ſimiles magni faciunt, ceteros vilipendunt. Videas divites, qui alios tenuioris fortunæ prorſus nihili faciunt, quamcunque tandem exiſtimationem mereantur, quippe ex ſolis divitiis pretium ſtatuentes hominibus. Nolo addere plura, quæ obvia experientia ſuggerit. Ponamus homines omni perfectione deſtitutos; nulla erit ratio, cur unum alteri præferas, adeoque magni vel majoris ceteris facias. Ponamus aliquos perfectionem acquirere, qua jam ceteri deſtituuntur. Illi igitur ceteris præferendi, adeoque magni fieri debent. Quodſi jam perfectio unius fuerit major, quam alterius; unus eorum majoris fieri debet quam alter. Ponamus jam porro ceterorum aliquos imperfectionem acquirere; qua deſtituuntur ceteri perfectione itidem carentes; hi igitur ipſis poſtponendi tantoque majori intervallo poſtponendus erit unuſquiſque, quo major fuerit imperfectio, cui obnoxius, adeoque tanto magis quis nihili faciendus, quanto majore imperfectione laborat. Eodem modo fere hic ſeſe res habet, quo in ſerie numerorum poſitivi privativis reſpondent, quorum illi ſupra nihil, hi infra nihil deſcendunt, ita ut qui magni fiunt pluris quam nihili, qui vero vulgo nihili fieri dicuntur, minoris quam nihili fieri dicendi veniant, ſicuti numeri poſitivi ſunt nihilo majores, privativi vero nihilo minores, quatenus nimirum valor moralis hominum nullus cyphræ reſpondet, perfectio autem libere acquiſita tribuit valorem nullo majorem, imperfectio libere acquiſita nullo minorem. Enimvero cum perfectiones ac imperfectiones ſint complures & eædem diverſimode diſtribuantur inter homines; prolixa diſcuſſione opus foret, ſiquidem valor moralis uniuſcujuſque exacte determinari deberet, ut accurata fieret æſtimatio. Sed de hoc nemo hactenus cogitavit, neque facile eſt telam hanc pertexere, cum interior ſupponatur & Philoſophiæ moralis & Matheſeos notitia. Quamvis adeo homines omnes ſyrtes iſtas evitarent, in quas eos incidere modo dixera-

xeramus, in aliis tamen magni ac parvi ſeu nihili faciendis veritatem minime attingerent. Nobis ſufficit explicaſſe, quæ notionem quandam diſtinctam æſtimationis moralis hominum animo ingenerant.

§. 845.

Quoſnam actus edat, qui alterum ignominia afficit.

Quoniam qui alterum ignominia afficit, actibus externis quibuſcunque ſuum de imperfectione alterius judicium declarat, quatenus pro cauſa ejus libera habetur (§. 511.), ob imperfectionem vero alterum aliis poſtponimus, adeoque nihili facimus (§. 844.); *qui alterum ignominia afficit, iſtiuſmodi actus edit, quibus declarat, quod alterum nihili faciat*. Et quia in judicio iſto ignominia conſiſtit (§. 811.); *ignominia movet appetitum ad alterum nihili faciendum ſeu parvi pendendum*.

Actus iſte appetitus adhæret judicio de alterius imperfectione, ut adeo vulgo ad eum animum attendant, qui de ignominia cogitant. Unde eſt, quod nonnulli mirentur audientes ignominiam definiri per judicium de imperfectione alterius, quatenus ejus cauſa libera eſt. Notanda vero hic ſunt, quæ ſupra in caſu ſimili monuimus (*not.* §. 840.).

§. 846.

Quoſnam edat, qui contumeliis alterum afficit.

Similiter quia, qui contumelias in alterum edit, actibus externis declarat alterum eſſe ignominia dignum (§. 812.), qui vero ignominia dignus declaratur, eum mereri judicamus, qui parvi pendatur ſeu nihili fiat (§. 844.); *qui contumelias in alterum edit, tales edit actus, quibus alter dignus declaratur, ut nihili fiat vel parvi pendatur*.

§. 847.

Intentio calumniatoris.

Et quoniam calumniator alteri tribuit imperfectiones, quibus minime laborat (§. 814.), adeoque alterius ignominiam intendit (§. 811. *Jur. Nat.* & §. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ignominia vero appetitum movet ad alterum nihili faciendum ſeu parvi pendendum (§. 845.); *calumniator intendit, ut alter, in quem calumnias edit, ab aliis parvi pendatur, ſeu nihili fiat*.

Æqualitas hominum naturalis adeo altas radices egit in animis hominum, ut nihili fieri ab aliis aut vilipendi intolerabile ipſis videatur. Atque inde eſt, quod ignominia, contumeliæ, convicia, calumniæ adeo exacerbent eorum animum, & ipſi ad ea vindicanda ſint adeo proni.

§. 848.

Vituperium illicitum.

Neminem vituperare debemus. Qui enim alterum vituperat, eidem verbis defectum perfectionis imputat (§. 813.), adeoque laude indignum declarat (§. 541.). Quamobrem cum alterum contemnat, qui alterum laude indignum declarat (§ 787.); vituperando alterum eum contemnimus. Nemo autem contemnendus eſt (§. 790.). Ergo etiam neminem vituperare debemus.

Non eſt quod excipias parentes liberos, præceptores diſcipulos vituperare, nec vituperium liberorum & diſcipulorum illicitum dici poſſe. Quid enim juris ſit parentibus in liberos, quid præceptoribus in diſcipulos, ſuo docebimus loco. Vituperium quando licitum parentibus ac præceptoribus pœnæ rationem habet: ubi autem amica informatione deducuntur in cognitionem ſui, dum defectus perfectionis, ad quam tendere debent, repræſentantur, docere alterum defectus perfectionis ſuos, ut ad eos tollendos contendat, vituperium non eſt.

§. 849.

§. 849.

An vituperantem nos vituperare liceat.

Qui te vituperat, eum viciſſim ideo vituperare non licet. Qui enim te vituperat, obligationi naturali non ſatiſfacit (§. 848. *Jur. Nat.* & §. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero quia alter obligationi ſuæ non ſatiſfacit, non ideo tibi permiſſum eſt eidem non ſatiſfacere (§. 631.). Qui ergo te vituperat, eum ideo viciſſim vituperare non licet.

§. 850.

An lege naturali prohibita faciendi jus eſſe poſſit.

Quæ lege naturali prohibentur, ea faciendi tibi jus nullum eſt. Quæ enim lege naturali prohibentur, ad ea non facienda obligaris (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hæcque obligatio prorſus immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Moraliter igitur neceſſe eſt, ne id facias (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), neque moraliter poſſibile fieri poteſt, ut hoc facias (§. 291. *Ontol.*), conſequenter facultas moralis agendi, quod lege naturali prohibetur, tibi competere nequit. Quoniam itaque hæc facultas jus eſt (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ea faciendi, quæ lege naturali prohibentur, jus tibi nullum eſſe poteſt.

Dantur privilegia, quibus uni confertur jus faciendi ea, quæ alii prohibentur facere. Enimvero iſtiuſmodi privilegia non fert jus naturæ, ob obligationis naturalis immutabilitatem. Nemo igitur ſibi licere exiſtimet, quod prohibitur omnibus.

§. 851.

Lege naturali prohibita nullo jure fiunt.

Quoniam tibi jus nullum eſt faciendi ea, quæ lege naturali prohibentur (§. 850.); *ſi quod lege naturali prohibitum facis, id ipſum jure non facis, ſeu nullo jure facis.*

Patebit deinceps, cur opus ſit noſſe, quænam jure non fiant.

§. 852.

Jus contemnendi, vituperandi, ignominia afficiendi, conviciandi &c. nullum.

Nullum nobis jus eſt alterum contemnendi, vituperandi, ignominia afficiendi, conviciis laceſſendi, calumniandi, contumeliis onerandi. Nemo enim contemnendus (§. 790.), nequidem contemtor tuus (§. 793.). Nemo vituperandus (§. 848.), nequidem qui te vituperat (§. 849.). Nemo ignominia afficiendus (§. 829.), nequidem qui prior tibi ignominiam fecit (§. 837.). Nemo in alios contumelias edere (§. 832.), nemo alium conviciis proſcindere (§. 833.), nemo alterum calumniari debet (§. 836.), nequidem qui prior in te contumelias edidit, vel conviciis te proſcindit, vel te calumniatur (§. 838.). Quoniam itaque quæ lege naturali prohibentur, ea faciendi jus nobis nullum eſt (§. 850.), nullum quoque nobis jus eſt alterum contemnendi, vituperandi, ignominia afficiendi, conviciis laceſſendi, calumniandi, contumeliis onerandi.

Qui fingunt jus ſibi eſſe alterum contemnendi, vituperandi, ignominia afficiendi, conviciis laceſſendi, calumniandi, contumeliis onerandi, tales afferre coguntur rationes, quæ jus nullum probant: id quod etiam experientia probat, ubi quidam rationes allegant, cur hoc ipſis facere liceat. Ex. gr. contemnis alterum. Ego te reprehendo, quod facias. Tibi hoc facere licere regeris, vel quod te contemnat, vel quod dignus ſit, qui contemnatur. Priorem rationem eſſe nullam oſtendimus ſupra (§. 793.): poſterior non ſufficit ad probandum jus tuum. Quod enim alter mereatur, ut hoc ipſi fiat, id tibi nondum confert jus hoc faciendi. Meretur latro, ut e vivorum numero tollatur: non tamen ideo tibi jus eſt eum occidendi. Fac igi-

tur alterum mereri contemtum; non tamen ideo tibi jus eſt eum contemnendi. Si quod enim jus quoddam tibi arrogas, neceſſe eſt ut probes tibi jus iſtud competere.

§. 853.

An quis jure contemni, vituperari, ignominia & contumeliis affici & calumniis onerari queat.

Si quis alium contemnit, vituperat, ignominia afficit, conviciatur, calumniatur vel contumelias in eum edit; id jure non fit. Lege enim naturali prohibitum, ne alterum contemnas (§. 790.), etiam ſi te contemnat (§. 793.); ne vituperes (§. 848.), etiam ſi te vituperet (§. 845.); ne ignominia afficias (§. 829.), etiam ſi te prior affecerit (§. 837.); ne convicieris (§. 833.), ne calumnieris (§. 836.), ne contumelias in eum edas (§. 832.), etiamſi prior te conviciatus vel calumniatus fuerit, aut contumelias in te ediderit (§. 838.). Enimvero quæ lege naturali prohibita ſunt, jure non fiunt (§. 751.). Quare ſi quis alterum contemnit, vituperat, ignominia afficit, conviciatur, calumniatur vel contumelias in eum edit; id jure non fit.

Nimirum ut horum quicquam facias, jus nullum tibi eſt (§. 852.). Quamobrem nec fieri poteſt, ut facias horum quicquam jure.

§. 854.

Siniſtrum de aliorum actionibus judicium quatenus libertati naturali repugnat.

Siniſtrum de aliorum actionibus judicium verbis aut factis declarare, quam diu nihil fit contra jus tuum, libertati naturali repugnat. Etenim qui ſiniſtre judicat de aliorum actionibus, quæ fecerunt alii, ea minus recte ab altero facta eſſe contendit (§. 774. *Pſych. empir.*). Quodſi hoc judicium penes ſe premit, nec alteri, de quo judicat, nec aliis idem innoteſcit, adeoque ubi de jure externo quæſtio eſt, nulla ejus habetur ratio, cum perinde ſit, acſi ab eodem abſtinuiſſet. Enimvero ſi judicium iſtud verbis aut factis declarat, jus ſibi arrogat exigendi ab altero rationem, cur hoc fecerit, nec alterius conſcientiæ relinquit, utrum actionem aliquam committere, an omittere velit (§. 417. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque libertati, quæ unicuique hominum natura competit (§. 146.), conveniens eſt ejus conſcientiæ relinqui, utrum actionem quandam committere, an omittere velit (§. 157.), nec ea fert jus exigendi ab altero rationem, cur hoc fecerit, quamdiu nihil contra jus tuum facit (§. 158.), quod vi libertatis ipſi permiſſum non eſt (§. 160.), ſiniſtrum de aliorum actionibus judicium verbis aut factis declarare, quamdiu nihil fit contra jus tuum, libertati naturali repugnat.

Etſi ad hanc propoſitionem animum parum attendant, qui de jure hominum agunt; hoc tamen non obſtante non invita experientia inter notiones communes referenda, quam libertatis natura homini competentis conſcientia unicuique ſuggerit. Quando enim tibi judicium ſumis de alterius actione & male factum vel minus recte pronuncias, quod facit alter; nonne tibi ſtatim reſpondet: quid ad te? Facio, quod lubet. Non teneor tibi rationem reddere, cur faciam. Quis te conſtituit judicem meum? Tuum non eſt mihi imperare. Ita loquuntur omnes, ut ſiniſtra aliorum de ſe judicia amoliantur, nullo attento diſcrimine, utrum vera ſint, necne. Regerunt ea, quæ dixi, etiam ubi malefacta ipſis objicis, quæ negare non audent. Ne vero exiſtimes, communem hunc eſſe errorem; jus, quo ſe tuentur, minime confictum eſſe oſtendendum erat.

§. 855.

Jus exigendi, ne alter ſiniſtre de nobis judicet.

Quoniam ſiniſtrum de aliorum actionibus judicium quocunque modo manifeſtatum libertati naturali repugnat, quamdiu nihil contra jus tuum alii faciunt (§. 854.). *Libertas naturalis involvit jus exigendi, ne ſiniſtre de te alter judicet, ſive verum ſit judicium ſuum, ſive minus*, conſequenter cum ex factis colligantur imperfectiones & defectus perfectionis, *ne alter tibi tribuat imperfectiones aut defectus perfectionis judicio manifeſto.*

Qua-

Digitized by Google

Quale jus ſit libertas, diſtincte ſatis expoſuimus in ſuperioribus. Qui notionem ejus diſtinctam animo comprehendit, facile intelliget, quod libertas naturalis cuilibet tribuat jus exigendi ab altero, ne ſiniſtre de ſe judicet, ſive verbo, ſive actibus quibuſcunque externis hoc judicium prodat, & ſive judicium ipſum fuerit verum, ſive falſum. Quod ſi vero contra jus alterius eſt judicium verum, multo magis contra idem eſt judicium falſum, quo aperte læditur, ut alia adhuc ſubſit ratio, cur ab eo abſtinendum (§ 695.). Ceterum cum ex factis nonniſi colligantur imperfectiones ac defectus perfectionum, quæ alterius animæ inhærent; qui facta, quæ eadem redarguunt, objicit, imperfectiones aut defectum perfectionum alteri tribuit, & qui imperfectionis aut defectus perfectionis alterum accuſat, hoc ipſo etiam facta inde pendentia eidem tribuere debet.

§. 856.

Libertas naturalis violata per contemtum, vituperium, convicia, calumnias, contumelias & ignominiam.

Qui alterum contemnit, vituperat, conviciatur, calumniatur, ignominia afficit aut contumelias in eum edit; contra libertatem naturalem alterius facit, ſeu eandem violat. Qui enim alterum contemnit, virtutes intellectuales & morales ei eſſe negat, vel eaſdem in multis deficere contendit, aut eas honorem ac laudem non parere defendit (§. 788.); qui alterum vituperat, verbis defectus perfectionis eidem imputat (§. 813.); qui conviciatur, ei imperfectiones verbis exprobrat (§. 815.); qui calumniatur, imperfectiones alteri imputat, quibus minime laborat (§. 814.); qui ignominia afficit, ſuum de alterius imperfectione judicium verbis declarat (§. 811.); qui denique in alterum contumelias edit, eum ignominia dignum actibus externis declarat (§. 812.). Omnes itaque ſiniſtrum de altero judicium vel verbis, vel factis produnt, etiam ſi alter nihil fecit contra jus ipſorum (§. 774. *Pſych. empir.*). Enimvero ſiniſtrum de alterius actione judicium verbis aut factis declarare, quamdiu nihil fit contra jus tuum, libertati naturali repugnat (§. 854.), conſequenter qui hoc facit contra libertatem naturalem alterius facit, ſeu eandem violat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui adeo alterum contemnit, vituperat, conviciatur, calumniatur, ignominia afficit, aut contumelias in eum edit, contra libertatem naturalem alterius hoc facit, ſeu eandem violat.

Propoſitio hæc probe notanda venit, non modo quod aliis demonſtrandis, quæ ſequuntur, inſerviat; verum etiam quia hinc potiſſimum perſpicitur ratio, cur turpitudo quædam naturalis inhæreat ſiniſtro de aliis judicio, etiamſi verum fuerit, ac inde redundet in actiones quaſcunque externas, quæ idem produnt, ſeu quomodocunque ab eodem dependent. Libertas, quam natura homini tribuit, jus quoddam eminens eſt, ob quam homo ingenuus nullam recipit æſtimationem, ejuſve adeo vita ſemper inæſtimabilis habita. Et natura ipſa adeo commendavit hoc jus hominibus, ut nihil ipſis intolerabilius videatur juris hujus violatione: ſit ita quod per abuſum in licentiam vertatur, quod ipſum tamen idem non imminuit. Abuſus enim, qui juri imputandus minime venit, nihil ipſi detrahit. Ac inde eſt, quod tam ægre ferant homines ſiniſtra aliorum de ſe judicia, ſi vel maxime eadem mereantur. Senſus violatæ libertatis notioni confuſæ contemtus, ignominiæ, vituperii, conviciorum, contumeliarum, calumniarum ſemper adhæret: id quod manifeſto produnt, ubi rationes querelarum juſtarum recenſent, vel etiam contra ſiniſtra aliorum de ſe judicia defendunt, quemadmodum jam paulo ante monuimus (*not.* §. 854.).

§. 857.

Contemtus, vituperium, ignominia, convicia, contumeliæ, calumniæ contra jus alterius num fiant.

Contemtus, vituperium, ignominia, convicia, contumeliæ, calumniæ fiunt contra jus perfectum alterius. Qui enim alterum contemnit, vituperat, ignominia afficit, conviciis proſcindit, calumniis onerat vel contumelias in alterum edit, contra libertatem alterius naturalem facit (§. 856). Enimvero libertas naturalis involvit jus exigendi, ne ſiniſtre de te judicet alter, ſive verum ſit judicium, ſive minus, & ne tibi tribuat imperfectiones aut defectus perfectionis judicio manifeſto (§. 855.), conſequenter etiam reſpectu judiciorum ſiniſtrorum de te jus perfectum eſt (§. 235. *part. 1 Phil. pract. univ.*). Quamobrem contemtus, vituperium, ignominia, convicia, contumeliæ, calumniæ fiunt contra jus perfectum alterius.

Liber-

Libertatem eſſe jus perfectum in dubium revocari nequit. Quodſi tamen quis dubitet, in ejus gratiam ſequentem adjicere lubet propoſitionem.

§. 858.

Libertas naturalis quale ſit jus.

Libertas naturalis eſt jus perfectum. Conſiſtit enim in independentia in agendo a voluntate alterius (§. 153.), adeoque alter obligatur permittere, ut agas, quid velis, quamdiu nihil facis contra jus ipſius (§. 157. 158.). Quodſi ergo te præter voluntatem tuam in agendo dependentem efficere velit a voluntate ſua, hoc ipſum tibi ferendum non eſt, cum alias libertas nulla foret, ſeu jus hoc omni deſtitueretur effectu. Tibi igitur permiſſum eſt alterum cogere, ne hoc faciat. Enimvero jus perfectum eſt, quod conjunctum eſt cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere nolit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Libertas igitur naturalis jus perfectum eſt.

Jus imperfectum qualitas tantummodo moralis eſt, quæ hominem dignum efficit, ut ab altero quid ipſi præſtetur (*not.* §. 237. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo libertas foret tantummodo jus imperfectum, non poſſet conſiſtere niſi in eo, quod dignus videatur, qui in agendo ſuum potius, quam alterius ſequatur judicium, & ut alter permittat, quo agat quod lubet. Enimvero quam ſit hoc abſonum facile intelligitur ex iis, quæ de libertate naturali in ſuperioribus demonſtrata ſunt. Quodſi admittere velis libertatem tantummodo jus imperfectum eſſe in actiones ſuas; jus hoc revera nullum eſt, cum quilibet actiones tuas voluntati ſuæ ſubjicere poſſit pro arbitrio ſuo, modo poſſit, adeoque vim pati debes a quovis potentiore. Non aliud jus ſi tibi tribueret natura in actiones tuas, ſervituti cujuslibet potentioris te ſubjiceret, ut unusquiſque natura foret ſervus potentioris. Quæ hinc porro ſequerentur abſurda, noſtrum in præſenti non eſt recenſere.

§. 859.

Injuria in genere quid ſit.

Injuria generaliter eſt actio quæcunque, quæ eſt contra jus perfectum alterius, ſeu quicquid fit contra jus perfectum alterius. Poteſt etiam dici violatio juris perfecti alterius. Vernaculo ſermone vocamus Unrecht.

Ulpianus l. 1. ff. de inj. & famoſ. lib. injuriam generaliter definit, quod non jure fit. Non jure autem fieri hic dicitur, quod juri alterius adverſatur, ſeu quod contra jus alterius fit. Quando autem jus ſimpliciter dicitur, jus perfectum intelligitur (§. 235. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*), neque aliter vocabulum juris accipitur, quando in jure Romano ſeu civili quocunque occurrit. Quamobrem definitio *Ulpiani* eodem redit, quod injuria in genere ſit, quicquid contra jus perfectum alterius fit, atque adeo cum noſtra prorſus conſentit. Generali hoc ſignificatu furtum eſt injuria, quia violatur dominium, adeoque jus perfectum alterius: adulterium eſt injuria, quia violatur jus conjugis innocentis in corpus alterius conjugis, mariti in corpus uxoris: homicidium eſt injuria, quia violatur jus alterius in corpus ſuum, jus nempe organis corporis utendi, quod prorſus tollitur. Significatus hic generalis in jure etiam Naturæ receptus eſt. Hoc ſane ſenſu *Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 1. num. 4.* cauſa juſta, inquit, belli ſuſcipiendi nulla alia eſſe poteſt niſi injuria. Neque alio ſenſu accipiendum vocabulum, quando *Livius lib. 31. c. 2.* ſcribit: Petebant, ut, ſi coacti *injuriis* bellum adverſus Philippum ſuſcepiſſent, priſtinum animum erga populum Romanum conſervaret. Ceterum etſi juxta *Ulpianum* non jure fieri & contra jus alterius fieri unum idemque ſit; ſi tamen accurate loqui volueris, nec vim inferre notionibus diſtinctis, ea a ſe invicem diſtinguenda ſunt. Ratio colligitur ex iis, quæ paulo ante demonſtrata ſunt (§. 851.). Nimirum jure non fit, quando quis facit, quod faciendi jus ipſi nullum eſt: contra jus vero alterius fit, quando idem vel tollitur, vel diminuitur, vel uſus ſeu exercitium ejus quomodocunque impeditur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Hæc eſſe diverſa, nemo diffitebitur. Et quia de utroque ſermo eſt in jure naturali, ad evitandam æquivocationem fixum utrique phraſi ſignificatum tribui fas eſt.

§. 860.

An contemtus, ignominia, vitupe-

Contemtus, ignominia, vituperium, contumelia, convicium, calumniæ ſunt injuriæ. Fiunt enim contra jus perfectum alterius (§. 857.). Sed quicquid fit contra

Digitized by Google

tra jus alterius perſectum, injuria eſt (§. 859.). Contemtus itaque, ignominia, vituperium, contumelia, convicium, calumniæ ſunt injuriæ.

rium, contumelia, convicium, calumniæ ſint injuriæ.

Forſan non deerunt, qui, cum ſint in Jure civili verſati, mirabuntur contemtum, ignominiam, vituperium, contumeliam, calumnias injurias dici ſenſu generali, cum ibidem ſignificatu ſpeciali dicantur injuriæ; qui generali opponitur *l. 1. ff. de injur. & famoſ. libell.* Enimvero nobis jam quæſtio eſt de eo, quid ſint, non de eo, quid dicantur. Poſterius arbitrarium eſt, neque denominationi ineſſe debet veritas: at prius arbitrarium non eſt, ſed veritatem habet. Sane in Jure civili contemtus & contumelia non diſtinguuntur a ſe invicem, nec ab ignominia. Hoc tamen non obſtante conſultum fuit, hæc a ſe invicem diſtingui, quemadmodum patet ex anterioribus. In philoſophia ubi differentias rerum ſerutamur, non ex vocabulis, ſed ex ipſis rebus ſapere debemus. Tot admittendæ ſunt res diverſæ, quot deprehenduntur differentiæ, & ex his ſignificatus vocabulorum fixus determinandus, ne præjudicium fiat veritati. Hic vero cognita inconſtans uſus loquendi explicandus eidem convenienter, ut illibata fiat veritas. JCti Romani non perpenderunt, quod quæ adverſantur exiſtimationi alterius fiant contra jus perfectum alterius, quatenus ſcilicet repugnant libertati naturali.

§. 861.

Qui alterum conviciatur, verbis declarat, quod eum vilipendat, vel nihili faciat. Qui enim alterum conviciatur, verbis quibuscunque prodit animum alterum ignominia afficiendi (§. 815.). Enimvero qui alterum ignominia afficit, actionibus externis declarat, quod eum vilipendat, vel nihili faciat (§. 845.). Ergo qui alterum conviciatur verbis declarat, quod eum nihili faciat, vel vilipendat.

Intentio conviciatoris.

Ecce tibi intentionem conviciatoris, cur ſcilicet alterum conviciis inceſſat.

§. 862.

Infamia eſt communis hominum de vitiis alterius opinio, quam ſupra famam malam diximus (§. 553.).

Infamia quid ſit.

Opponitur infamia famæ in ſignificatu bono acceptæ. Vulgo conſideratur tanquam privatio famæ. Enimvero cum vitia, quæ ſola infamant, non in nuda privatione virtutis conſiſtant, verum habitus poſitivi ſint, unde actus poſitivi proveniunt: infamia non in ſola privatione famæ conſiſtit, quamvis eam involvat, quatenus vitium virtutem excludit, ſeu ejus defectum includit. Ceterum hic nobis de infamia tantummodo ſermo eſt, quatenus eidem in ſtatu naturali locus. Unde jam ſeponimus ea, quæ e ſtatu civili veniunt, & de quibus dicemus ſuo loco. In ſtatu enim civili plurimum tribuitur & tribuendum eſt opinionibus, ut malitia hominum coerceatur tranquillitatis conſervandæ gratia.

§. 863.

Homo quilibet ab infamia ſibi cavere debet. Cavere enim ſibi debet, ne fama ipſius ſit mala (§. 555.). Quamobrem cum fama mala infamia ſit (§. 862.); quilibet ſibi ab infamia cavere debet.

Infamia vitanda.

Nimirum cavet ſibi ab infamia, qui operam dat, ne eam mereatur, adeoque ne quid faciat, quod ad vitium referri poſſit. Quodſi enim homines per calumniam ipſi tribuant male facta; id inter fortunæ mala referendum. Et quid ipſi contra facere liceat, oſtendetur inferius.

§. 864.

Qui infamiam ſibi contraxit, operam dare tenetur, ut vitia emendet. Qui enim infamiam ſibi contraxit, bonæ famæ adverſa fecit, ſeu actiones vitioſas commiſit (§. 862.)

Quid facere debeat infamiam purgaturus.

(§. 862.). Enimvero qui bonæ famæ adverſa fecit operam dare debet, ut factis contrariis eidem ſerviat (§. 558.), conſequenter ut vitia emendet. Quamobrem qui infamiam ſibi contraxit, operam dare tenetur, ut vitia emendet.

Factum infectum fieri nequit: Quodſi ergo ſcortatus fueris, fieri haud quaquam poteſt, ut idem non feceris. Infamia igitur macula eſt, quæ ita inhæret, ut tolli non poſſit. Quamobrem nihil relictum eſt, quam ut operam det, qui infamiam ſibi contraxit, ut ea faciat, quæ virtutis ſunt. Ita enim meretur, ut poſthac bene de eo ſentiant homines, & famam conſequitur, ſi recte judicent alii quoad ſtatum præſentem. Quamobrem ubi ſcortationis maculam adſperſiſti nomini tuo; neceſſe eſt, ut ab eadem poſthac abſtineas & caſte vivas, ne te nunc ſcortatorem eſſe judicent ac dicant alii, etſi fieri non poſſit ne judicent, te antehac talem fuiſſe: verum enim in æternum manet, quod hoc feceris, nec falſum fieri poteſt. Probe hæc perpendenda ſunt, ut intelligatur cur ſumma præcipiatur famam ſervandi cura. Et quando vita & fama pari paſſu ambulare dicuntur; ſi veritas dictis inesse debet, aliter intelligi hoc nequit, quam quod fama amiſſa reſtitui non poſſit, quemadmodum vita, quam ſemel amiſiſti, reddi tibi nequit. Quæ vero paulo ante annotavimus (*not.* §. 862.), nos hic tantummodo ad veritatem, non vero opinionem hominum, quæ in ſtatu civili regnat, attendere, hic quoque repetenda ſunt, ne in Jure civili verſati & ejus notionibus imbuti ſibi perſuadeant, hic tradi a nobis, quæ veritati minime conſentanea ſunt. Abſit autem ut quis opinetur, quaſi ea, quæ hic docentur, juri poſitivo repugnent, nec ullam in eo utilitatem habeant. Diſtinguit ſane jus etiam poſitivum infamiam veram a putativa, v. gr. quando dicitur, delictum infamare, non pœnam.

§. 865.

Obligatio præcavendi infamiam alienam. *Quilibet operam dare debet, quantum in ſe eſt, ne alii infamiam ſibi arceſſant.* Sibi enim ab infamia cavere debet (§. 863.). Quoniam itaque alteri cuicunque homini debet quilibet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſe ipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608.); quilibet etiam operam dare debet, quantum in ſe eſt, ne alii infamiam ſibi arceſſant.

Famæ aliorum non minus rationem haberi, quam propriæ jubet charitas (§. 620.). Quemadmodum itaque tibi cavere debes ab infamia; ita etiam infamiam aliorum præcavere debes, quantum in poteſtate tua eſt.

§. 866.

Infamiam alteri num adſpergere liceat. *Nemo alteri infamiam adſpergere debet.* Quilibet enim operam dare debet, quantum in ſe eſt, ne alii infamiam ſibi arceſſant (§. 865.). Sed qui ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum ſimul obligatur (§. 722.). Nemo igitur alteri infamiam adſpergere debet.

Quodſi tibi liceret infamiam alteri adſpergere; multo minus te tangeret cura, ne alter ſibimetipſi infamiam conciliet. Quamobrem cum hoc abjicere charitati adverſetur (*not.* §. 865.); multo magis eidem adverſatur alteri infamiam adſpergere.

§. 867.

Læſio famæ, exiſtimationis, honoris. *Famam alterius lædere* dicitur, qui alteri infamiam adſpergere conatur. Quodſi gravius lædat, eandem *lacerare* dicitur. Eodem ſenſu *Honorem & exiſtimationem* alterius *lædere* dicitur, qui alteri ignominiam vel contemtum facere conatur.

Nimirum ſi bene de re ſentiant in communi alii, bona frueris fama. Enimvero ſi quis omni molimine id agit, ut male ſentiant, non modo id agit, ut bonam famam deperdas, verum etiam ut malam habeas. Famam adeo tuam lædere conatur.

§. 868.

Digitized by Google

§. 868.

Fama alterius non lædenda. Nemo enim alteri infamiam adſpergere debet (§. 866.). Quamobrem cum alterius famam lædat, qui hoc facere conatur (§. 867.); fama alterius lædenda non eſt.

Fama alterius non lædenda.

§. 869.

Honorem & exiſtimationem alterius nemo lædere debet. Etenim nemo alterum ignominia afficere debet (§. 829.), nemo etiam alterum contemnere debet (§. 790.). Quoniam itaque honorem & exiſtimationem alterius lædit, qui alteri ignominiam vel contemtum facere conatur (§. 867.); nemo alterius honorem & exiſtimationem lædere debet.

Læſio honoris & exiſtimationis alterius prohibita.

Quoniam exiſtimatio, honor & fama bona ſunt, quæ ad ſtatum hominis externum ſpectant, in numerum eorum quæ ſua ſunt, vulgo referuntur. Quamobrem qui honorem, exiſtimationem ac famam lædit, ſuum alteri auferre cenſetur. Inde eſt quod qui hoc facit, in vernaculo ſermone furi comparetur & ein Ehren-Dieb vocetur, dicaturque honorem rapuiſſe, er habe ihn ſeiner Ehre beraubet. Non habet dictio, quod ſit a veritate alienum, ubi calumniator vel conviciator effecit, ut alii fidem habentes calumniis atque conviciis ſiniſtre de altero judicent, qui benignum antea de eodem tulerant judicium. Cum enim in hoc judicio conſiſtat exiſtimatio, quæ honorem comitem habet (§. 538.); qui facit, ut alii non amplius benigne de te judicent, ſed ſiniſtre, tibi utique rapit exiſtimationem, honorem atque famam, quamvis meritum auferri nemini poſſit. Qui adeo contendunt, honorem atque famam nemini auferri poſſe; meritum exiſtimationis intelligunt per inconſtantiam loquendi. Ecquis enim eſt, qui neſciat pervulgatum iſtud: alii famam merentur, alii habent?

§. 870.

Famæ alterius detrahere dicitur, qui eam diminuere conatur. Eodem ſenſu *detrahere laudi & exiſtimationi ac honori alterius* dicimur.

Detrahere famæ alterius quid ſit.

E. gr. Ponamus te frui fama Mathematici periti, alterum vero obtrectationibus ſuis id efficere conari, ut non multum tribuatur ſcientiæ tuæ, is famæ ac laudi tuæ detrahere dicendus. Similiter ſi caſtitatis laude fruaris, alter vero de te narret, quæ laſciviam produnt; laudi tuæ detrahere dicitur. Quodſi magnifias ob juſtitiam & alter divulgat facta, quæ te injuſtum probant, etſi nec cetera, quæ juſtitiæ laudem merentur, negare auſit, is exiſtimationi tuæ ac laudi detrahit.

§. 871.

Nemo famæ ac laudi alterius detrahere debet. Operam dare debemus, ut, qui merentur, famam conſequantur (§. 650.). Quoniam itaque qui ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum ſimul obligatur (§. 722.); nemo quoque famam alterius ullo modo diminuere, vel ea facere debet, quæ eidem quomodocunque adverſantur, conſequenter eam diminuere poſſunt. Enimvero famæ alterius detrahit, qui eam diminuere conatur (§. 870.). Nemo igitur famæ alterius detrahere debet, quam meretur. Atat nec ea propalare debemus, quæ alteri ignominiæ ſunt (§. 828.), conſequenter quæ famam ipſius diminuunt (§. 553. 811.). Quamobrem nec famæ alterius detrahere debemus, ſi eam minime meretur. Quoniam itaque famæ alterius non detrahere debemus, ſi eam mereatur, neque ſi eam non mereatur *per demonſtrata;* nemo famæ alterius detrahere unquam debet. *Quod erat unum.*

Detrahere famæ ac laudi alterius illicitum.

Similiter qui alterum laudat perfectionem eidem tribuit (§. 541.); qui vero vituperat, perfectionis defectum eidem imputat (§. 813.). Patet adeo eum, qui alterum vituperat, laudem ejus diminuere conari. Enimvero qui alterius laudem diminuere conatur, eidem detrahit (§. 870.). Quamobrem qui alterum vituperat, laudi ejus detrahit. Quoniam itaque alterum vituperare non debemus (§. 848.); nec laudi ejus detrahere debemus. *Quod erat alterum.*

Quemadmodum paulo ante oſtendimus contemtum, vituperium, ignominiam, convicia, contumelias, calumnias fieri contra jus perfectum alterius (§. 857.) & alterum ignominia afficere ac ea propalare, quæ ipſi ignominiæ ſunt, charitati repugnare (§. 830.); ita eodem prorſus modo demonſtrari poterat, alterius famæ ac laudi detrahere non minus adverſum charitati eſſe, quam contra jus perfectum alterius. Immo oſtendi etiam poterat, quod famæ ac laudi alterius detrahere ſit inimicitiæ cauſa; conſequenter repugnet obligationi naturali nullius inimicitiam nobis conciliandi (§. 634.). Quando in moralibus inquiremus, quænam ſit ratio, cur alii aliorum famæ ac laudibus detrahant, liquido conſtabit, id tribuendum eſſe vel pravis, quibus indulget obtrectator, affectibus, vel vitiis, quibus deditus eſt, minime autem ex charitate tanquam fonte promanare famæ ac laudis alienæ obtrectationem.

§. 872.

An obtrectatoris famæ ac laudi detrahere & famam lædentis noſtram lædere liceat.

Nemo alterius famæ ac laudi detrahere debet, etiam ſi alter prior ipſius famæ ac laudi detrahat, nec lædere debet famam alterius, quia alter prior læſit. Nemo enim alterius famæ ac laudi detrahere debet (§. 871.), neque etiam famam alterius lædere (§. 868.). Quodſi ergo alter horum quid facit, obligationi ſuæ naturali minime ſatisfacit (§. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quia alter non ſatisfacit obligationi ſuæ naturali, non ideo tibi permiſſum eſt eidem non ſatisfacere (§. 631.). Quamobrem nemo alterius famæ ac laudi detrahere debet, etiamſi alter prior ipſius famæ ac laudi detrahat, nec lædere debet famam alterius, quia alter prior læſit.

Etſi vi principii generalis, ad quod hic provocamus, ſatis manifeſta ſit propoſitionis præſentis veritas (§. 631.); non tamen ideo eadem ſilentio prætereunda erat, propterea quod homines ſibi perſuadeant licere ſibi in alterum, quod ipſis fecit alter.

§. 873.

An exiſtimationem lædentis noſtram lædere liceat.

Nemo honorem atque exiſtimationem alterius lædere debet, etiamſi alter prior hoc fecerit. Quoniam nemo honorem & exiſtimationem alterius lædere debet (§. 869.); eodem prorſus modo porro oſtenditur, quod nec lædere debeat, ſi alter prior hoc fecerit, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

§. 874.

Injuria ſpecialiter dicta quid ſit.

Injuria ſpecialiter dicitur læſio exiſtimationis ſeu honoris & famæ alterius quomodocunque facta.

Ita vocabulum accipitur in Jure Romano *l. 1. ff. de injuriis & lib. famoſ.* Quando enim *Ulpianus*: ſpecialiter, inquit, injuria dicitur contumelia; per contumeliam non intelligit niſi verba & facta, quibus læditur exiſtimatio & fama alterius, quemadmodum eadem lege patet. Quoniam tamen nos in ſuperioribus vocabulo contumeliæ reſtrictiorem ſignificatum impoſuimus (§. 812.); injuriam ſpecialiter dictam & contumeliam pro ſynonimis habere minime poſſumus. Non tamen hoc fecimus ſine ratione, nec invito uſu loquendi apud Romanos recepto (*not. §. cit.*).

§. 875.

Injuria verbalis & realis differentia.

Quodſi quis verbis lædat exiſtimationem ſeu honorem & famam alterius, *verbaliter* eum *injuriare* dicitur; ſi facto quodam, *realiter*. Unde *Injuria realis* eſt, quæ fit facto quodam; *verbalis*, quæ fit verbis.

Labeo l. 1. ff. de injur. & famoſ. lib. injuriam dicit fieri vel re, vel verbis: re, quando manus inferuntur; verbis autem, quotiens manus non inferuntur. Atque hinc enata eſt diviſio injuriæ in realem & verbalem. Circa hanc diſtinctionem varia moneri poterant, ſi ad mentem *Labeonis* reſpicias, ſed cum hic injurias conſideret, quatenus in civitate tanquam delicta puniri merentur; in alium locum referenda ſunt. Exempla injuriarum in medium afferuntur in *Inſtitut. tit. eod* §. 1. Injuria ſcilicet realis eſt, ſi quis pugno pulſatur, vel verberatur, aut fuſtibus cæditur: ubi inter pulſationem & verberationem hæc interredit differentia, quod illa fit ſine dolore, hæc cum dolore *l. 5. ff. de injur. & fam. lib.* Talis etiam eſt, ſi quis alterius bona ut debitoris poſſidet & *l. cit.* ſi domum alterius vi intrat, ubi per domum omnis habitatio intelligitur omniſque fundus. Injuriæ verbales ſunt, ſi quis te vocet latronem, nebulonem, ſcurram, ſpurium, calumniatorem, vel alia proferat verba moribus injurioſa, veluti ſi in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum vocet vernacula einen Pfaffen.

§. 876.

Libellus famoſus quid ſit.

Ad injurias verbales referri etiam vulgo ſolet tanquam peculiaris ſpecies, ſi quis literis vel ſcriptis verbis exiſtimationem alterius aut famam lædit. Ab aliis tamen pro peculiari injuriæ ſpecie habetur. Injuria, quæ alteri literis ſive in ſcripturam relatis verbis infertur, & qua fama ejus læditur, dicitur *Libellus famoſus*.

Definitio libelli famoſi fluit ex differentia modorum generali, quibus injuria infertur. Etenim infertur vel facto quodam, vel verbis. Si verbis infertur, vel verba ore proferuntur, vel in ſcripturam rediguntur. Quando itaque in ſcripturam rediguntur, quæ famam alterius lædunt, libellus famoſus eſt. Enimvero quoniam in civitate, ubi injuriæ conſiderantur tanquam delicta punienda, in diſtinguendis injuriis habenda eſt ratio pœnarum; notioni libelli famoſi accedunt determinationes nonnullæ, quæ ex ſtatu civili veniunt, & juris poſitivi ſunt. Quamobrem cum hic libellum famoſum non ſpectemus, niſi quatenus ei in ſtatu naturali locus eſt; quæ a ſtatu civili veniunt, adeoque multo magis, quæ juris tantummodo civilis apud nos recepti ſunt, in alium locum rejiciendа. Hæc monenda ſunt, ne videamur tradere, quæ a Jure communi aliena ſunt, ac tyrones ejuſdem confundunt, adeoque magis obeſſe, quam prodeſſe videntur. Quemadmodum quæ in ſtatu naturali obtinent cetera non promiſcue applicari poſſunt ad ſtatum civilem, ubi vi imperii, immo etiam quod in civitate nunc receptum eſt, dominii mutationem quandam ſubeunt; ita idem dicendum & de libello famoſo. Quodſi vero intelligere volueris, quomodo jura naturalia & obligationes naturales introductis dominiis & imperiis immutentur; illa utique præcognoſcenda veniunt. Fidem oculatam dabimus in partibus Juris Naturæ ſequentibus, ubi mutationes, quæ juribus & obligationibus in ſtatu naturali vigentibus accidunt, explicaturi ſumus. Cavendum itaque, ne deproperentur judicia, antequam Jus Naturæ integrum, quale daturi ſumus, fuerit expenſum, ne nobis injuriam faciant, ſuum interponendo judicium de iis, quæ de injuriis hic docentur.

§. 877.

Quales injuriæ ſint convicium, vituperium, calumnia & contemtus, contumeliæ aliique actus ignominioſi.

Convicium, vituperium & calumnia injuriæ verbales ſunt; contemtus, contumeliæ & alii actus ad ignominiam compoſiti reales ſunt. Etenim convicia ſunt vocabula, quibus alterum ignominia afficiendi animo eidem imperfectiones (§. 815.); vituperium vero ſermo eſt, quo alteri defectus perfectionis (§. 813.), & calumnia ſermo eſt, quo alteri imperfectiones, quibus eum minime laborare novimus, objicimus (814.). Quamobrem cum exiſtimatio conſiſtat in judicio de alterius perfectione, & honor in actibus externis, quibus idem ſignificatur (§. 538.); fama autem communis hominum aliorum de perfectione alterius,

Digitized by Google

§. 880.

Animum injuriandi habere dicitur, qui alterius exiſtimationem ſeu honorem vel famam lædere intendit. Quamobrem cum id intendat agens, propter quod agit (§. 616. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *qui animum injuriandi habet, hæc ore profert verba, vel ea in ſcripturam refert, hæc facit, ut alterius exiſtimatio ſeu honor, vel fama lædatur.* *Animus injuriandi quid ſit.*

E. gr. Qui pulſat alterum, animo injuriandi hoc facit, ſi ejus exiſtimationem hoc facto lædere intendit.

§. 881.

Animus injuriandi dolus eſt. Qui enim animum injuriandi habet, læſionem exiſtimationis ſeu honoris, vel famæ alterius intendit (§. 880.), adeoque cum injuria vel verbis, vel factis fiat (§. 875.), hæc verba ideo profert, vel hoc facit, ut alterius exiſtimatio ſeu honor, vel fama lædatur (§. 616. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque actio doloſa eſt, quæ a ſciente & volente committitur (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui animum injuriandi habet, doloſe ea loquitur, vel facit, quibus alterius exiſtimatio ſeu honor, vel fama læditur, conſequenter animus injuriandi dolus eſt. *Animus injuriandi quidnam ſit.*

Perinde igitur eſt, ſive dicas animo injuriandi proferri verba, vel committi actiones quaſdam, quibus exiſtimatio, vel fama alterius læditur; ſive id dolo fieri affirmes. Quamobrem cum in ſuperioribus animum ignominia afficiendi alterum requiſivimus in convicio (§. 815.); id dolo fieri debere ſumſimus. Ceterum idem tenendum eſt in quolibet alio actionum genere.

§. 882.

Ne culpa quidem agere licet, quæ legi naturali adverſa, ſeu eadem prohibentur. Etenim culpam quamlibet evitare debemus (§. 299.). Quamobrem ſi lege naturali obligamur ad actionem quandam non committendam; ne culpa quidem eam committere licet (§. 170. *part.* 1. *Phil pract. univ.*). Quoniam itaque ad actiones illas omittendas obligamur, quæ lege naturali prohibentur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ne culpa quidem agere licet, quæ lege naturali prohibentur. *An culpa in actionibus lege naturali prohibitis permiſſa.*

Lex naturæ non modo dolum, verum etiam culpam quamvis arcet, utpote omnimodam ejus requirens rectitudinem (§. 189 *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). In actione adeo humana nullus notari debet defectus, neque ex parte intellectus; neque ex parte voluntatis ſeu noluntatis (§. 79. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum defectus rectitudinis quoad voluntatem & noluntatem dolus (§. 701. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), quoad intellectum culpa ſit (§. 717. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); lex naturæ ab actione humana non minus culpam quamlibet, quam dolum removet. Diverſas culpæ ſpecies recenſuimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis: ad quas ubi animum attendis, haud difficulter perſpicies, quanta ſollicitudine in quolibet actionum genere opus ſit, ſiquidem obligationi naturali ſatisfacere velis. Cur vero in Jure civili non ſemper ratio habeatur culpæ, aut ſaltem non cujuslibet; ſuo docebimus loco.

§. 883.

Ne culpa quidem proferre licet verba, vel committere actiones, quibus exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius lædi poteſt. Lege enim naturali prohibetur, ne famam (§. 868.), vel exiſtimationem ſeu honorem alterius lædamus (§. 869.), conſequenter ne proferamus verba, vel alias committamus actiones quaſcunque, quibus exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius lædi poteſt. Enimvero *An culpa permiſſa in læſione exiſtimationis vel famæ alterius.*

vero quæ lege naturali prohibentur, ea ne culpa quidem agere licet (§. 882.). Quamobrem ne culpa quidem proferre licet verba, vel committere actiones, quibus exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius lædi poteſt.

Rigor adeo legis naturalis non fert; ut injuria etiam committatur culpa (§. 874.), non minus realis, quam verbalis (§. 875.). Juris adeo poſitivi eſt, quod JCti Romani ad injuriam expreſſe requirant dolum. Etenim illi injurias conſiderant tanquam delicta, quæ quia punienda actionem in foro pariunt: unde dolum fundamentum ac baſin actionis injuriarum eſſe affirmant, hoc eſt, rationem ſufficientem, cur tibi ſit jus injurias in foro vindicandi. Quamvis adeo læſionem exiſtimationis ac famæ abſque dolo factam non habeant pro delicto, cujus gratia actionem in foro inſtituere liceat; non tamen exiſtimandum eſt, quaſi JCti Romani ac Juris Doctores cordati læſiones exiſtimationis & famæ culpa admiſſas non improbent, nec inter eas referant actiones, quæ recte non committantur. Neque enim omnia probantur, ob quæ non datur actio in foro, vel quæ in civitate non puniuntur, quemadmodum ſuo patebit loco. Sed demus exemplum læſionis famæ culpa admiſſæ. Ponamus virginem viri honeſti defloratam clam peperiſſe, & infantem in loco quodam remoto alendum traditum fuiſſe: te vero ejus rei conſcium animo commiſerandi narrare hoc alteri, quem ſilentio nihil premere poſſe non ignoras, ex incogitantia & inconſiderantia. Quodſi ergo ab hoc divulgetur, quod alias non innotuiſſet aliis; culpa tua læditur fama virginis & infamia quædam adſpergitur familiæ parentis honeſti. Quin peccaveris, ſi actionem tuam ad legis naturalis normam exigimus, non eſt quod dubitemus. Immo te injuriam feciſſe virgini defloratæ ac parenti ejus quin dicamus, lex naturæ minime repugnat.

§. 884.

Injuriarum verbalium ſpecies. *Præter vituperium, convicium & calumniam non dantur aliæ injuriæ verbales.* Etenim ſi verbalis fuerit injuria, verbis læditur exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius (§. 875.). Quoniam itaque honor ſeu exiſtimatio læditur, ſi quis alteri ignominiam & contemtum facere conatur (§. 867.); fama vero læditur ſi eidem vitia, adeoque imperfectiones imputantur (§. 862. 867.), ſi verbis exiſtimatio ſeu honor alterius læditur, talia proferuntur verba, quibus alteri imputantur vel objiciuntur defectus perfectionis, vel imperfectiones, tales præſertim, quarum ipſe cauſa libera exiſtit (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi alteri objiciuntur defectus perfectionis, vituperatur (§. 813.); ſi imperfectiones, conviciatur (§. 815.), & ſi falſum ſit alterum iiſdem laborare, calumniis oneratur (§. 814.). Patet itaque præter vituperium, convicium & calumniam non dari injurias alias verbales.

Quoniam vituperium injuria levis videtur, quæ contemni meretur, & ob quam nulla datur in foro actio, in conviciis vero non habetur ratio veritatis, adeoque perinde ſit ſive conviciator vera loquatur, ſive falſa; hinc patet ratio cur injuria verbalis a JCtis Romanis omnis convicii nomine indigitetur. Et quoniam libellus famoſus non niſi in eo differt a ceteris injuriis verbalibus; quod verba, quibus alter vituperatur, conviciatur & calumniis oneratur, in ſcripturam redigantur (§. 876.), ſiquidem ſignificatui omnis tribuitur latitudo, quem in Jure Naturæ habere debet; hic loci ut a vituperio, convicio & calumnia diſtinguatur opus non eſt. Quando itaque in demonſtratione præſenti verba quis proferre dicitur; ea ſive ore, ſive ſcripto proferri intelliguntur. Quamobrem non opus erat, ut libelli famoſi expreſſa fieret mentio. Neque etiam hic attenditur, utrum autor nomen ſuum exprimat, an ſupprimat: etſi enim poſterius injuriam aggravet, ſpeciem tamen non variat, quemadmodum homicidium non minus homicidium appellatur, ſi clam fuerit perpetratum, quam ſi palam alter interficiatur. Sit ita quod delictum etiam hoc aggravetur, ſi quis clam occiderit alterum, quam ſi palam hoc fecerit.

§. 885.

Injuriarum realium ſpecies. *Præter contemtum, contumeliam & ignominiam non dantur aliæ injuriæ reales.* Etenim ſi realis fuerit injuria, factis læditur exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius (§. 875.). Quoniam itaque exiſtimatio ſeu honor alterius læditur, ſi quis alteri ignominiam & contemtum facere conatur (§. 867.), fama vero læ-

ditur, ſi eidem vitia, adeoque imperfectiones imputantur (§. 862. 867.; ſi factis exiſtimatio vel honor, aut fama alterius læditur, iſtiuſmodi committis actiones, ex quibus colligitur, quod alteri imputes vel objicias perfectionum defectus ac imperfectiones (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi talia fuerint facta, quibus ſignificatur, alteri imputandos eſſe defectus perfectionis, eum contemnis (§. 787. 538. 541.); ſi vero facta fuerint talia, quibus ſignificatur, eidem imperfectiones eſſe imputandas, eundem ignominia (§. 811.), vel contumelia afficis (§. 812.). Patet itaque præter contemtum, contumeliam & ignominiam non dari alias injurias reales.

Quoniam JCti Romani defectum perfectionis tanquam imperfectionem privativam ab imperfectionibus poſitivis non diſtinxerunt, inter ignominiam & contemtum nullam perſpexerunt differentiam. Et quoniam contumelia ſpecies quædam ignominiæ eſt, nec hanc a contemtu ſepararunt. Unde contumeliam ad omnes injurias reales, immo latiſſimo ſignificatu ad injurias omnes, ſpecialiter ſcilicet dictas, extenderunt. Infamiæ, quæ communis hominum de vitiis alterius opinio eſt (§. 862.), hic nulla expreſſa fit mentio, cum facta, quibus quis infamatur, ad ignominiam referenda ſint. Vides inconſtantiam loquendi, quæ hinc enata eſt, quod rationes, cur alii alios vilipendant vel nihili faciant, non ſatis acute ſcrutati fuerint, nec diſtinxerint, utrum quis alterum ſimpliciter vilipendat vel nihili faciat, an ſimul contendat, mereri alterum, qui vilipendatur vel nihili fiat. Ad haſce differentias animum advertere tenemur in Philoſophia, atque adeo rebus aptanda ſunt vocabula, quantum fert uſus loquendi.

§. 886.

Injuriarum fiant contra jus perfectum alterius.

Omnes injuriæ tam verbales, quam reales ſunt contra jus perfectum injuriati. Etenim contemtus, ignominia, convicia, contumeliæ, calumniæ fiunt contra jus perfectum alterius (§. 857.). Enimvero convicia, vituperium & calumniæ injuriæ verbales ſunt (§. 877.), nec præterea dantur aliæ injuriæ verbales (§. 884.): aſt contemtus, contumelia & ignominioſi actus ceteri reales ſunt (§. 877.), nec præterea dantur injuriæ reales aliæ (§. 885.). Omnes itaque injuriæ tam verbales, quam reales fiunt contra jus perfectum injuriati.

Uſus hujus principii patebit inferius.

§. 887.

An injuriæ ſpecialiter dictæ conveniat nomen in ſignificatu generali.

Quoniam omnes injuriæ tam verbales, quam reales fiunt contra jus perfectum injuriati (§. 887.), quod vero fit contra jus perfectum alterius injuria generaliter dicta eſt (§. 859.); *injuriæ omnes tam verbales, quam reales, hoc eſt, ſpecialiter dictæ* (§. 874. 875.) *ſunt injuriæ in ſignificatu generali.*

Videmus adeo nomen generis retinuiſſe ſpeciem: id quod etiam in culpa obtinet (§. 696. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In vernaculo tamen ſermone æquivocationi huic minime locus eſt; ſed ſpecies peculiare ſibi habet nomen diverſum prorſus a nomine generis. Generis enim nomen eſt Unrecht (§. 859.); ſpeciei vero Beſchimpffung & Schimpffung.

§. 888.

Superbia quid ſit.

Superbus dicitur, qui ſupra alios ſeſe effert, ſeu majoris fieri vult aliis. Unde *Superbia* vitium eſt, quo quis ſeſe effert ſupra alios, vel iiſdem majoris fieri vult.

Hinc eſt quod homines huic vitio dediti veſtibus ſuperbiant, ut meliores videantur aliis & majoris fiant, quam alii. Nimirum quemadmodum ſeipſos aliis præferunt, ita etiam volunt, ut præferantur aliis ab aliis. Ratio autem non una eſt, cur hoc prætendant. Nunc enim ob

vir-

Digitized by Google

virtutem quandam intellectualem, nunc ob moralem, nunc ob bona corporis, nunc ob bona fortunæ, quibus præſtare ſibi videntur, aliis præferri amant. Plurimum vanitati litant ſuperbi, præſertim fœminæ, quarum commune hoc vitium eſt, & quæ plerumque ob corporis ac fortunæ bona ſibi aliis meliores videntur, immo mentiuntur fortunæ bono, ut videantur aliis, quæ non ſunt.

§. 889.

Superbia illicita. *Nemo hominum ſuperbus eſſe debet.* Quilibet enim alterum amare debet tanquam ſeipſum (§. 619.). Enimvero qui alterum tanquam ſeipſum, adeoque ſincere amat, is eundem conſiderat tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych. empir.*). Quilibet adeo alterum tanquam ſeipſum conſiderare debet, conſequenter nemo ſeſe ſupra alios efferre debet. Enimvero qui ſeſe ſupra alios non effert, ſuperbus non eſt (§. 888.). Nemo igitur hominum ſuperbus eſſe debet.

Videmus adeo ſuperbiam lege naturali prohibitam eſſe, adeoque recte in numerum vitiorum referri (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 890.

Comitas quid ſit. *Comem* dicere lubet, qui unicuique honorem exhibet, quem meretur, tantumque tribuit laudis, quantum meretur, conſequenter neminem vilipendit, nec ſeſe ſupra alios effert. Eſt adeo *comitas* virtus, qua alteri honorem, quem meretur, laudemque meritam tribuimus.

Facile patet, comitatem oppoſitam eſſe ſuperbiæ. Superbus enim, cum ſeſe ſupra alios efferat (§. 888.), adeoque alios præ ſe vilipendat, ſaltem melior videri velit aliis; nemini quoque niſi coactus honorem exhibet, quem meretur, tantumque tribuit laudis, quantum meretur.

§. 891.

Comitas præcepta. *Comes eſſe debemus.* Etenim unicuique honorem, quem meretur, exhibere & laudis tantundem tribuere debemus, quantum meretur (§. 648.). Sed qui hoc facit, comis eſt (§. 890.). Comes ergo eſſe debemus.

§. 892.

Adulatio quid ſit. Qui in laudandis & honorandis aliis modum excedit, etſi ratio nulla ſit, cur alter hoc mereatur; *Adulator* dicitur. Unde *Adulatio* eſt vitium, quo alios immeritis laudibus ac honoribus, quos eos non mereri probe novimus, cumulamus.

Non habemus vocabulum, quo habitum, qui proprie vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ab actu adulandi diſtinguimus. Nimirum adulator loquitur & facit, quod placet alteri, quia ipſi placet & ut placeat, quo favorem ejus aucupetur. Unde *Cicero* dixit, nolle ſeſe eſſe laudatorem, ne videatur adulator. Enimvero quibus rationibus permoveantur homines, ut comitatem in adulationem vertant; oſtendemus in Philoſophia morali, ubi & virtutum, & vitiorum characteres ſunt explicandi.

§. 893.

Adulatio lege naturali prohibita. *Nemo alterum adulari debet.* Lex enim naturæ nos non obligat niſi ad honorem alteri exhibendum, quem meretur, & ad tantum laudis tribuendum, quantum meretur (§. 648.). Quamobrem cum ad contrarium non faciendum ſimul

Digitized by Google

ſimul nos obliget (§. 722.); utique prohibet, ne alios immeritis laudibus ac honoribus, quos eos non mereri probe novimus, cumulemus (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui alios immeritis laudibus ac honoribus cumulat, quos eos non mereri probe novit, eos adulatur (§. 892.). Lex igitur naturæ prohibet, ne alios adulemur, conſequenter nemo alterum adulari debet.

Videmus adeo adulationem recte inter vitia referri (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sit ita quod ſuperbi ac incauti eam laudent. Poterat aliis adhuc modis oſtendi intrinſeca adulationis turpitudo tum ex effectu, ſi reſpicias eum, quem alter adulatur, tum ex intentione adulatoris. Enimvero cum de hiſce agendum ſit in Philoſophia morali; ſufficit oſtendiſſe, quod adulatio minime conveniat obligationi naturali, ſed eidem contrarietur. Cur vero peſſimum ſemper habitum fuerit hoc vitium, & quod hominem ingenuum maxime dedeceat, non minus ex iis intelligetur, quæ in Philoſophia morali de hoc vitio tradituri ſumus. Immo veteres poſterius ſatis indigitarunt, dum ad homines tranſtulerunt, quod proprie canum eſt; quippe de canibus proprie dicitur, quod adulentur, dum caudæ motu, pedum aſſultu vociſque gannitu blandiuntur. Unde *Nonius*: Adulatio, inquit, eſt blandimentum proprie canum. Et de iis quoque vocabulum ſæpe uſurpatur apud Autores. Canum adeo mores imitantur adulatores, qui in ipſis quidem nihil vitii habent, quemadmodum ex Philoſophia morali patebit, ſed ex perverſa demum imitatione in adulatoribus vitium trahit; id quod ideo monendum eſſe duximus, ne quis ad Jus naturæ commune provocando adulationem excuſet (§. 162. *part. 1. Philoſ pract. univ.*).

§. 894.

Humanus dicitur, qui ad officia erga alios præſtanda pronus eſt & in iis præſtandis, ubi hoc in poteſtate ipſius poſitum, facilem ſeſe præbet. Hinc *Humanitas* virtus eſt, qua ad officia erga alios præſtanda proni ac faciles ſumus. *Humanitas quid ſit.*

Sermone vernaculo Leutſeeligkeit appellamus, quemadmodum Comitatem Freundlichkeit & adulationem Schmeicheley. Cum homines ad mutua commoda nati ſint (§. 221. *p. 1. Phil pract. univ.*), ac homine homine nihil ſit utilius (§. 220. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*); humanitas maxime decet hominem (§. 332. *part. 1. Theol. nat.*). Ceterum hinc apparet ratio, cur officia naturalia erga alios dicantur *officia humanitatis*.

§. 895.

Humani eſſe debemus erga omnes. Etenim cum officia erga alios lege naturali præſcribantur (§. 224. & *ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), obligatio autem, quæ a lege naturali venit, immutabilis ſit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nemo alteri officia iſta denegare (§. 291. *Ontol.*), adeoque ad ea præſtanda pronus &, ubi hoc in poteſtate ipſius poſitum (§. 608.), in iis præſtandis facilem ſeſe præbere debet. Enimvero qui ad officia erga alios præſtanda pronus eſt, & in iis præſtandis, ubi hoc in poteſtate ipſius fuerit poſitum, facilem ſeſe præbet, humanus eſt. Quamobrem erga omnes humani eſſe debemus. *Humanitas lege naturali præcepta.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam officia naturalia erga alios ſunt actiones, ad quas committendas vel omittendas lege naturali obligamur (§. 225. 226. *part 1. Phil. pract. univ.*), obligamur autem ad aliorum perfectionem pro virili promovendam (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ad omittendas actiones, quæ tendunt ad imperfectionem alterius ejuſque ſtatus (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officia erga alios conſiſtunt in actionibus, quibus aliorum perfectio promovetur. Enimvero unicuilibet homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas perfectionem ac felicitatem alterius cujuſcunque promovendi (§. 615.), conſequenter & noluntas faciendi, quod tendit ad alterius imperfectionem atque ſtatus ejuſdem (§. 722.). Conſtans ergo & perpetua ipſi eſſe debet voluntas officia erga alios aliis præſtandi. Conſtans & perpetua eſt voluntas, ſi in dato quolibet caſu, quo officium aliquod alteri præſtare valemus, nobis eſt

voluntas hoc faciendi, & nos nulla ratione ab eadem dimoveri patimur (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem patet quod ad officia erga alios præſtanda proni &, quoties in poteſtate noſtra poſitum, faciles eſſe debemus. Sed qui pronus eſt ad officia erga alios præſtanda &, quoties in poteſtate ipſius poſitum, facilis, is humanus eſt (§. 894.). Ergo erga homines omnes humani eſſe debemus.

Qui humanus eſt, ejus animus propendet in commoda alterius, hancque propenſionem ore, vultu & geſtu ſignificat, etiamſi non adſit occaſio eidem inſerviendi, aut, ſi ea adfuerit, in poteſtate ſua poſitum non ſit. Quodſi fuerit in poteſtate alterius perfectionem ac felicitatem quomodocunque promovere, petenti ſtatim annuit: ubi autem non fuerit, ut denegare teneatur officium, quod petit alter, hoc ipſum ei moleſtum accidit, atque adeo ore, vultu & geſtu moleſtiam animi prodit. Humanitas adeo conſiſtit in actibus externis, quibus charitatem alteri ſignificamus (§. 617. 620.). Ipſa enim præſtatio officiorum ad charitatem ſpectat. Unde eſt, quod humanitas ſpectetur in verbis potiſſimum, vultu & geſtu. Hæc probe notanda veniunt, ne videamur eadem ſub diverſis nominibus propoſuiſſe.

§. 896.

Inhumanitas quid ſit. *Inhumanus* dicitur, qui ab officiis humanitatis aliis præſtandis averſum habet animum. Unde *Inhumanitas* vitium eſt, quo quis ab officiis erga alios avertit animum.

Opponitur inhumanitas humanitati. Quemadmodum itaque animus ejus, qui humanus eſt, ad officia erga alios præſtanda propendet: ita ex adverſo animus ejus, qui inhumanus eſt, ab eodem averſus eſt, ut adeo vix ac ne vix quidem ſe ad officium aliquod alteri præſtandum adduci patiatur.

§. 897.

Inhumanitas lege naturali prohibita. *Nequaquam inhumani eſſe debemus*. Erga omnes enim humani eſſe debemus (§. 895.), conſequenter cum humanus ſit qui ad officia aliis præſtanda pronus ac facilis eſt (§. 894.), averſum ab iiſdem animum habere minime debemus (§. 722.). Enimvero inhumanus eſt, qui averſum ab officiis humanitatis præſtandis aliis habet animum (§. 896.). Inhumani igitur haud quaquam eſſe debemus.

Nimirum inhumani curam aliorum prorſus abjiciunt, nec ipſos tangit aliorum felicitas. Sibi ſoli proſpiciunt; ceteros negligunt. Unde patet, quod obligationi naturali parum ſatisfaciant (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 898.

Officioſitas quid ſit. *Officioſus* dicitur, qui ad officia humanitatis alteri præſtanda ſemper paratus eſt. *Officioſitas* itaque virtus eſt, qua ad officia humanitatis alteri præſtanda ſemper parati ſumus.

Quam primum nimirum alter a te petit humanitatis quoddam officium, quod in poteſtate tua eſt, extemplo id ipſum eidem præſtas. Germanice vocamus hanc virtutem die Dienſtfertigkeit.

§. 899.

Officioſitas lege naturali præcepta. *Officioſi in omnes eſſe debemus*. Unicuique enim hominum conſtans ac perpetua eſſe debet voluntas perfectionem ac felicitatem alterius cujuſcunque promovendi (§. 615.), conſequenter officia humanitatis aliis præſtandi (§. 655.). Quo-

Digitized by Google

Quoniam itaque in quolibet caſu, quo officium quoddam humanitatis alteri præſtare valemus, voluntas hoc faciendi nobis eſſe debet, neque ulla ratione nos ab eadem dimoveri patiamur neceſſe eſt (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque ſemper parati eſſe debemus ad officia humanitatis aliis præſtanda; qui vero ad hoc faciendum paratus, officioſus eſt (§. 898.); in omnes omnino officioſi eſſe debemus.

Officioſitas plurimum facit ad amorem aliorum ſibi conciliandum & conſervandum. Atque adeo etiam pendet ab obligatione aliorum amicitiam ſibi conciliandi eamque conſervandi (§. 636.).

§. 900.

Inofficioſus dicitur, qui nemini facile præſtat aliquod officium humanitatis, ſed petenti potius denegat. Unde *Inofficioſitas* vitium eſt, quo aliis officia humanitatis denegamus. *Inofficioſitas quid ſit.*

Vernaculo ſermone Undienſtfertigkeit appellare ſolemus. Conſiſtit hoc vitium in ſola denegatione eorum, quæ officioſus lubens ac promtus facit, conſequenter in mera non facta. Quinam ſint inofficioſi ſuo loco inquiremus in Philoſophia morali.

§. 901.

Inofficioſi minime eſſe debemus. Obligamur enim ad officioſitatem (§. 899.) adeoque ad officia quæcunque aliis præſtanda ſemper parati eſſe debemus (§. 898.). Quoniam itaque omittere non debemus, ad quod faciendum obligamur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), officia humanitatis alteri denegare non licet. Quamobrem cum inofficioſus ſit, qui petentibus aliis officia humanitatis denegat, nec facile cuidam quodpiam præſtat (§. 900.); inofficioſi minime eſſe debemus. *Inofficioſitas prohibita.*

Nemo non inofficioſitatem accuſat, quemadmodum ex adverſo officioſitas laudatur. Et vera amicitia officioſitate probatur, quemadmodum ſimulatam prodit inofficioſitas. Sed de his plura dicemus in Philoſophia morali.

§. 902.

Etiam in ſuperbos comes, in inhumanos humani & in inofficioſos officioſos eſſe debemus. Quoniam nemo eſſe debet ſuperbus (§. 889.), inhumanus (§. 897.), inofficioſus (§. 901.); qui ſuperbus, vel inhumanus, vel inofficioſus eſt, obligationi ſuæ naturali minime ſatisfacit (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ*). Quamobrem cum in omnes humani (§. 895.), comes (§. 891.) & officioſi eſſe debeamus (§ 899.), neque ideo nobis permiſſum eſt obligationi noſtræ non ſatisfacere, quia alter eidem non ſatisfacit (§. 631.); etiam in ſuperbos comes, in inhumanos humani & in inofficioſos officioſi eſſe debemus. *Quomodo nos gerere debeamus in ſuperbos, inhumanos & inofficioſos.*

Qui obligationi naturali ideo ſatisfacere ſtudet, quod novit ſe ad hoc faciendum vel non faciendum obligatum eſſe, quemadmodum faciunt, qui virtutis amore ducuntur, iis nihil difficultatis eſt circa propoſitionem præſentem vel alias ſimiles, quales plures in anterioribus occurrunt. Immo hoc lapide lydio probari norunt virtutem, ſi alteri non faciant; ad quod non faciendum obligantur, etiam ſi alter hoc fecerit, qui ad idem non faciendum ſimiliter obligatur, & ubi fecerunt, ad quod faciendum obligantur, etiamſi alter hoc non fecerit, qui ad idem faciendum ſimiliter obligabatur.

§. 906.

Jus, cui reſpondens obligatio pendet a judicio alterius, imperfectum eſt.

Jus, cui reſpondens obligatio pendet a judicio alterius, imperfectum.

Jus, cui reſpondens obligatio pendet a judicio alterius, imperfectum eſt. Quoniam enim vi libertatis, quæ homini natura competit (§. 146.), nemo in agendo dependet a voluntate tua (§. 152.); ſi obligatio, quæ juri tuo reſpondet, a judicio alterius pendet, fieri non poteſt, ut tu eum cogere poſſis, quo minus eidem ſatisfacias, conſequenter tibi cogendi jus nullum competit, ut hoc faciat (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque jus imperfectum eſt, quod cum jure cogendi alterum, ut faciat, ad quod tibi obligatus, conjunctum non eſt (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus, cui reſpondens obligatio pendet a judicio alterius, imperfectum eſt.

Hinc apparet, jus ad eleemoſynam a Crœſo dandam eſſe jus imperfectum. Etenim Crœſus non obligatur ad dandam eleemoſynam, niſi quatenus hoc fieri poteſt ſine neglectu ſui ipſius, ſeu quatenus in poteſtate ipſius poſitum eſt, ut tibi det. Vi libertatis naturalis ipſi, non tibi competit judicium, utrum in poteſtate ipſius ſit hoc facere, nec ne. Quamobrem jus ad eleemoſynam a Crœſo dandam nonniſi imperfectum eſt.

§. 907.

Jus, quod te tantummodo dignum reddit, ut ab aliis tibi quid detur vel fiat, imperfectum eſt. Etenim quia jus ad hoc, ut alii tibi quid dent vel faciant, tantummodo competit tibi, quia dignus es, ut alii dent vel faciant; ab aliorum judicio pendet, utrum te dignum agnoſcere velint, nec ne, conſequenter quod tibi ad hoc dandum vel faciendum obligentur. Quoniam itaque obligatio juri tuo reſpondens a judicio alterius pendet (§. 851. *Ontol.*), jus autem, cui reſpondens obligatio a judicio alterius pendet, imperfectum eſt (§. 906.); jus quoque, quod te tantummodo dignum reddit, ut ab aliis tibi quid detur vel fiat, imperfectum eſt.

Jus te aptum reddens, ut quid ab altero tibi detur vel fiat, imperfectum.

Hinc apparet ratio, cur Jus imperfectum ab *Ariſtotele* vocetur ἀξία ſive dignitas, a *Grotio* meritum & aptitudo appelletur (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sola indigentia te aptum efficit, ut alii officia humanitatis tibi præſtent (§. 665. 667.). Ac ideo jus, quod tibi ad ea ab altero præſtanda competit, nonniſi imperfectum eſt, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ ſupra demonſtravimus (§. 658.) vi notionis juris imperfecti (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ceterum non eſt quod excipias, libertati naturali repugnare, ſi alterius judicio relinquendum, utrum te dignum agnoſcere velit, nec ne, judicium enim de dignitate tuo relinquendum eſſe judicio, quemadmodum ex adverſo non tuo, ſed alterius judicio relinquitur, num tibi, quod petis dare vel facere voluerit. Etenim judicium tuum de dignitate ſeu merito proprio tibi relinquitur quoad jus petendi; alterius vero judicium de eadem dignitate ipſi relinquendum quoad obligationem præſtandi quod petis. Ita nimirum ex utraque parte nihil admittitur, quod juri libertatis repugnet. Sane tu falli poteris & fallere velle eum, a quo quid petis, dum de propria dignitate judicas; alter vero cum tibi obligatus revera non ſit, niſi quando non falleris, adeoque verum fers judicium, ubi judicare tenetur, utrum tibi obligatus ſit, nec ne, ad præſtandum quod petis, ſuum ſequi debet judicium, quemadmodum tuum ſequeris in petendo.

§. 908.

Jus ad quidpiam in ſingulari perfectum.

Jus omne, quod reſpondet obligationi, qua alter tibi tenetur in ſingulari, quoad quidpiam ſingulare perfectum eſt. Quodſi enim alter tibi in ſingulari obligatur ad quidpiam in ſingulari, tum certum eſt, quod ad hoc præſtandum tibi obligetur (§. 564. *Log.*), adeoque ab eo exigere potes, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat (§. 120 *part.* 1. *Phil pract. univ.*), conſequenter ſi nolit, vi eum adigere potes, ut ſatisfaciat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque jus cogendi alterum, ut ſatisfaciat obligationi ſuæ, tibi competit (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*

univ.). Quoniam itaque jus perfectum eſt, quod cum jure cogendi alterum conjunctum eſt, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere nolit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus omne, quod reſpondet obligationi, qua alter tibi tenetur in ſingulari quoad quidpiam ſingulare perfectum eſt.

Ubi jus nonniſi imperfectum tibi competit, incertum eſſe poteſt, num tibi competat, veluti ſi quis ab altero poſcit eleemoſynam, incertum eſſe poteſt tum ex parte petentis, utrum dignus ſit eleemoſyna, nec ne, tum ex parte ejus, a quo petitur, num in ipſius poteſtate ſit dare eleemoſynam. Hæc incertitudo facit, ut dubium ſit jus petentis tum ex parte ipſius petentis quoad alterum, a quo petitur, tum ex parte ejus, a quo petitur, quoad petentem. Ne quid igitur admittatur, quod libertati naturali alterius adverſum ſit, obligatio & jus externum nonniſi imperfecta cenſeri debent. Ratio hæc cum ceſſet in caſu propoſitionis præſentis, cum non minus jus tuum, quam obligatio alterius certa ſit, jus quoque tuum non imperfectum, ſed perfectum eſſe debet. Ex. gr. Si ex contractu emtionis jus quoddam ad rem emtam tibi acquiſiviſti: certum omnino eſt alterum tibi obligari ad rem emtam tradendam, ſoluto pretio, quam tibi competere jus exigendi traditionem ejus. Jus igitur manifeſtum denegari tibi minime poteſt: nec permittendum ut alter obligationi manifeſtæ minime ſatisfaciat. Atque ideo tibi competit jus cogendi venditorem, ut pretio ſoluto rem emtam tradat.

§. 909.

An juri petendi officium humanitatis adverſum ſit injuria.

Quicquid contra jus petendi officium humanitatis fit, injuria eſt, generaliter ſcilicet dicta. Etenim jus petendi ab altero officium humanitatis jus perfectum eſt (§. 904.). Quicquid igitur contra jus petendi officium humanitatis fit, contra jus perfectum alterius fit. Enimvero quicquid contra jus perfectum alterius fit, injuria generaliter dicta eſt (§. 859.). Quicquid ergo contra jus petendi officium humanitatis fit, injuria eſt, generaliter ſcilicet dicta.

E. gr. Petit a te Titius, ut ipſum commendes Mævio præceptorem filiis ſuis daturo. Quodſi ipſi indigneris & verbis durioribus eum abire jubeas; injuriam ipſi facis. Impedire enim non debes, quo minus petat, cum jus petendi ipſi ſalvum eſſe debeat, etſi tuum ſit ſtatuere, quid facere velis, nec Titius te cogere ſeu vi adigere poſſit, ut ipſum commendes. Nec minus injuriam facit, qui quocunque modo impedit, quo minus Titius a te petere poſſit, ut ipſum commendes.

§. 910.

Contra jus alterius nihil faciendum.

Nemo quicquam contra jus alterius facere debet. Si quid enim contra jus alterius quicquam facis, aut idem tollis, vel diminuis, vel uſum ejus quomodocunque impedis (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque quicquid horum feceris, alterum impedis, quo minus jure ſuo utatur. Enimvero nemo alterum impedire debet, quo minus jure ſuo utatur naturali (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod ſcilicet vi legis naturalis ipſi competit (§. 160. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in Jure naturali nonniſi de hiſce juribus nobis ſermo ſit (§. 1.); nemo quicquam contra jus alterius facere debet.

Poterat propoſitio præſens ſumi abſque ulla probatione. Ecquis enim eſſet uſus juris, ſi alteri liceret eum pro arbitrio ſuo impedire, vel jure hoc te prorſus privare? Hoc enim conceſſo, potentiori quidlibet in te liceret, quod libitum eſſet, conſequenter omnis ceſſaret juris utilitas, immo juris inane nomen foret.

§. 911.

Injuria generaliter dicta illicita.

Quoniam injuria generaliter dicta eſt contra jus perfectum alterius (§. 859.), nihil autem contra jus alterius fieri debet (§. 910.); *injuria* quoque *generaliter dicta prohibita*, conſequenter *illicita eſt* (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Quin

Quia injuriæ ſpecialiter dictæ ſunt etiam injuriæ in ſignificatu generali (§. 887.), vi præſentis denuo ſequitur, quod ſupra jam aliter oſtendimus (§. 878.), injurias omnes ſpecialiter dictas eſſe illicitas.

§. 912.

Quale jus homini competat adverſus eos, qui ipſius imperfectionem promovere conantur.

Homini competit jus perfectum non patiendi, ut alter faciat, quod ipſum & ſtatum ejus imperfectiorem reddit, vel ut faciat, quo impeditur ipſius & ſtatus ejuſdem perfectio. Lege enim naturali obligamur ad faciendum, quod nos ſtatumque noſtrum perfectiorem reddit, & non faciendum, quod reddit imperfectiorem (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque eadem lex nobis dat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nobis etiam dat jus non patiendi, ut alter quid faciat, quod nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddit, vel ut faciat id, quo impeditur perfectio noſtra ſtatuſque noſtri. Et quia jus omne, quod nobis dat lex naturæ ad ſatisfaciendum obligationi noſtræ naturali, perfectum eſt (§. 905.); jus, quod homini competit, non patiendi ut alter quid faciat, quod nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddit, vel quo impeditur, ne nos ſtatuſque noſter reddatur perfectior *per demonſtrata*, perfectum eſt. Patet itaque homini competere jus perfectum non patiendi, ut alter quid faciat, qupd ipſum ſtatumque ejus imperfectiorem reddit, vel quo impeditur, ne ipſe ſtatuſque ejus reddatur perfectior.

Alia igitur ratio eſt legum prohibitivarum & præceptivarum quoad officia erga alios. Hæ enim nobis non conferunt niſi jus imperfectum, illæ autem perfectum. Si alter perfectionem tuam promovere noluerit, id ferendum patienter: aſt ſi te reddere voluerit imperfectiorem, id ferendum non eſt.

§. 913.

Jus adverſus læſiones homini competens.

Homini competit jus perfectum non patiendi, ut alius ipſum lædat. Competit enim jus perfectum non patiendi, ut alter quomodocunque ipſum ſtatumque ejus imperfectiorem reddat (§. 912.). Quoniam itaque alterum lædit, qui ejus imperfectionem ſtatuſque ejuſdem imperfectionem promovet (§. 669.); homini competit jus perfectum non patiendi, ut alius ipſum lædat.

§. 914.

Jus hoc ulterius expenditur.

Quoniam *homini* competit jus perfectum non patiendi, ut alius ipſum lædat (§. 913.); eidem quoque *competit jus a quocunque exigendi, ne ipſum lædat, & ubi lædere conatur, eundem cogendi, ne faciat* (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 915.

Qualis ſit obligatio non lædendi.

Obligatio alterum non lædendi perfecta eſt. Perfecte enim mihi obligaris, ſi, ubi obligationi ſatisfacere nolueris, mihi competit jus te cogendi, ſeu vi adigendi, ne hoc facias (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed ſi me lædere vis, mihi competit jus te cogendi, ne facias (§. 914.). Ergo obligatio alterum non lædendi perfecta eſt.

Loquimur hic de obligatione externa; internam enim omnem perfectam eſſe jam ſupra monuimus (*not.* §. 656.). Ut vero appareat, cur non lædendi obligatio perfecta ſit eique jus perfectum reſpondeat; cum obligatio externa ad charitatem non ſit niſi imperfecta, eique nonniſi jus imperfectum reſpondeat, propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 916.

§. 916.

Jus non patiendi læſionis libertati naturali conveniens.

Jus non patiendi, ut quis te lædat, libertati naturali convenit. Libertas enim naturalis non tollit obligationem naturalem (§. 159.), conſequenter eam, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero lex naturalis nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & perfectionem tuam ſtatuſque tui intendere debes tanquam finem ultimum (§. 29. *part.* 2. *Phil. pract. univ.* & §. 617. *part.* 1. *ejuſd.*), conſequenter operam dare debes, ne quid fiat, quod perfectioni tuæ ſtatuſque tui quomodocunque adverſetur, vel te ſtatumque tuum imperfectiorem reddat (§. 941. *Ontol.*). Quamobrem libertati naturali convenit, ut caveas, ne quid fiat, quod perfectioni tuæ ſtatuſque tui quomodocunque adverſetur, vel te ſtatumque tuum imperfectiorem reddat. Quoniam itaque vi libertatis naturalis in agendo prorſus independens es a voluntate alterius (§. 152.), neque dependes niſi a te ipſo (§. 153.); neque tibi ferendum eſt, ut alter faciat, quod te ſtatumque tuum reddit imperfectiorem, vel ut impediat, quominus perfectionem conſequaris. Qui imperfectionem alterius atque ſtatus ejuſdem quomodocunque promovet, alterum lædit (§. 669.). Quare vi libertatis naturalis ferendum non eſt, ut alter te lædat, conſequenter jus non patiendi, ut quis te lædat, libertati naturali convenit.

Non eſt quod excipias, jus non patiendi, ut quis te lædat, libertati naturali lædentis repugnare, cum is dependere debeat in lædendo a voluntate læſi, non a ſeipſo (§. 153.). Etenim vi libertatis non permittendum eſt, ut quis in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, niſi quamdiu nil contra jus alterius facit (§. 156.). Enimvero cum natura homini tribuat jus perfectum a quocunque exigendi, ne ipſum lædat, & ubi lædere vult, eundem cogendi, ne faciat (§. 914.); qui alterum lædit, utique facit, quod eſt contra jus alterius, conſequenter quod vi libertatis naturalis facere nequit (§. 160.). Non confundenda libertas cum licentia eſt (§. 150.), quæ nec a Deo cuiquam dari poteſt (§. 151.) & legem naturæ omnemque aliam prorſus tollit (§. 164.).

§. 917.

Jus ſecuritatis quodnam ſit.

Jus non patiendi, ut quis te lædat, dicitur *ſecuritatis Jus*.

Vi nimirum hujus juris unuſquiſque ab alio quocunque prætendere poteſt, ne ullo modo ipſum lædat. Lex enim naturæ, quæ læſionem omnem prohibet (§. 695.), vult unumquemque eſſe ſecurum ab omni læſione. Quemadmodum itaque ex obligatione paſſiva naſcuntur jura (§. 23.); ita ex obligatione neminem lædendi oritur jus ſecuritatis. Vernaculo ſermone dicitur das Schuß-Recht: eſt enim tutela quædam naturalis, qua ipſa natura nos tuetur adverſus alios.

§. 918.

Quod homini natura competat.

Jus ſecuritatis homini omni competit. Competit enim eidem jus non patiendi, ut quis ipſum lædat (§. 913.). Sed jus non patiendi, ut quis te lædat, jus ſecuritatis eſt (§. 917.). Omni igitur homini jus ſecuritatis competit.

§. 919.

Læſio eidem contraria.

Quoniam jus ſecuritatis homini omni competit (§. 918.) vi autem hujus juris nemo pati tenetur, ut quis ipſum lædat (§. 917.). *Quicunque alterum lædit, contra jus ſecuritatis hoc facit*, conſequenter *læſio omnis juri ſecuritatis adverſatur*. Obli-

Obligationibus reſpondent jura, quamobrem quando quis agit contra obligationem, qua tenetur alteri, ſimul agit contra jus alterius, cui obligatus eſt. Hinc qui exigit ab altero, ne ipſum lædat, ad jus ſuum provocat.

§. 920.

Violatio juris num ſit læſio.

Qui quid facit contra jus alterius, eum lædit. Naturæ enim lex nobis dat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); conſequenter ideo, ut obligationi naturali ſatisfacere, adeoque perfectionem noſtram promovere, imperfectionem vero avertere valeamus (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui quid facit contra jus perfectum alterius, is quid facit, quod perfectionem alterius impedit aut ad imperfectionem ejus tendit. Enimvero qui quid facit quod ad imperfectionem ejus tendit, eum lædit (§. 669.). Lædit igitur qui quid facit contra jus alterius.

Patet hinc, quam late pateat jus ſecuritatis. Cum enim jus ſecuritatis non ferat, ut quis te lædat (§. 917.), qui vero contra jus quodcunque tuum quid fecerit, te lædat (§. 920.); juri etiam ſecuritatis repugnat, ut quis quid faciat contra jus tuum. Jus adeo ſecuritatis tuetur jura cetera omnia. Quodſi homines in agendo eſſent rationales, nemo quicquam faceret, quod eſt contra jus alterius, quemadmodum nemo vult, nec velle tenetur, ut alter quid faciat, quod eſt contra jus ſuum. Obſervarent nimirum ſtrictiſſime hanc legem; quod jure tuo tibi non vis fieri ab eo, qui tibi obligatus eſt, id nec alteri feceris, cui tu eadem obligatione teneris (§. 98.).

§. 921.

Jus ſuum quinam alteri tribuat.

Qui nihil facit, quod eſt contra jus alterius, ſed non niſi ea facit, quæ ſecundum jus alterius, ſeu ſalvo jure alterius, aut eidem convenienter fieri poſſunt, *jus ſuum alteri tribuere* dicitur.

Diximus hinc in Horis ſubſecivis, quando definitionem *Ulpiani*, quam de juſtitia dedit *l.* 10. *ff. de Juſt. & Jure* explicabamus, in *Trimeſtri Vern. A.* 1729. t. 2. §. 6 alteri jus ſuum tribui, ſi facultatem ejus agendi moralem nullo modo impedimus, ſi ea præſtemus, ad quæ præſtanda obligamur, ſi facultatem agendi, quam lex alteri tribuit, ipſo invito non nobis aſſeramus. Vi dominii de libro tuo diſponere potes pro arbitrio tuo (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque margini adſcribere, quæ volueris. Etſi tu ab hoc ſis quam maxime alienus, haud quaquam tamen impedire licet, quo minus alter hoc faciat. Quamobrem ubi eundem non impedis in uſu juris ſui, etſi hoc phyſice impedire poteras; jus ſuum alteri tribuis. Obligaris venditori ad pretium pro re tradita ſolvendum, & huic obligationi reſpondet jus venditoris iſtud a te exigendi. Quamobrem ubi ſolvis, quod debes, jus ſuum alteri reddis. Immo ad pecuniam, quam venditori ſolvere debes pro re tradita, eidem jus quoddam eſt. Quamobrem ubi das pecuniam, ut dominium ejus acquirat, jus ſuum alteri reddis. Competit nonniſi domino jus utendi libro ſuo. Quodſi ergo non proprio uſu tibi arrogas libri alieni uſum, domino invito, ſed, ut eum tibi concedat, petis, jus ſuum alteri reddis. Nimirum contra jus alterius fit id, quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel uſus ejus quomodocunque impeditur (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quod igitur non fit contra jus alterius, eodem jus alterius nec tollitur, nec diminuitur, nec uſus ejus quomodocunque impeditur, ſed actiones tuæ reſpectu alterius jus ipſi ſuum ſalvum relinquunt, neque adeo tu quicquam facis, niſi quod eidem convenienter fieri poteſt. Videmus itaque tum hic, tum alibi dicta pulchre inter ſe conſpirare, quamvis difficultate non careat in hujusmodi abſtractis, quæ non ſatis diſtincte vulgo expenduntur, mentem ſuam ſatis accurate verbis exprimere, cum haud raro deficiant vocabula commoda, præſertim ubi ſingulis fixum ſignificatum tribuere debemus, nec ab eodem diſcedere datur.

§. 922.

Obligatio tribuendi unicuique jus ſuum.

Unicuique jus ſuum tribuendum. Nemo enim contra jus alterius quicquam facere debet (§. 920.). Sed alteri tribuit jus ſuum, qui nihil facit contra jus alterius, ſed non niſi ea facit, quæ ſecundum jus ſeu ſalvo jure alterius, aut

aut eidem convenienter fiunt (§. 921.). Quamobrem jus ſuum unicuique tribuendum.

Indirecte idem hoc modo oſtenditur. Ponamus tibi permiſſum, ne alteri jus ſuum tribuas. Quoniam adeo jus ſuum alteri non tribuit, qui quid facit contra jus alterius (§. 921.); permiſſum tibi eſt pro arbitratu tuo facere, quod contra jus alterius eſt. Quare cum paulo ante demonſtraverimus, quod nemo quicquam contra jus alterius facere debeat (§ 910.), hoc utique abſurdum eſt.

Videmus adeo legem naturalem eſſe principium illud juris, quod unicuique jus ſuum tribuendum. Quoniam vero jura naſcuntur ex obligatione (§. 23.), atque adeo ſi tu alteri ad quid obligaris, alteri quoddam ad hoc ipſum jus eſt, jus ſuum alteri reddere idem eſt, ac obligationi ſuæ in alterum ſatisfacere. Nimirum quando facis id, ad quod alteri obligatus es, jus ipſius in ſalvo eſt, atque adeo eidem convenienter agis. Lex igitur naturæ, quod unicuique jus ſuum tribui jubet, urget ut obligationi tuæ erga alios ſatisfacias.

§. 923.

Suum alteri tribuere quid ſit. *Suum alteri* tribuere dicitur, qui eidem præſtat, ad quod præſtandum perfecte obligatur, hoc eſt, qui ei dat, ad quod dandum eidem perfecte obligatur, vel facit, ad quod faciendum eidem obligatur.

Vulgo jus ſuum tribuere alteri & ſuum alteri tribuere habentur pro ſynonymis, veluti cum l. 10. ff. de J. & J. in definitione juſtitiæ dicitur eam eſſe voluntatem tribuendi cuique jus ſuum, & mox additur præceptum juris eſſe, ut ſuum cuique tribuatur. Enimvero utrobique non eſſe eundem ſenſum nec diffitentur Juris interpretes acutiores, quos inter *Manzium in Comment. ad Inſtit. tit. eod.* §. 3. *n.* 21. *f.* 20. *b.* nominaſſe ſufficiat. Nimirum ſuum eſt, ad quod alteri jus perfectum competit (§. 131.), cui perfecta aliquid præſtandi in altero reſpondet obligatio. Unde ſuum alteri tribuit, qui præſtat, ad quod eidem præſtandum perfecte obligatur, quemadmodum habet definitio: at jus ſuum tribuitur alteri, ſi facis eidem convenienter, nec contra idem (§. 921.). Unde jus ſuum tribuitur alteri non modo, quando quid præſtatur, ad quod præſtandum ipſi perfecte obligaris; verum etiam quando non facis, quod contra jus ejuſdem eſt, adeoque eum non lædis (§ 920.).

§. 924.

Suum cuique tribuendi obligatio. *Suum cuique tribuendum.* Ponamus enim, ſi fieri poteſt, ſuum cuique non eſſe tribuendum. Quoniam ſuum tribuitur alteri, ſi eidem præſtas, ad quod præſtandum perfecte obligaris (§. 923.); alteri præſtandum non eſt, ad quod præſtandum eidem perfecte obligaris, ſeu neceſſe non eſt, ut alteri præſtes, ad quod præſtandum eidem perfecte obligaris, neque alter habet jus cogendi, ut hoc facias, ubi facere nolis. Perfecte igitur eidem obligatus non es (§. 118. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): id quod utique abſurdum.

Directe oſtenditur hoc modo. Suum eſt, in quod cuidam jus perfectum competit (§. 131.). Quod ergo alteri idem tribuere nolis, adeoque non præſtare ad quod perfecte ipſi obligaris, & in quod alter jus perfectum habet (§. 923. *Jur. nat.* & §. 236. *part.* 1. *Phil pract. univ.*); contra jus alterius facis §. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed contra jus alterius nil quicquam facere debemus (§. 910.). Ergo ſuum cuique tribuere debemus.

§. 925.

Nexus inter tribuendum jus ſuum & tribuendum ſuum. *Qui alteri jus ſuum tribuit, is etiam ſuum tribuit.* Qui enim alteri jus ſuum tribuit, nihil facit, quod eſt contra jus alterius (§. 921.). Quamobrem cum alteri competat jus cogendi, ut ea præſtet, ad quæ præſtandum ipſi perfecte obligatur (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter huic obligationi etiam reſpondeat aliquod jus ad id, quod præſtandum eſt (§ 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui alteri jus ſuum tribuit, id eidem præſtat, ad quod præſtandum per-

Digitized by Google

perfecte obligatur. Sed qui alteri tribuit id, ad quod præſtandum perfecte obligatur, ſuum alteri tribuit (§. 923.). Quare qui alteri jus ſuum tribuit, etiam ſuum tribuit.

Non licet propoſitionem convertere, cum tributio juris ſui latius pateat tributione ſui (*not.* §. 923.).

§. 926.

Juſtitia eſt virtus, qua jus ſuum cuique tribuitur, conſequenter etiam unicuique ſuum (§. 925.).

Juſtitia quid ſit.

Non eſt quod exiſtimes nos definitionem juſtitiæ, quam in Metaphyſicis dedimus (§. 1067. *part.* 1. *Theol nat.*), hic relinquere & communem ejus loco amplecti, quaſi agnito errore. Præterea enim, quæ ibidem jam annotavimus, ſequentia adhuc notari merentur. Qui ſeipſum amat, felicitatem ſuam intendit in agendo (§. 633. *Pſych. empir.* & §. 616. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter quatenus quis amat ſeipſum, ſui tantummodo rationem habet in agendo. Enimvero ut legis naturalis perfectio aliorum non minus eſt finis ultimus actionum humanarum, quam propria (§. 28. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), & naturæ lex non minus aliis, quam nobis dat jus ad ea, ſine quibus perfectionem noſtram promovere minime valemus (§ 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ad felicitatem igitur, conſequenter perfectionem propriam (§. 48. *part.* 2 *Phil. pract. univ.*) conſequendam non utitur mediis, quæ ſunt contra jus alterius, vi ſapientiæ, cujus eſt eligere media (§. 678 *Pſych rat.*), conſequenter unicuique jus ſuum tribuit (§ 921.) Juſtus igitur eſt vi definitionis præſentis, dum amorem ſapientia temperat. Et idem eodem modo patet, dum amore ductus aliorum perfectionem & felicitatem promovere ſtudet. Evidens adeo eſt, nos in Theologia naturali notionem juſtitiæ altius tantummodo repetiiſſe, nec hic tradere, quæ ibidem illum is contrariantur. In caſu quolibet particulari idem multo clarius conſpicitur.

§. 927.

Juſti eſſe debemus. Unicuique enim jus ſuum tribuere debemus (§. 922.). Juſtus eſt, qui unicuique jus ſuum tribuit (§. 926.). Juſti ergo eſſe debemus.

Juſtitia præcepta.

Hinc liquet, juſtitiam eſſe virtutem (§ 321. *p.* 1. *Phil. pract univ*), ac ideo recte definiri ab *Ulpiano l.* 10. *ff.* de J & J. per conſtantem & perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi (§ 328. *part* 1. *Phil. pract univ.*) Et hæc definitio doctrinæ juris magis convenit altera, quam dedimus in Theologia naturali, cum hinc facilius deducantur actiones juſtæ. Neque vero inſolens eſt apud ipſos Geometras, ut eandem rem diverſimode definiant, prouti hæc, vel illa definitio faciliores parit demonſtrationes. Aſt in Theologia naturali, ubi de juſtitia Dei erga homines agendum erat, convenientius erat juſtitiam in genere definire, quæ & juſtitiam Dei erga creaturas, & hominum erga homines complectitur in omni caſu.

§. 928.

Alios exemplo noſtro vitia docere & ad ea incitare minime debemus. Debemus enim alios exemplo noſtro docere virtutes intellectuales & morales & ad earum ſtudium incitare (§. 639.). Enimvero ſi ad hoc faciendum obligamur, ad contrarium non faciendum ſimul obligamur (§ 722.). Alios igitur exemplo noſtro vitia docere & ad ea incitare minime debemus.

Quod exemplo noſtro aliis obeſſe non debeamus.

Multis modis nocet aliis, qui vitiis deditus palam facit ea, quæ legi naturali contrariantur (§ 322 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), tantoque certius nocet, etiamſi nocumentum non intendat, quo certius conſtat, pleroſque homines in agendo imitari alios, & perverſa hac opinione imbutos eſſe, quaſi jure fiat, quod exemplo fit.

Digitized by Google

§. 929.

Exempla mala & bona quænam ſint.

Exempla mala ſeu prava dicuntur, quibus alios doces vitia, & ad ea perpetranda incitas: *Bona* autem, quibus alios virtutes intellectuales ac morales doces & ad eas incitas.

Exempla in genere definivimus alibi (§. 250. *part. 2. Phil. pract. univ*). Eorum vero ſpecies ſunt, quæ homo homini præbet actionibus ſuis. Et hæc exemplorum ſpecies ſubdividitur in mala, ſive prava, & bona.

§. 930.

Obligatio quoad exemplum proprium.

Ad exempla bona aliis præbenda; mala vero non prodenda obligamur. Debemus enim alios exemplo noſtro docere virtutes intellectuales & morales & ad earum ſtudium eoſdem incitare (§. 639.), haud quaquam vero docere vitia, nec ad ea incitare (§. 928.). Quoniam itaque exempla bona ſunt, quibus alios virtutes intellectuales & morales docemus atque ad eorum ſtudium incitamus; mala vero, quibus alios docemus vitia & ad ea incitamus (§. 929.), exempla bona, non vero mala aliis præbere debemus, conſequenter ad bona aliis præbenda, mala vero non prodenda obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Exempla prava ſtylo ſcripturæ ex verſione vulgata dicuntur Theologis *Scandala*: unde *ſcandalizare* idem eſt ac malum exemplum præbere ſeu prodere. Quamobrem prohibitio Chriſti de non ſcandalizandis aliis coincidit cum parte altera propoſitionis præſentis. Hæc vero obligatio non parvi momenti eſt, cum plus noceatur exemplo, quam peccato, quatenus idem ſecuti alii tantumdem nocent, quantum qui præbuerat, peccato nocet.

§. 931.

Obligatio quoad exempla aliena.

Exemplis bonis nos addere, mala vero ſequi minime debemus. Perfectio animæ acquiſita ſunt virtutes intellectuales & morales (§. 548.). Quoniam itaque operam dare debemus, ut perfectionem animæ conſequamur, quam conſequi in poteſtate noſtra poſitum (§. 180.); ad virtutum intellectualium & moralium ſtudium obligamur. Quamobrem cum exempla bona ſint, quibus virtutes intellectuales docemur, & ad eas incitamur (§. 929.); exemplis bonis nos addere debemus. *Quod erat unum*.

Quoniam ad virtutes intellectuales & morales conſequendas obligamur *per demonſtrata*; ad vitia iiſdem oppoſita fugienda ſimul obligamur (§. 722.). Quare cum exempla prava doceant vitia, & ad eadem incitent (§. 929.) exempla prava ſequi minime debemus. *Quod erat alterum*.

Duplici ergo modo peccant, qui mala ſequuntur exempla. Quoniam enim hoc ipſo, quod mala ſequuntur, bonis ſeſe non addunt; ideo peccant, & quia bonis ſe non addunt, & quia mala ſequuntur.

§. 932.

Cur ſe exemplo alio tueri non liceat.

Qui legem naturæ tranſgreditur, alterius exemplo ſeſe tueri eidem minime licet. Etenim nemo exempla mala ſequi debet (§. 931.). Quamobrem ideo jus ipſi eſſe nequit legem naturæ tranſgrediendi, quia alter tranſgreditur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ* & §. 929. *Jur. nat.*), conſequenter legem naturæ tranſgredi non licet, quia hoc facit alter (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque, quod qui legem naturæ tranſgreditur, exemplo alterius ſe tueri nequeat.

Digitized by Google

Qui ſe tuetur ob malefacta, rationes allegat, cur hoc ſibi facere liceat. Quodſi ergo exemplo aliorum ſeſe tuetur; ad idem provocat, quaſi jure fecerit, quod non fecit ſine exemplo. Enimvero obligatio naturalis in ſe immutabilis (§. 142. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quemadmodum itaque peccatum alterius te ab eadem liberare nequit (§. 291. *Ontol.*): ita nec jus conferre poteſt faciendi, quod lege naturali prohibetur, exemplum alterius (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec multitudo peccantium parit peccato patrocinium, & nil agit, qui ſuo ſceleri prætendit alienum.

§. 933.

Homini competit jus poſtulandi, ne alter ipſi exemplum malum præbeat, ſed ut præbeat bonum. Quilibet enim aliis obligatur ad exemplum bonum præbendum, & ad malum non prodendum (§. 930.). Quoniam igitur ex obligatione, qua alter tibi devinctus eſt, jus tibi oritur aliquod (§. 23.), vi autem libertatis naturalis conſcientiæ ipſius relinquendum, utrum actionem quandam committere, an vero omittere velit (§. 157.); tu vero obligaris ad exemplum malum non ſequendum (§. 931.); nec in ſe neceſſe eſt, ut idem ſequaris; non aliud tibi jus competere poteſt quam poſtulandi, ne tibi exemplum malum præbeat, ſed ut præbeat bonum. *Quale nobis jus competat quoad exempla.*

Poſtulare plus eſt, quam petere, minus tamen quam exigere. *Petimus* ea, quæ num facere quis debeat, judicio ipſius relinquendum; *poſtulamus* ea, quæ quod facere debeat, manifeſtum eſt, ut autem faciat eum cogere non licet; *exigimus* denique, quod perfecta obligatione nobis debet, ita ut ſi præſtare nolit, ad præſtandum eundem cogere liceat. Ita petimus, ut alter nos commendet; poſtulamus, ne ſcortetur; exigimus, ut nobis tradat rem emtam. Ceterum hoc jus poſtulandi, ne alter malum, ſed ut bonum præbeat exemplum, eſſe perfectum, eodem modo patet, quo ſupra (§. 904.) oſtendimus jus petendi ab altero officium humanitatis perfectum eſſe. Alia vero ratio eſt, ſi tibi jus quoddam competit in actiones alterius, quo libertas ejus reſtringitur, ut quoad eas non amplius maneat ſui juris. Sed de eo nunc nobis ſermo non eſt. Agimus enim de jure univerſali, quod per ipſam eſſentiam atque naturam homini unicuique competit (§. 13.).

§. 934.

Juſtitia univerſalis eſt, qua alteri jus ſuum tribuitur quoad omnes actiones, quatenus reſpiciunt alios, veluti præbendo exemplum bonum, non vero malum (933.). *Juſtitia univerſalis quid ſit.*

Vulgo juſtitia univerſalis dicitur complexus omnium virtutum, ſed non ſatis accurate. Quamvis enim ea per omnes virtutes diffundatur, quatenus nulla eſt actio, quæ non reſpiciat alios, ſaltem quoad exemplum, quod præbetur aliis (§. 929.); hoc tamen non obſtante a ceteris virtutibus ſeparata manet, neque etiam cum iis conjungitur. Vi juſtitiæ enim univerſalis actionum committendarum motiva etiam deſumenda ab aliis, ad quas eædem referuntur. Immo in civitate referuntur etiam ad integram civitatem, quæ tanquam perſona quædam conſideratur, cui certa jura competunt, & cui certis obligationibus devinctus eſt quilibet civis, prouti ſuo loco docebimus. Hinc qui temperantiam colit, non modo temperans eſt, quatenus ſanitatis ac vitæ rationem habet; verum etiam juſtum ſe probat erga civitatem, quatenus opes ſuas profundere non vult, ut oneribus Reip. pro parte ſua ferendis par ſit; & idem juſtum ſe præbet aliis, quatenus exemplo ſuo temperantiam commendat aliis, neminem vero ad intemperantiam ſeducit, neque ulli offendiculo eſt, quemadmodum me jam monuiſſe memini in Horis ſubſecivis, cum notionem juſtitiæ univerſalis explicarem, *Trim Vern. A. 1729. n. 2. §. 7.* Quicquid agis, juſtitia univerſalis ſemper jubet reſpicere alios, ne quid committas, quod obligationi erga alios quomodocunque adverſetur, & ut facias, quicquid obligatio erga alios a te exigit. Dolendum profecto eſt, hujus virtutis non majorem rationem haberi, quam vulgo fieri ſolet, cum tamen per eam demum pateat, quod nemo noſtrum ſibi ſoli vivat, ſed etiam aliis, & charitati, quæ alios tanquam ſeipſum diligi jubet (§. 620.), eadem nihil magis conveniat. Ad neglectum juſtitiæ univerſalis referenda ſunt, quæ Chriſtus tam graviter declamat contra ſcandala: hæc enim ferre nequit hæc virtus. Sed de hiſce uberius dicemus in Philoſophia morali, cui quoad ſingulas ejus partes inſigne augmentum accedit hac ipſa virtute. Quamvis tibi ipſi deeſſe volueris, non tamen patitur juſtitia univer-

ſalis

ſalis ut te negligendo deſis aliis. Immo haud raro, quæ tibi licent, non amplius licita ſunt, ſi alios reſpicias: id quod illuſtri exemplo Apoſtoli confirmari poterat, ſi hic prolixioribus eſſe liceret.

§. 935.

Juſtitia univerſalis lege naturæ præcepta.

Juſtitia univerſalis lege naturali præcepta. Juſtitia enim univerſali aliis tribuitur jus ſuum quoad actiones omnes, veluti præbendo exemplum bonum, non vero malum (§. 934.). Enimvero unicuique jus ſuum tribuendum, qualecunque tandem fuerit (§. 922.), ac inprimis etiam ad exemplum bonum aliis præbendum, malum vero non prodendum obligamur (§. 930.). Patet itaque juſtitiam univerſalem lege naturali præceptam eſſe.

Peccat igitur, qui hanc virtutem negligit, *in* officiis præſertim erga ſeipſum non ſimul reſpiciens alios (§. 440. *part.* 1 *Phil pract. univ.*), quamvis hoc vulgo non agnoſcatur, quaſi ſingulis officiis erga noſmetipſos non adhæreat officium quoddam erga alios, & virtus quædam perfecta eſſe poſſit, etſi a juſtitia univerſali ſejuncta.

§. 936.

Offenſa quid ſit.

Offendere alterum dicitur, qui quid facit, ex quo tædium ſive moleſtiam animi percipit alter. Unde *Offenſa* eſt quælibet actio ſive poſitiva, ſive privativa, ex qua alter tædium ſive moleſtiam percipit. *Offenſa vera* eſt, ſi actio privativa fuerit talis, ad quam committendam agens obligabatur; poſitiva autem talis, ad quam omittendam obligabatur. Ex adverſo autem *Offenſa nulla* eſt, ſed per errorem pro tali habetur ab altero, ſi actio privativa talis fuerit, ad quam omittendam agens obligabatur, aut quam committere non erat in poteſtate ipſius poſitum; poſitiva autem talis fuerit, ad quam committendam agens obligabatur.

Communis notio eſt alterum a nobis offendi, ſi quid facimus, ex quo is tædium percipit, ſive factum poſitivum fuerit, ſive privativum. Unde qui alterum offendere non vult, ſibi ſollicite cavet, ne quid faciat, vel non faciat, quod alter factum vel non factum eſſe ægre ferat. Volunt haud raro alii, ut faciamus, quod facere non licet, niſi peccare velimus, vel quod in poteſtate noſtra non eſt. Quodſi ergo peccare nolis, in eorum gratiam facere non potes, quod fieri volunt. Tædium inde percipiunt, adeoque ſe offenſos arbitrantur. Offenſa vero revera nulla eſt, neque enim tibi, ſed ſibi imputare debet, qui moleſtiam ſentit. Fert tamen inconſtantia loquendi, quæ verum ab eo, quod apparet, non diſcernit, ut offenſa dicatur. Quoniam vero ejus nulla habenda ratio, ubi de jure circa offenſas quæſtio eſt; offenſam veram ab ea, quæ nulla eſt, ſed perperam pro tali habetur, diſtingui neceſſe eſt. Vocabulo enim fixus & veritati conſentiens conſtituendus eſt ſignificatus, ſi quid circa offenſas præcipiat lex naturæ demonſtrandum. In æſtimandis offenſis qui ſeſe offenſos putant plurimum tribuunt opinioni ſuæ, ut adeo rarum ſit de magnitudine offenſæ judicium verum.

§. 937.

Quando quis vere, quando ſine ratione offendatur.

Vere offendi quis dicitur, ſi offenſa fuerit vera: *ſine ratione* autem *ſe offenſum putat*, ſi offenſa fuerit nulla, ſed perperam ab eo pro tali habetur.

Cur haſce loquendi formulas explicemus, ex iis patet, quæ modo annotavimus (*not.* §. 936.)

§. 938.

Offenſæ doloſæ & culpoſæ differentia.

Offenſa dicitur doloſa, quæ dolo committitur, hoc eſt, a ſciente & volente (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſive ſi fiat animo alterum offendendi, ut adeo tædium alterius intendas directe, ſive quod parum tibi curæ ſit, num alter offen-

Digitized by Google

offendatur, ut adeo tædium ejus intendas indirecte (§. 621. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Culpoſa vero offenſa* eſt, quæ culpæ in ſpecie ſic dictæ quadam ſpecie committitur. Unde ad eam plenius intelligendam faciunt, quæ de diverſis culpæ ſpeciebus tradidimus in Philoſophia practica univerſali.

Equidem mox patebit offenſam veram omnem eſſe jure naturali illicitam, nullo facto diſcrimine inter doloſam & culpoſam; eſt tamen aliquod differentiæ hujus momentum ex parte offenſi non modo in Philoſophia morali, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, verum etiam in Jure naturæ, quemadmodum ex mox demonſtrandis eluceſcet.

§. 939.

Offenſa vera omnis prohibita.

Nemo alterum vere offendere debet. Qui enim alterum offendit, id facit, ex quo alter tædium ſive moleſtiam animi percipit, &, ſi offenſa fuerit vera, ad id non faciendum erat obligatus, ſi poſitiva fuerit actio, aut ad faciendum obligabatur, ſi privativa fuerit (§. 936.). Enimvero nemo alteri tædia creare debet, quantum in ſe eſt (§. 723.). Nemo igitur alterum vere offendere debet.

Videmus adeo offenſam veram omnem lege naturali prohibitam, conſequenter illicitam eſſe (§. 170. *part* 1. *Phil. pract. univ.*), nullo habito diſcrimine inter doloſam & culpoſam, quemadmodum modo monuimus (*not.* §. 938.).

§. 940.

Offenſa alterius non dat jus ipſum offendendi.

Nec alterum offendere licet, etiamſi is prior te offenderit. Quoniam enim nemo alterum offendere debet (§. 939.); ubi alter te offendit, obligationi ſuæ naturali non ſatisfacit (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero quia alter non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo tibi permiſſum eidem non ſatisfacere (§. 631.). Quamobrem nec offendere licet alterum, etiamſi is prior te offenderit.

Offenſa alterius tibi non dat jus eundem etiam offendendi, quia hoc jus pugnat cum immutabilitate obligationis naturalis.

§. 941.

Alteri tædia creare non licet, quia nobis creavit.

Nemo alteri tædia creare debet, quia is tibi tædia creavit. Nemo enim alteri tædia creare debet (§. 723.). Quamobrem ubi quis tibi tædia creat, obligationi ſuæ naturali non ſatisfacit (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque permiſſum tibi non eſt obligationi tuæ naturali non ſatisfacere, quia alter eidem non ſatisfacit (§. 631.); nec tibi licet alteri creare tædia, quia creavit tibi.

Oſtenditur etiam vi propoſitionis præcedentis hoc modo. Alterum offendere non licet, etiamſi is prior te offenderit (§. 940.). Enimvero qui alterum offendit, id facit, ex quo tædium percipit alter (§. 936.). Quamobrem tibi facere non licet id, ex quo alter tædium percipit, etiamſi is prior tale quid fecit, unde tu tædium percepiſti, conſequenter nemo alteri creare tædia debet, quia alter ipſi tædia creavit.

Appetitus ſenſitivus in contrarium fertur: id quod non modo in pueris, verum etiam in ipſis infantibus videre licet, omni prorſus rationis uſu deſtitutis. Sane ſi cubitum aut brachium infans offendit, ob levem, quem ſentit, dolorem plorat. Quodſi nutrix ſimulet, ſe te verberare & objurgare; extemplo ridet. Lenitur ipſius dolor tuo, qui fingitur, dolore. Similiter ſi puer verberatur ab alio puero ſe potentiori, ejulatum edit. Quodſi tertius accurrit, & cauſam illius agens viciſſim hunc verberibus cædit; ille ſtatim ridet, alterius dolore denuo leniens ſuum. Idem experimur in adultis, qui non ante acquieſcunt, quam ubi ægre fecerint ei, qui ipſis ægre fecit, & quando intelligunt eos ægre eſſe, qui ipſis ægre fecerunt, lætantur.

Digitized by Google

Non eſt quod determinationem appetitus ſenſitivi ad ægre faciendum ægre facientibus pro inſtinctu naturali habeas, per quem probatur jus naturæ commune (§. 162. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ægre facere ægre facientibus ad jus naturæ commune referas. Etſi enim ſubſit quid veri, quemadmodum poſthac videbimus, ubi de jure defenſionis acturi ſumus; intra eos tamen limites coercendus eſt appetitus ſenſitivus, quos præſcribit rationalis, ut ſit utriuſque conſenſus, & actiones externæ procedant ex uſu omnium facultatum homini conceſſarum. Omnem enim facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.), nec niſi in conſenſu omnium uſuum facultatum omnium animæ tam ſuperiorum, quam inferiorum perfectio animæ conſiſtit (§. 201.), ad quem conſequendum obligamur (§. 204.). Inprimis autem appetitus ſenſitivus cum rationali conſentire debet (§. 267.), conſequenter a ratione dependens efficiendus (§. 581. *part. 2. Philoſ. pract. univ.*). Sed quomodo hæc omnia inter ſe pulcherrime conſentiant, ex ſequentibus intelligetur.

§. 942.

Læſio & injuria num ſit offenſa.

Læſio omnis & injuria qualibet ſpecialiter dicta offenſa eſt. Qui enim alterum lædit, imperfectionem ejus promovet (§. 669.). Quamobrem eum ex cognitione intuitiva imperfectionis oriatur tædium (§. 518. *Pſych. empir.*); qui alterum lædit, facit aliquid, ex quo is tædium percipit, quam primum ſe læſum eſſe cognoſcit. Quoniam itaque alterum offendit, qui quid facit, ex quo tædium percipit (§. 936.); qui alterum lædit, eum offendit, conſequenter læſio omnis offenſa eſt (§. *cit.*).

Injuria ſpecialiter dicta læditur exiſtimatio ſeu honor & fama alterius (§. 874.). Quod ex læſione exiſtimationis ſeu honoris & famæ percipiatur tædium, experientia communi adeo obvium eſt, ut id prolixe demum hic demonſtrari non ſit opus. Quamobrem eum actio, ex qua alter tædium percipit, offenſa ſit (§. 936.), injuria omnis ſpecialiter dicta offenſa eſt.

Injurias ſpecialiter dictas eſſe offenſas nemo dubitat, ita ut his potiſſimum offendantur homines, & alias quaſcunque læſiones facilius ferant quam injurias: ſit ita quod in æſtimandis injuriis multum tribuant opinioni.

§. 943.

Quomodo injuriatus offendatur.

Quoniam præter vituperium, convicium & calumniam non dantur aliæ injuriæ verbales (§. 884.), nec præter contemtum, contumeliam & ignominiam aliæ reales (§. 885.), injuria autem omnis ſpecialiter dicta offenſa eſt (§. 942.); *qui alterum vituperat, conviciatur, calumniatur, contemnit, contumelia vel ignominia alia afficit, eum offendit.*

Probe perpendendum eſt, quomodo alter offendatur, non modo ut ab offenſis abſtineamus, verum etiam cum in praxi morali multus ſit uſus, ut huc animum advertamus.

§. 944.

Obligatio quoad offenſas in ſe nullas.

Offenſa, quæ in ſe nulla eſt, ſed pro tali tantummodo habetur ab altero, in agendo nullam rationem habere debemus. Si enim offenſa in ſe nulla eſt, ſed pro tali tantummodo habetur ab altero, ad eam actionem, quam omittit agens, omittendam obligatur, aut ut eam committat non eſt in poteſtate ipſius; ad eam vero, quam committit, committendam obligatur (§. 936.). Quodſi in poteſtate tua non ſit, ut quid facias in gratiam alterius, etiamſi licite fieri poterat; per ſe patet, quod offenſæ, quam pro tali habet alter, in agendo nullam rationem habere poſſis, adeoque nec debeas (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi vero actio poſitiva vel privativa repugnet obligationi naturali, cui tanquam immutabili ac neceſſariæ (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſatisfacere debes

bes (§. 120. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec hoc in caſu offenſæ, quæ pro tali tantummodo habetur ab altero, rationem ullam habere debes. Patet itaque offenſæ, quæ in ſe nulla eſt, ſed pro tali tantummodo habetur ab altero, in agendo nullam rationem habendam eſſe.

Obligatio, quam urget propoſitio præſens, probe tenenda, cum nihil ſit frequentius, quam ut homines faciant, quod facere minime debeant, ne alios offendant, ſeque ſatis excuſatos arbitrantur, ubi ſe hac ratione tuentur, quod ſecus facturi offendiſſent alios.

§. 945.

Nemo alterum odiſſe debet, quia ipſum offendit. Lex enim naturæ ſimpliciter prohibet, ne alterum odio habeamus (§. 624.) & qui te offendit, cum neminem vere offendere debeamus (§. 939.), obligationi ſuæ naturali non ſatisfacit (§. 130. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Sed ſi alter non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo tibi permiſſum eidem non ſatisfacere (§. 631.). Nemo igitur alterum odiſſe debet, quia ipſum offendit. *Odiſſe offendentem illicitum.*

§. 946.

Nemo ex ejus, qui ipſum offendit, tædio voluptatem percipere, nec tædium ejus appetere debet. Nemo enim alterum odiſſe debet, quia ipſum offendit (§. 945.). Sed qui ex tædio alterius voluptatem percipit (§. 665. *Pſych. empir.*) & tædium ejus appetit, eum odit (§. 669. *Pſych. empir.*). Ergo nemo ex tædio ejus, qui ipſum offendit, voluptatem percipere, nec tædium ejus appetere debet. *Ex offendentis tædio percepta voluptas illicita.*

Quando itaque *Mimus* dicit, læſo doloris remedium inimici dolor; id intelligendum eſt de eo, quod vulgo fieri ſolet, non vero de eo, quod fieri debet.

§. 947.

Per *Vindictam* intelligimus actus quoſcunque, quibus alteri tædium creatur, propterea quod nos offendit. Unde patet, quid ſit *Cupiditas vindictæ*, qua nempe tædium ſeu dolorem alterius appetimus, qui nos offendit. *Vindicta quid ſit.*

Vernaculo ſermone vindictam dicimus Rache, cupiditatem vero vindictæ Rachgier. Cui læſo doloris remedium eſt inimici dolor, is voluptatem percipit ex tædio vel dolore ejus, qui ipſum offendit, ac ideo vindictam in numerum bonorum refert (§. 561. *Pſych. empir.*). Bonum vero hoc nonniſi falſum ac imaginarium eſſe ex ipſa vera notione boni colligitur (§. 554. *Pſych. empir.*).

§. 948.

Animus ab omni vindictæ cupiditate alienus eſſe debet. Etenim ex ejus, qui nos offendit, tædio voluptatem percipere non debemus, neque tædium ejus appetere licet (§. 946.), quia ſcilicet nos offendit. Enimvero qui vindictæ cupidus eſt tædium ſeu dolorem alterius appetit, qui ipſum offendit (§. 947.), adeoque cum quod tædio afficiatur alter ſibi repræſentare debeat tanquam ſibi bonum (§. 893. *Pſych. empir.*) ex eo voluptatem percipit (§. 558. *Pſych. empir.*). Vindictæ igitur cupidi eſſe minime debemus, ſeu animus ab omni vindictæ cupiditate alienus eſſe debet. *Animus a cupiditate vindictæ alienus legi naturæ conveniens.*

Hinc *Seneca* lib. 2. de ira cap. 32. Qui dolorem, inquit, regerit, tantum excuſatius peccat, ubi de vindicta loquitur. Quando enim vindicta improbatur, eo ſenſu accipitur, quo eam definivimus (§. 947.), eamque inhumanam, hoc eſt, homini naturæ minus convenientem appel-

appellat *Seneca* loc. cit. utpote rationi prorſus adverſam, nec ſapientiæ congruam. Chriſtus potionem animi ab omni vindictæ cupiditate alieni animis noſtris ingeneraturus jubet colaphum in dexteram malam impingenti obvertere alteram *Matth.* V. 39. hoc enim exemplo non niſi id fieri potuiſſe oſtendimus in *Horis ſubſec. A.* 1729. *Trim. vern. n.* 5. §. 5.

§. 949.

Iraſci offendenti illicitum. *Nemini iraſci debemus, quia nos offendit.* Etenim nemo alterum odiſſe debet, quia ipſum offendit (§. 945.), & ab omni vindictæ cupiditate alienus eſſe debet animus ipſius (§. 948.). Enimvero qui alteri iraſcitur, odium in eum concipit (§. 862. *Pſych. empir.*) & vindictæ cupiditate flagrat (§. 872. *Pſych. emp.*). Nemini igitur iraſci debemus, quia nos offendit.

Non eſt quod exiſtimes præcipi hic, quod impoſſibile: neque enim impoſſibile videtur non iraſci nos offendenti, niſi quamdiu appetitus ſenſitivus ad conſenſum cum rationali non fuerit reductus, nec amore hominum omnium univerſali animus fuerit imbutus. Sane fieri poſſe ut non iraſcamur nos offendenti, docent exempla eorum, quos impenſe amamus. Ecquis enim eſt, qui neſciat horum offenſas patienter ferri ab iis etiam, qui alias ad iram facillime provocantur, nec leves concoquere poſſunt offenſas?

§. 950.

Manſuetudo quid ſit. *Manſuetus* dicitur, qui offendenti non iraſcitur, aut iram ſaltem moderatur, ne ad vindictam tendat. Unde *Manſuetudo virtus* eſt, quæ moderatur iram, & animum a vindictæ cupiditate immunem præſtat.

Quoniam nimirum difficillimum eſt iram in ipſo ortu comprimere, aut prorſus efficere, ne aſſurgat; ideo ſufficit, quam diu ad tantam perfectionem nondum perveneris, quanta eſt ſpontaneus appetitus ſenſitivi cum rationali conſenſus, ut iræ moderetis, ne vindictæ cupiditate repleatur animus.

§. 951.

Manſuetudo præcepta. *Manſueti eſſe debemus.* Si quis enim nos offendit, ei minime iraſci debemus (§. 949.), aut iræ ſaltem moderari, ut immunem ſervemus a cupiditate vindictæ animum (§. 948.). Verum enimvero qui ſeſe offendenti non iraſcitur aut iræ ſaltem moderatur, ut liber ſit a vindictæ cupiditate animus, manſuetus eſt (§. 950.). Manſueti ergo eſſe debemus.

Pauci ſunt, qui de hac virtute cogitant, immo bene multi ſunt, qui virtutem moralem eſſe manſuetudinem ne quidem agnoſcunt, ſed eam inter dotes naturales referunt. Facile autem intelligitur, eam difficillimis annumerandam eſſe.

§. 952.

Iracundia quid ſit. *Iracundus* dicitur, qui cupiditatem vindictæ difficulter reprimit. Unde *Iracundia* vitium eſt, quo quis cupiditatem vindictæ difficulter reprimit, ſeu animum ab eadem purgat.

Cicero eam definit per ulciſcendi libidinem. Nimirum omni iræ ineſt vindictæ cupiditas (§. 872. *Pſych. empir.*), quæ tamen ira ſedata effunditur. Enimvero ſi quis iracundus fuerit, ubi ira deceſſit, cupiditate vindictæ adhuc flagrat, nec eam abjicit. Iracundum vernaculo ſermone appellamus Rachgierig / unde iracundia die Rachgierigkeit dici poteſt, ut vitium diſtinguatur a cupiditate vindictæ, quam Rachgier vocari paulo ante monuimus (*not.* §. 947.).

§. 953.

§. 953.

Iracundus nemo eſſe debet. Iracundus enim cupiditatem vindictæ difficulter reprimit, ſeu ab ea animum purgat (§. 952.). Quamobrem cum quilibet animum ab omni vindictæ cupiditate alienum habere debeat (§. 948.); quin nemo iracundus eſſe debeat dubitandum non eſt. (§. 722.). *Iracundia prohibita.*

Patet itaque iracundiam recte inter vitia referri (§. 222. *part 1. Phil. pract. univ.*) & vitium, hoc opponi manſuetudini (§. 950.): id quod etiam vulgo agnoſcitur, quamvis iracundum appellent, qui facile ad iram provocatur, cito tamen eandem deponit. Convenientius tamen nobis viſum eſt vocabulo tribuere eum ſignificatum, qui in definitione continetur, vi eorum, quæ ad eandem annotavimus (*not.* §. 952.).

§. 954.

Manſuetudo amori inimicorum conveniens eſt. Qui enim inimicum amat, is tædium ejus averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*), adeoque minime appetit, conſequenter a cupiditate vindictæ immunis eſt (§. 947.). Quamobrem cum manſuetus ſit, qui a cupiditate vindictæ immunis eſt (§. 950.); qui inimicum amat, manſuetus eſt. Atque adeo patet manſuetudinem amori inimicorum convenire. *Manſuetudo conveniens amori inimicorum.*

Atque hinc intelligitur, cur manſuetudo ſit virtus difficillima, quæ nonniſi inter paucos diſtributa, cum nemo inficietur amorem inimicorum eſſe difficillimum, & paucos omnino dari, qui ſincero amore inimicos complectuntur.

§. 955.

Amaritudinem vocamus vitium, quo quis cupiditatem vindictæ non ante deponere vult, quam eandem exſatiaverit. *Amaritudo quid ſit.*

Vernaculo ſermone vocamus Erbitterung & qui hoc vitio laborat, de eo dicimus, er ſey gleich ſehr erbittert. Tot hic occurrunt differentiæ, quæ pro diverſitate inclinationum naturalium varias induunt formas, ut difficulter obſerventur. Unde mirum non eſt, quod vocabulis non ſatis determinatæ reſpondeant notiones, quibus eædem indigitantur. Vulgo amaritudo appellatur, quando quis animum iratum non facile deponit, adeoque cupiditatem vindictæ, quæ ſedato iræ impetu ſupereſt, diu retinet: ut adeo idem ſignificare videatur vitium, quod nos per iracundiam indigitavimus (§. 952.), quæ vulgo pro proclivitate ad iram ſumitur. Unde amarum ſimul difficilem vocant, quando iratum deponere recuſat animum, antequam cupiditatem vindictæ exſatiaverit. Sed de differentiis iſtis dicendum nobis erit in Philoſophia morali, ubi in rationes inquiremus, cur alii cum ira ſtatim quoque omnem vindictæ cupiditatem deponant, alii eandem adhuc retineant, alii vero deponere ante nolint, quam eandem exſatiaverint. Cum in vitiis ad has potiſſimum differentias animum advertere debeamus, ut habitus pravos manſuetudini adverſos (§. 950.) diſtinguamus; nemo nobis vitio vertet, quod iiſdem aptemus vocabula, quantum datur. An quis natura ſit proclivior, an vero tardior ad iram, in hoc argumento parum refert. Ceterum quod vocabula vitiis aptemus non invito prorſus uſu loquendi, ſuo docebimus tempore in Philoſophia morali, ubi demonſtraturi ſumus, quænam a ſe invicem pendeant, & unde ſit, ut differentiæ quoad cupiditatem vindictæ pro diverſitate ſubjectorum diverſas induant formas.

§. 956.

Amaritudo legi naturæ adverſa. Qui enim hoc vitio laborat, cupiditatem vindictæ non ante deponere vult, quam eandem exſatiaverit (§. 955.). Quoniam itaque lex naturæ præcipit, ut animus noſter ab omni vindictæ cupiditate ſit alienus (§. 948.) & lex præceptiva ſimul continet prohibitivam contrarii (§. 722.); *Amaritudo legi naturæ adverſa.*

722.); legi naturæ contrariatur non ante deponere velle vindictæ cupiditatem quam eandem exſatiaveris. Atque adeo patet amaritudinem eſſe legi naturali contrariam.

Vides adeo amaritudinem eo ſenſu, quem vocabulo tribuimus, eſſe vitium (§. 322. p. 1. *Phil. pract. univ.*): id quod nobis hic ſufficit.

§. 957.

Crudelitas quid ſit.

Crudelis dicitur, qui cupidinem vindictæ non ante deponit, quam ei, qui offendiſſe videtur, quantumcunque malum inflixerit. Unde *Crudelitas* vitium eſt, quo cupidini vindictæ adeo indulgetur, ut non exſatietur niſi malo quantocunque ejus, qui offendiſſe videtur. Vernaculo ſermone dicitur die Grauſamkeit.

Crudelitatis hujus varii ſunt gradus, quorum infimus a ſupremo adeo diſtat; ut pro crudeli non habeatur, qui eſt, præſertim ubi nonniſi ex factis æſtimatur vitium, ex actu interno appetitus ſenſitivi æſtimandum. Sunt etiam rationes aliæ, quæ hominibus perſuadent, ſe ab hoc vitio maxime eſſe alienos, cui tamen maxime dediti, ſuo tempore in Philoſophia morali excutiendæ. Ita videas Phariſæos in Eccleſia Proteſtantium hodie ab inferis reſuſcitatos, qui vindictæ non ante modum ponunt, quam omnes fortunas ejus funditus everterint, qui faſtu turgidos cultu quaſi divino non dignatur, & enormiter læſi videntur hoc ſolo, quod quis in eorum caſtris militari noluerit. Quanta hæc ſit crudelitas, nemo ignorat, niſi qui diſtincta notione eam nunquam expendit.

§. 958.

Crudelitas legi naturali maxime adverſa.

Crudelitas legi naturali maxime repugnat. Etenim lex naturæ urget animum ab omni vindictæ cupiditate maxime alienum (§. 948.), conſequenter cum lex præceptiva ſimul contineat prohibitivam contrarii (§. 722.), omnium maxime prohibet, ne cupiditatem vindictæ tamdiu alamus, donec ei, qui offendiſſe videtur, quatumcunque malum inflixerimus. Quoniam itaque crudelis eſt, qui cupiditatem vindictæ non ante deponit, quam malum quantumcunque eidem inflixerit, qui offendiſſe videtur (§. 957.); quin crudelitas legi naturali maxime repugnet, dubitandum non eſt.

Facile oſtendi poterat, quod crudelitas amori inimicorum ne minimum quidem locum concedat, niſi hoc ad philoſophiam potius moralem ſpectaret. Unde facile colligitur, quanto intervallo a Chriſti diſciplina diſtent Neo-Phariſæi pietatem pompoſam ad lucrum revocantes. Sed vivis coloribus, quicquid hujus vitii eſt, depingemus in Philoſophia morali.

§. 959.

Condonare offenſam quid ſit.

Condonare offenſam dicitur, qui cupiditatem vindictæ deponit. Dicitur etiam ſimpliciter *Ignoſcere*.

Facilitas condonandi offenſam ad manſuetudinem recte refertur (§. 950.), & ideo amori inimicorum maxime convenit (§. 954.). Sed de his diſertius dicendum in Philoſophia morali. Vernaculo ſermone dicimus verzeihen / item vergeben.

§. 960.

Facilitas condonandi offenſam præcepta.

Ad condonandum offenſas faciles eſſe debemus. Etenim animum ab omni cupiditate vindictæ alienum habere debemus (§. 948.), conſequenter incenſum comprimere debemus. Quoniam itaque offenſam condonat, qui illam deponit (§. 959.); ad offenſam condonandam faciles eſſe debemus.

Digitized by Google

Urget hoc officium Chriſtus amorem inimicorum præcipiens *Matth.V.43. & ſeqq.* eidemque contraria eſt condonandi difficultas, nunc ad amaritudinem (§.955.), nunc ad crudelitatem referenda (§.957.). Hinc Neo-Phariſæi crudelitate ſua exoſi probis (*not.* §.957.), condonandi offenſas difficultate a diſciplina Chriſti ſe procul remotos produnt, cui maxime dediti videri volunt alto ſupercilio contemnentes alios tanquam ab eadem remotos.

§. 961.

Blanditiei quid ſit.

Blanditiei eſt habitus, quo actiones externas ad id unice componimus, ut placeant alteri, nulla prorſus ratione habita moralitatis earundem.

Nimirum qui hoc vitio præditus eſt, ea tantum loquitur & facit, quæ alteri placent, quia placent & ut placeant. De his actibus externis, qui blandimentorum nomine veniunt, jam diximus alias (§. 132. *part. 2. Phil. pract. univ.*): hic de eorundem moralitate agendum.

§. 962.

An blandiri aliis ſit licitum.

Blandiri aliis illicitum eſt. Qui enim aliis blanditur, is actiones ſuas ad id unice componit, ut placeant alteri, nulla prorſus ratione habita moralitatis earundem (§.961.), adeoque in aliorum gratiam committit actiones, ad quas omittendas, & ex adverſo omittit actiones, ad quas committendas obligatur, & ubi contraria ratione agit, voluntatem non determinat per bonitatem, nec noluntatem per malitatem actionis, ſed tantummodo per hoc, quod actio alteri placet, conſequenter recte non agit (§.80. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero cum obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis ſit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in nullius gratiam committere licet actionem, quæ eidem adverſatur, nec omittere actionem, ad quam committendam obligamur (§. 291. *Ontol.*), cumque ad recte agendum obligemur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam obligati ſimus, ne aliter quam recte agamus (§. 722.); nec committere licet actiones, ad quas committendas, vel omittere, ad quas omittendas obligamur, eo ſaltem fine, ut placeamus alteri. Quamobrem blandiri aliis illicitum.

Legi naturæ repugnare actiones blandientis quando ad contrarias eaſdem obligamur, v. gr. ſi quis in gratiam alterius ſcortetur, vel otio tempus tranſigat, quod ſtudiis literariis erat impendendum, nemo non agnoſcit. Enimvero ubi actio in ſe nihil habet turpis vel vitioſi, idem vulgo non agnoſcunt omnes, propterea quod falſo ſibi perſuadent, quaſi obligationi naturali ſatisfiat, ſi tantummodo actio externa eidem reſpondeat, notione rectitudinis actionis humanæ diſtinctæ & obligationis ad recte agendum deſtituti.

§. 963.

Aſſentatio quid ſit.

Aſſentari dicitur, qui quæ loquitur vel facit alter laudibus extollit, ut placeat, parum ſollicitus, num laudem iſtam mereantur. & an non potius reprobanda & reprehendenda ſint. Unde patet quale vitium ſit *Aſſentatio*. Quoniam qui alteri blanditur, actiones ſuas externas totus ad id unice componit, ut placeant alteri (§. 961.); *aſſentatio blanditiei cujuſdam ſpecies eſt.*

Vulgo aſſentatio cum blanditie in unum confunditur: hæc tamen illa multo latius patet (§. 961. & *præſ.*). Immo ſi verbis blandimur alteri, non ſemper dicta & facta ejus laudibus extollimus. Confundi etiam ſolet aſſentatio haud raro cum adulatione, quatenus etiam adulator laudibus immeritis alterum ornat (§. 892.), quouſque laudes actum quoque honorandi ingrediuntur. Enimvero aſſentator, quemadmodum qui blanditur alteri, id potiſſimum ſibi propoſitum habet, ne alterum offendat, cum ex adverſo adulator alterius gratiam ac favorem aucupetur utilitatis propriæ gratia.

§. 964.

Digitized by Google

§. 964.

Aſſentatio illicita. Quoniam aſſentatio blanditiei cujuſdam ſpecies eſt (§. 963.), blandities vero illicita (§. 962.); *aſſentatio* quoque *illicita eſt*.

Quoniam aſſentatio effuſis plerumque laudibus extollit facta & dicta aliena, ut non offendendi animus a veritatis ſtudio alienus ſtatim appareat; aſſentationem in omni caſu illicitam eſſe facilius appatet, quam blanditiem (*not.* §. 962.), quippe obligatio naturalis non urget niſi laudes promeritas (§. 648.) & veracitas, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, exigit verborum cum judicio interno conſenſum.

§. 965.

Moroſitas quid ſit. *Moroſus* dicitur, cui nihil recte factum vel dictum videtur, quod faciunt, vel dicunt alii. Unde *Moroſitas* vitium eſt, quo nimia in aliorum dictis & factis exactitudo requiritur.

Vernaculo ſermone vocatur Eigenſinnigkeit, quemadmodum aſſentatio Liebkoſung, adulatio Schmeicheley, blandities Schmeichelhaftigkeit, vulgo vocabulo generaliori Heucheley dicitur; quia blandiri alicui einem heucheln dicimus. Opponitur adeo moroſitas blanditiei tanquam vitium in defectu vitio in exceſſu.

§. 966.

Cur moroſo curæ non ſit, num alios offendat. *Moroſus parum curat, num alios offendat*. Etenim nihil ipſi recte factum vel dictum videtur, quod faciunt, vel dicunt alii (§. 965.), adeoque in omnibus habet, quod reprehendat: id quod cum moleſtum accidere ſoleat aliis, quemadmodum facile experiri datur, alios facile offendit (§. 936.). Quoniam tamen hoc non obſtante moroſitati non nuncium mittit; parum curat, num alios offendat.

Atque hinc clarius intelligitur, cur in defectu peccet moroſus, quemadmodum blandus in exceſſu. Hic enim nimium ſibi cavet, ne forſan alios offendat; aſt ille prorſus non curat, utrum alios offendat, nec ne. Qui adulationem a blanditie & aſſentatione non diſtinguunt, moroſitatem adulationi opponunt. Inconſtantia enim loquendi in cauſa eſt, ut, qui fixos vocabulis tribuere voluerunt ſignificatus, in iis determinandis non prorſus conſentiant. Quodſi ergo eadem, qua uſi ſunt alii, libertate utamur, nemo in nobis reprehendet, quod fert in aliis.

§. 967.

Moroſitas illicita. *Nemo moroſus eſſe debet*. Nemo enim alterum offendere debet (§. 939.), conſequenter cuilibet curæ cordique eſſe debet, ne offendat alios. Quoniam itaque moroſus parum curat, num alios offendat (§. 966.); nemo moroſus eſſe debet.

Moroſitas exoſa omnibus eſt, multumque ſibi nocet, qui hoc vitio præditus, quatenus aliorum animos a ſe alienat, ut, ſi alii non fiant inimici, indifferenti tamen in eum ſint animo. Sed de hiſce diſertius dicemus in Philoſophia morali. Sufficit hic excitaſſe attentionem lectoris, ut vitii hujus turpitudinem intimius ac facilius perſpiciat.

§. 968.

Digitized by Google

§. 968.

Honeſtas eſt virtus, qua prompti ſumus ad agenda ea, ad quæ agenda obligamur, & quæ jure noſtro agere poſſumus, ad ea vero agenda, ad quæ omittenda obligamur, & quæ nullo jure fiunt, committenda nos adduci minime patimur. Spectatur inprimis in officiis erga ſeipſum & in officiis imperfectis erga alios, & hinc ſenſu reſtrictiori opponitur Juſtitiæ, quam latiori ſub ſe comprehendit. Atque hinc *honeſte vivere* dicitur, qui actiones ſuas liberas omnes etiam citra reſpectum ad jus perfectum alterius ad normam legis naturalis componit, hac ſola de cauſa, quod ſic determinatæ eidem conveniant. *Honeſtas quid ſit.*

Honeſtas igitur ſubſe complectitur, quicquid virtutis eſt, ut adeo involvat propoſitum virtuti omni ſatisfaciendi. Dici adeo poterat conſtans & perpetua voluntas non faciendi niſi ea, quæ virtutis ſunt, nec omittendi niſi quæ vitii ſunt. Qui adeo honeſtus eſt, etiam juſtus eſt, quatenus actiones juſtæ legi naturali conveniunt; ut adeo honeſtas etiam ſpectetur in actionibus juſtis, quatenus virtutis ſunt. Clariora hæc evadent ex Philoſophia morali, ubi motiva expendemus, per quæ determinatur voluntas ad agendum & noluntas ad non agendum. Cum *Ulpianus* juſtitiam definit per conſtantem & perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi (*not. §. 927.*), honeſtatem ab ea minime ſeparat.

§. 969.

Honeſte vivendum. Quoniam enim obligatio, quæ a lege naturali venit, neceſſaria & immutabilis eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & jus naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi huic ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ea facere debemus, ad quæ agenda obligamur, & quæ jure noſtro agere poſſumus, ex adverſo autem ea omittere, ad quæ omittenda obligamur, & quæ nullo jure fiunt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ad hæc ommittenda nulla ratione nos adduci pati debemus. Enimvero qui hoc facit, honeſtus eſt, ac honeſte vivit (§. 968.). Honeſte adeo vivendum. *Honeſtas præcepta.*

Videmus hinc, cur *Ulpianus l. 10. ff. de J. & J.* tria dicat eſſe juris præcepta: *Honeſte vivere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere.* Hiſce enim contineri omnium hominum obligationes iiſdemque reſpondentia jura manifeſtum eſt. Etenim ſi honeſte vivis, nihil deſideratur quoad officia humanitatis erga alios, & quoad officia erga teipſum. Si neminem lædis, nihil facis contra jus perfectum alterius, adeoque nemini injuriam facis (§. 859.). Si denique ſuum cuique tribuis, ea facis, quæ debes aliis, juſtus in omnibus actionibus, quæ ut committantur, aliis intereſt (§. 926. 925.). Quamobrem nec quicquam deſideratur in actionibus tuis quoad officia perfecta erga alios (§. 663.). Præter officia erga teipſum & officia erga alios perfecta & imperfecta non dantur alia, quæ inter homines ſpectantur. Quamobrem qui honeſte vivit, neminem lædit & ſuum cuique tribuit, omnes officii ſui partes tum reſpectu ſui ipſius, tum reſpectu aliorum adimplet, adeoque in foro humano non datur, quod juſtam querendi de altero cauſam dare poſſit. Nemo nocet ſibi, nemo aliis, ſed unusquiſque & ſibi, & aliis prodeſt. Ex his igitur tribus generalibus præceptis, tanquam ex fontibus, deducuntur omnes leges, etiam civiles; quarum adeo ratio inde petenda moralis (§. 134. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). In Juriſprudentia adeo civili ſumi poſſunt ac debent tanquam principia, unde deducantur cetera; in naturali autem demonſtranda ſunt, quemadmodum a nobis factum (§. 695. 694. & *præf.*). Videmus adeo juriſprudentiam civilem præſupponere naturalem, ita ut ſine hac in iſta tuto pede progredi non poſſis: neque enim principia, unde deſumendæ ſunt legum civilium rationes ultimæ, ſatis intelligit, multo minus æternam earundem veritatem perſpicit, niſi qui in Jure naturali fuerit verſatus. In nobiſmetipſis requiritur honeſtas, quoad alios juſtitia, quæ non modo agere præcipit, quod bonum eſt reſpectu aliorum, verum etiam, ne agamus, prohibet, quod malum eſt. Hinc demum intelligitur, cur *Ulpianus l. 1 ff. de J. & J.* dicat JCtos, quos *Juris ſacerdotes* appellat, veram philoſophiam, non ſimulatam affectare, quoniam ſcilicet a nulla actione abeſſe volunt honeſtatem, ita ut quæ juſtitiæ particularis ſunt, vi cujus ſuum cuique tribuitur, & nemo læditur, faceres, etiamſi impune contrarium fieri liceret, nec quiſquam te ad ſuum alteri tribuendum compellere poſſet.

§. 970.

Inhoneſtas quid ſit. *Inhoneſtas* eſt vitium, quo quis promptus eſt ad ea agenda, ad quæ non agenda obligatur, quæque nullo jure facere poteſt, & ad non agenda, ad quæ agenda obligatur. Unde *inhoneſte* vivere dicitur, qui actiones ſuas legi naturali contraria ratione determinat, conſequenter qui vitiis deditus eſt. Actiones adeo ſpectantur tanquam inhoneſtæ, quatenus ſpectantur tanquam lege naturali prohibitæ, ſeu obligationi agentis adverſæ, citra reſpectum ad alios.

Ita inhoneſte vivunt, qui vitiis toti dediti contra officia inprimis erga ſeipſum & contra officia humanitatis ſeu imperfecta erga alios faciunt. Et in ipſis officiis erga alios ſpectatur inhoneſtas, quatenus conſiderantur tanquam actiones obligationi tuæ adverſæ. Quamobrem cum præter obligationem generalem, quæ omnium hominum communis eſt, dentur etiam ſubinde obligationes particulares vel ſingulares, quæ in agente generali ſeu communi ſuperaccedunt; actio injuſta magis reprobatur tanquam inhoneſta, & qui de injuſtitia alterius querelas movere poterant, potius conqueruntur de inhoneſtate ipſius, eandemque ipſi exprobrant. Falluntur adeo qui honeſtatem ad ſola officia erga ſeipſum & inhoneſtatem ad actiones iisdem oppoſitas ſeu peccata in ſeipſum admiſſa reſtringunt.

§. 971.

Inhoneſtas prohibita. *Inhoneſte vivendum non eſt.* Vivendum eſt honeſte (§. 969.). Quamobrem cum lex præceptiva ſit ſimul prohibitiva contrarii (§. 722.), inhoneſtas autem honeſtati contraria ſit (§. 968. 970.); inhoneſte vivendum non eſt.

Inhoneſtas adeo recte inter vitia refertur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conveniens iis, qui parum curant, utrum actio aliqua ſit legi naturali conveniens, nec ne, modo adſit aliqua ratio, quæ appetitum ſenſitivum movet ſub ratione boni. Vernaculo ſermone honeſtum appellamus ehrlich/ inhoneſtum unehrlich/ aut mitius loquendo nicht ehrlich/ quaſi inter haneſtum & inhoneſtum detur aliquod medium, propterea quod inhoneſtatis plurimi dantur gradus, ut, quod ab honeſtate recedit, nunc minori, nunc majori intervallo diſtet.

§. 972.

Defenſio ſui quid ſit. *Defendere ſe* dicitur, qui lædere intendenti ſeu conanti reſiſtit, ne ſcilicet lædere poſſit, aut ut læſionem, quantum in ſe eſt, avertat. Unde *Defenſio* eſt actio, qua reſiſtitur læſionem intentanti, conſequenter aliquid agenti, ſeu nunc agere volenti, quo nos lædat.

E. gr. Ponamus alterum ſtricto gladio accurrere, ut vulnus corpori tuo infligat. Te igitur lædere intendit (§. 727.). Quodſi ergo & ipſe gladium ſtringis, & vim vi repellis, te defendis.

§. 973.

Jus defenſionis aſſertum. *Homini competit jus ſe defendendi.* Competit eidem jus a quocunque exigendi, ne ipſum lædat, & ubi lædere conatur, eundem cogendi, ne faciat (§. 914.), conſequenter eidem reſiſtendi, ne lædere poſſit, aut, ut læſionem, quantum in ſe eſt, avertat (§. 727. *Ontol.*). Quamobrem cum ſe defendat, qui lædere intendenti ſeu conanti reſiſtit, ne ſcilicet lædere poſſit, aut ut læſionem, quantum in ſe eſt, avertat (§. 972.); homini competit jus ſe defendendi.

Pertinet jus defenſionis ad jus commune, quod ex natura hominis & brutorum communi fluit (§. 162. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hinc imago hujus juris conſpicitur etiam in animantibus

tibus brutis; quæ ſingula ſuo modo læſionibus reſiſtunt. Dedit ideo natura brutis non modo arma & vires, quibus ſe defendunt; verum etiam appetitum ſenſitivum generaliter determinavit ad uſum eorundem, ut *Lucretius* & *Martialis* bene jam monuerint, cornua nota prius vitulo quam frontibus extant, & eum inani fronte prurire ad pugnam. Hæc appetitus generalis determinatio eſt id, quod *Inſtinctum naturalem* dicere ſolemus. Ut adeo appareat, *dari in omni animantium genere inſtinctum naturalem ſeſe defendendi, quem homo cum ipſis communem habet.* Noſtrum jam non eſt recenſere arma, quæ dedit animantibus natura, cum hæc notiora ſint, quam ut iis recenſendis immoremur, etſi non in omni animantium genere, attamen in bene multis. Ecquis enim neſcit leoni & felibus eſſe ungues, bobus & cervis cornua, apris & canibus dentes, quibus unumquodque animal utitur ſuæ naturæ convenienter? Quis eſt qui ignoret, animantibus, quibus nulla natura conceſſit arma, hoc tamen dediſſe, ut fuga ſibi conſulere poſſint? Exemplo ſunt lepores & aviculæ. In rationem diverſitatis inquirere Phyſici eſt, ubi ad ſpecialiſſima progredi voluerit. Et nonnulla horum ſaltem diſcutienda ſunt, ubi inſtinctum naturalem, quo haud raro abutuntur Scholaſtici, eum in qualitatem occultam convertentes, intelligibili modo explicare, & a contemtu modernorum Phyſicorum vindicare, tum etiam ubi in Theologia in fines rerum naturalium inquirere, tum denique ubi in perfectionem naturæ unicuique animanti propriam inquirere volueris. Pertinent enim hæc omnia ad interiorem & fructuoſam naturæ cognitionem, quæ non minus Philoſophis curæ cordique eſſe debebat, quam Geometris naturæ cognitio mathematica. Inſtinctus naturalis ſeſe defendendi nonminus in homine, quam in brutis ſe prodit. Et quamvis homo animal maxime inerme videatur, cum natura ipſi negaverit arma, quæ dedit brutis, neque omnibus conceſſit robur, quod nec in defenſione uſui foret, ſi ſingulis eſſet idem; dedit tamen manus & ingenium, ut armis ſibi parandis & tractandis aptus ſit, & minus robuſtis in præſidium dedit robuſtiores. Robur alienum ſupplet defectum proprii.

§. 974.

Quoniam homini competit jus ſe defendendi (§. 973.); *qui ſe defendit, hoc jure ſuo facit*, conſequenter cum licitum ſit, ad quod agendum jus habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *defenſio ſui licita eſt.* *Defenſio ſui licita.*

Quando itaque Chriſtus *Matth.* V. 39. præcipit, ne reſiſtamus malo ſive injuriis, defenſionem ſui minime prohibet, ſed vindictæ ſaltem cupiditatem coerceri jubet (*not.* §. 948.).

§. 975.

Si quid facis jure tuo, nemini injuriam facis. Per ſe patet, ſi quid jure tuo facis, tibi competere jus hoc faciendi, conſequenter nemini competere poſſe jus te impediendi, quo minus jure tuo utaris (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quid jure tuo facis, fieri non poteſt ut quid facias contra jus perfectum alterius (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque alteri injuriam non facit, qui contra jus alterius nil facit (§. 859.); ſiquid jure tuo facis, nemini injuriam facis. *Uſu juris ſui nemini fieri injuriam.*

Notiſſima regula eſt: *Si jure meo utor, tibi injuriam non facio.* Hic ergo oſtenditur, eam eſſe juris naturalis. Dantur ſubinde nonnulli, qui ſibi perſuadent, quaſi ſibi vel aliis injuriam faciat, qui de jure ſuo nil remittit. Enimvero per propoſitionem præſentem patet, parum juſtas eſſe, quas movent, querelas. Ne tamen regula in abuſum trahatur, in caſu particulari probe perpendendum, num revera tibi jus competat, ne tibi quoddam jus imagineris, quod non eſt. Si verum fuerit jus, fieri haud quaquam poteſt, ut obligationi cuidam tuæ ſive adverſus teipſum, ſive adverſus alios repugnet: id quod ex collatione notionum juris & obligationis (§. 118. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*) facile colligitur. Sed hic quoque negligendum non eſt, num obligatio erga teipſum & obligatio erga alios inter ſe collidantur, ubi uſus juris tui videtur contrariari obligationi erga alterum. Ex poſtea demonſtrandis hæc manifeſta evadent. Hæc tantummodo hic monere volui, ne quis inanes difficultates faceſſat contra regulam in ſe evidentem. Occurrunt enim caſus, in quibus non ſatis acuti hærent, quid ſtatuere debeant.

§. 976.

Defenſio ſui non eſt injuria. Quoniam tibi competit jus te defendendi adverſus alterum (§. 973.), ſi vero jure tuo quid facis, alteri injuriam non facis (§. 975.); *ſi te adverſus alterum defendis, injuriam ipſi minime facis.*

Sunt ſubinde, qui ſibi perſuadent, quaſi injuria ipſis fiat, ſi te adverſus injurias ipſorum defendis, neſcio quam prærogativam ſibi arrogantes lædendi alios. Sunt etiam qui patientiam in nimium extendunt, ubi alios ſeſe defendentes judicant, licet ipſi ne minimam quidem offenſionem ferre poſſint. Sed hi ſunt, qui principia juris naturalis diſtincte non cognoſcunt.

§. 977.

Jus infinitum quodnam ſit. *Jus infinitum* dicitur, cui in genere non præſcribi poſſunt limites, ſed cui demum limites præfiguntur ex circumſtantiis præſentibus.

Nimirum cum jus ſit facultas agendi moralis (§. 156. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*), vi cujus quædam licite facere poſſis (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ubi de jure agitur, quæſtio eſt, quænam licite vi ejuſdem facere poſſis. Quodſi ergo in genere ad hanc quæſtionem reſpondere non detur, cum nunc plus liceat, nunc minus pro diverſitate circumſtantiarum; jus dicitur infinitum. Eodem fere ſenſu *Euclides* lineam rectam infinitam vocat, quæ quanta eſſe debeat, in genere definiri nequit, ſed ubi ex circumſtantiis demum caſus præſentis determinandum, quanta eſſe debeat, cum nunc major, nunc minor eſſe poſſit, ut ſatisfaciat longitudo quæſito. Tanta nimirum deprehenditur varietas, ut diverſitas omnis ad certum numerum revocari minime poſſit.

§. 978.

Jus ſe defendendi infinitum. *Jus ſe defendendi infinitum eſt.* Qui enim ſe defendit, lædere conanti reſiſtit, ne ſcilicet lædere poſſit alter, aut ut læſionem, quantum in ſe eſt, avertat (§. 972.), conſequenter tanquam finem intendit defenſione ſui, ut læſionem avertat (§. 616. 617. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque homini competit jus ſe defendendi (§. 973.); ea omnino ipſi facere licet, quæ ut fiant neceſſe eſt, ne lædatur ab altero, ſeu ut a læſione immunis evadat (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Hunc vero finem non ſemper eadem facilitate obtinere licet, quemadmodum vel a poſteriori conſtat, adeoque neceſſe eſt, ut nunc ejus conſequendi gratia plus liceat, nunc minus. Quamobrem cum juri defenſionis in genere nulli præfigi poſſint limites, ſed hi demum determinandi ſint ex circumſtantiis præſentibus; jus defendendi ſeſe infinitum eſt (§. 977.).

Etſi late patere videantur limites juris defenſionis, in dato tamen caſu adeo arcti ſunt, ut eos tranſiliendo jure tuo facile abutaris. Tanto autem facilius eſt tranſilire limites, ubi cupiditas vindictæ animum invadit, quæ nihil moderabile ſuadet. Cum longe difficillimum ſit ab ea in conflictu cum adverſario liberare animum; vix eſt quod homines ſibi temperent in defenſione ſui, adeoque uſus juris defenſionis tantum non ſemper conjunctus eſt cum abuſu.

§. 979.

Aggreſſor quinam ſit. *Aggreſſor* dicitur, qui te lædere conatur.

Ita aggreſſor dicendus eſt, qui, cum te in plateas euntem conſpicit, ſtricto gladio accurrit, & vulnus corpori tuo infligere tentat. Similiter aggreſſor dicendus, qui famam tuam læſurus te calumniatur.

§. 980.

Digitized by Google

§. 980.

In aggreſſorem tantumdem tibi licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit. Etenim aggreſſor te lædere conatur (§. 979.). Quamobrem cum tibi competat jus te defendendi (§. 973.), te autem defendas, ſi lædere conanti reſiſtis, ne lædere poſſit, aut læſionem, quantum datur, arceas (§. 972.); aggreſſori reſiſtere licet, ne lædere poſſit, aut ut læſionem, quantum datur, avertas. Quoniam vero hoc jus infinitum eſt (§. 978., conſequenter limites ex circumſtantiis præſentibus determinandi (§. 977.); in aggreſſorem tantundem tibi licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit. *Quantum liceat in aggreſſorem.*

Quodſi ergo durius patiatur malum, hoc non tibi, ſed ſibi imputare debet, qui te coegit mediis durioribus uti, lenioribus minime ſufficientibus.

§. 981.

Medium ſe defendendi lenius dicitur, quibus minus malum infertur aggreſſori: *durius*, quibus infertur majus. *Leniſſima ſunt*, quibus malum nullum actu infertur. *Media ſe defendendi duriora & leniora.*

Ita vulnus minus malum eſt morte. Quamobrem lenius medium eſt vulnerare alterum, quam interficere. Minus malum eſt dolor, qui percipitur ex verberibus, quam vulnus. Quare levius medium eſt alterum verberare, quam vulnerare. Minis nullum malum actu infertur, adeoque medium leniſſimum ſunt.

§. 982.

Si leniora media, immo leniſſima defenſioni ſufficiunt, non utendum durioribus. Etenim in aggreſſorem tantundem tibi licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980.), adeoque in eundem non plus licet, quam defenſioni ſufficit (§. 972.). Quodſi ergo læſionem arcere poſſis minus malum inferendo aggreſſori, nec opus eſt majore, immo ſi nullum malum actu inferendo læſionem arcere poſſis; in priore caſu non licet inferre malum majus, neque in poſteriori actu ullum inferre licet. Quamobrem cum medium ſeſe defendendi lenius ſit, quo minus malum infertur, & leniſſimum, quo nullum; durius autem, quo infertur majus (§. 981.); quamdiu leniora media, immo leniſſima defenſioni ſufficiunt, non utendum durioribus. *Quænam media in defenſione ſui licita.*

Jubet nimirum charitas, ſuadet animus a vindictæ cupidine alienus, ne ullum alteri inferas malum, quemadmodum ex notione charitatis & animi a vindictæ cupidine alieni facile oſtenditur. Neque tibi licet malum inferre alteri, niſi quatenus abſque eo læſionem arcere minime potes. Quamobrem jus tibi nullum eſt alteri malum quoddam inferendi, niſi quatenus defenſio tui hoc exigit. Quamobrem cum te defendere potuiſſes inferendo minus, quod ultra facis, abſque ullo jure facis, conſequenter facere non licet (§. 170 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Peccas igitur, ubi mediis durioribus uteris, dum leniora, immo leniſſima profunt. Nemo eſt, qui hæc non facile capiat, & ſecum hac ratione agi velit. Praxis tamen admodum difficilis, præſertim ubi affectibus perturbatur animus, ut impeditur attentio, ſine qua de mediorum uſu probabile non ſit judicium.

§. 983.

Quoniam mediis lenioribus, immo leniſſimis defenſioni ſufficientibus, non utendum eſt durioribus (§. 982.) an vero leniora, immo leniſſima ſufficiant, vix certus eſſe potes, niſi experiaris, *primò utendum eſt in defenſione ſui mediis* *Quomodo iis utendum.*

Digitized by Google

lenioribus, immo leniſſimis, antequam ad duriora progrediaris, & cum in ſingulis dentur gradus, a gradu nonniſi inferiori ad ulteriorem aſcendendum.

Quæ ad praxin ſpectant, trademus ſuo tempore partim in Philoſophia morali, partim in civili. Ceterum hinc intelligitur, quomodo accipienda ſint, quæ dicit *Florentinus l.3. ff. de J. & J.* Jure hoc evenit, ut, quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Nimirum ſupponendum eſt in caſu dato, ea ob tutelam corporis fieri debuiſſe, neque hanc alio medio leniori obtineri potuiſſe. Quod enim JCti Romani quoque agnoverint, non plus licere defenſori quam defendendi ſui cauſa fieri neceſſe ſit; haud obſcure conſpicitur ex *l. 5. ff. ad leg. Aquil.* ubi *Ulpianus* pronunciat, ſi quis furem, cum poſſet apprehendere, maluit occidere, injuria feciſſe eum videri. Sui defendendi cauſa licet quodvis, ſed quod defendendi cauſa fieri neceſſe eſt. Hæc quæ de limitibus Jure ſeſe defendendi dicuntur, probe tenenda ſunt. Etſi enim hic jus defenſionis ſpectetur nonniſi in ſtatu naturali, qui libertatis eſt, & ubi nemini ratio ejus, quod fecit defenſor, reddenda; ex hiſce tamen principiis ſuo loco definiendum, quid juſtum ſit in ſtatu civili, ut ad hanc normam exigantur leges, quæ de eadem proſtant poſitivæ, & quid juſtum ac licitum ſit inter Gentes, ubi ad Jus Gentium explicandum accedemus. Non hic dicuntur, quæ a mente JCtorum Romanorum aliena ſunt, quippe qui ipſi rationem reddituri eorum, quæ in aggreſſorem licent, ad Jus naturale provocant, veluti cum *Gajus l. 4. ff. ad L. Aquil* rationem redditurus, quod ſervum tuum latronem mihi inſidiantem occidere liceat: adverſus periculum, ait, naturalis ratio permittit ſe defendere. Ex naturali adeo ratione definiendum, quid in defenſione ſui pro datis circumſtantiis liceat.

§. 984.

Ordo in defenſione ſui tenendus. Quoniam in defenſione ſui mediis durioribus non utendum, niſi ubi leniora non ſufficiunt; *ſi injuriam, quam intentat alter* (generaliter ſcilicet dictam), *arcere potes verbis amicis, non ſeria opus eſt dehortatione; ſi hæc ſufficit, non opus eſt minis; ſi minæ ſufficiunt, non recte vi propulſatur, &, ſi vis quæcunque minor ſufficit, non adhibenda eſt vis major.*

Hinc in caſu dato ex circumſtantiis facile definies, quantum liceat, ubi vero manifeſtum non eſt, quidnam ſufficiat, & nec in mora vel minimum periculum adeſt præſentiſſimum, vi eorum, quæ antedmanaged diximus (§. 983.), tentanda ante ſunt leniora, quam ad duriora progrediaris. In caſu enim dubio ſui magis, quam aggreſſoris habenda ratio. Ceterum ex dictis facile colligitur, jus ſeſe defendendi menſuram ſuam accipere non ex magnitudine læſionis ſeu injuriæ, quam alter intentat, ſed ex fine, qui per defenſionem intenditur, & in propulſando periculo læſionis intentatæ conſiſtit (§. 972.). Ipſa autem ſapientia, ad quam acquirendam obligamur (§ 254.), jubet media eligi ad finem conſequendum apta (§. 683. *Pſych. rat.*).

§. 985.

An defenſioni ſeſe opponere licitum. *Quicquid aggreſſor facit, dum defenſioni licitæ ſeſe opponit, id licitum non eſt, ſed injuſtum eſt.* Quoniam enim tibi competit jus te defendendi (§. 973.) & defenſio adeo licita eſt, quamdiu limites illius non excedis, ſed jure tuo uteris (§. 974. 980. & *ſeqq.*), aggreſſor vero in uſu juris tui te impediendi jus nullum habet (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quando ſe opponit defenſioni licitæ, id nullo jure facit, conſequenter quicquid ſe opponendo facit, id licitum non eſt. *Quod erat primum.*

Porro quoniam quamdiu intra defenſionis licitæ terminos te contines, jure tuo uteris *per demonſtrata*; quicquid aggreſſor facit, dum defenſioni licitæ ſeſe opponit, id contra jus tuum fit (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem injuſtum eum fit, quicquid fit contra jus perfectum alterius (§. *cit.*); quicquid aggreſſor facit, dum defenſioni licitæ ſeſe opponit, injuſtum eſt. *Quod erat alterum.*

Erunt forſitan, quibus paradoxum videbitur, defenſioni licitæ ſeſe opponere non modo illicitum, ſed & injuſtum eſſe, propterea quod adverſus vim defenſoris vi ſeſe tueri debeat. Enimvero quamprimum aggreſſor defendenti ſeſe non opponit, ceſſat quoque defenſio, ubi a læſione, quam intentat, abſtinet: ad quod faciendum obligatur (§. 695.) Nulla amplius opus

eſt

eſt defenſione; nec ullum quoque alteri ſeſe defendendi jus eſt. Quamvis adeo propoſitio præſens nullius utilitatis videatur; ſuo tamen loco contrarium patebit, tum ubi de bello publico, tum ubi de executione a judice decreta agetur.

§. 986.

Quicquid alius quicunque in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponens facit, id licitum non eſt, ſed injuſtum & ſeſe opponendo tibi injuriam facit. *An aggreſſori opem ferre liceat.* Quoniam jure tuo uteris, dum te defendis (§. 974.); qui defenſioni licitæ tuæ ſeſe opponit in gratiam aggreſſoris te impedire conatur, quo minus jure tuo utaris. Quoniam vero nemo hominum habet jus impediendi alterum, quo minus jure ſuo naturali utatur (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quicunque in gratiam aggreſſoris defenſioni licitæ tuæ ſeſe opponit, hoc nullo jure ſuo facit. Quamobrem cum licitum non ſit, ad quod agendum jus nullum habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quicquid alius quicunque in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponens facit, id licitum non eſt. *Quod erat primum.*

Qui ſe in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni opponit, te in uſu juris tui impedire conatur *per demonſtrata*. Quicquid igitur in ejus gratiam facit, id omnem fit contra jus tuum perfectum (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quicquid contra jus tuum perfectum fit, injuſtum eſt (§. *cit.*). Injuſtum igitur eſt, quicquid alius quicunque in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponens facit. *Quod erat ſecundum.*

Quicquid alius quicunque in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponens facit, id omne contra jus tuum perfectum fit *per demonſtrata*. Quoniam itaque injuria generaliter dicta eſt actio omnis, quæ eſt contra jus perfectum alterius (§. 859.), conſequenter qui iſtiuſmodi actionem edit, injuriam tibi facit; quicunque ſeſe defenſionis tuæ licitæ in gratiam aggreſſoris opponit, injuriam tibi facit. *Quod erat tertium.*

Principium hoc probe tenendum eſt, erit enim uſui tum in nonnullis juribus & obligationibus demonſtrandis, quæ ad ſtatum civilem ſpectant, tum etiam in Jure Gentium, ubi definiendum, quandonam aliis bello implicitis auxilium ferre liceat. Ex juribus enim & obligationibus connatis deſcendunt omnia acquiſita, quemadmodum ex ſequentibus manifeſtum erit.

§. 987.

Quicunque alius in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponit, in eum eadem licent, quæ in aggreſſorem. *Quid liceat in eum, qui aggreſſorem juvat.* Quoniam enim qui in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponit, cauſam hujus agit, hic vero te lædere conatur (§. 979.); ipſe quoque læſionem tuam intendit, ſi non ſemper directe, attamen indirecte (§. 621. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Cum aggreſſore igitur eodem loco habendus. Quicquid adeo in aggreſſorem licet (§. 980.); idem quoque licet in alium quemcunque in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponentem.

Finis defenſionis eſt arcere injuriam, quam intentat alter (§. 972.). Qui defenſioni tuæ ſeſe opponit in gratiam aggreſſoris, is impedire vult, quo minus finem, quem licite intendis (§. 973.) conſequaris. Quamobrem cum ex fine menſuram accipiat jus defendendi (*not.* §. 984); jus defenſionis, quod tibi in aggreſſorem competit (§. 980.), æqualiter extenditur ad alium quemcunque, qui in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponit. Non eſt quod excipias, non plus tibi licere in eum, qui ſeſe defenſioni tuæ licitæ opponit, quam quantum ſufficit, ne ſe opponere amplius poſſit. Quemadmodum enim per ſe patet, quod ceſſet jus tuum, quamprimum ſeſe non amplius defenſioni tuæ opponit, ſed aggreſſori rem ſuam agere ſoli relinquit; ita non minus liquet, quamdiu ſeſe in gratiam aggreſſoris opponit, ſpectandum eſſe periculum tibi ab aggreſſore imminens, non vim, quam hic intentat: unde cum ex fine menſuram accipiat jus defenſionis, quicquid ejus eſt ex periculo imminente metiendum. Si

durum

durum ipſi vel aliis videatur, quod ſentit ex facto ſuo, malum; non tibi, ſed ſibi imputet, quod nullo jure ſuo, injuria vero tua periculo huic ſeſe expoſuerit. In defenſione dura ſubinde, immo injuſta videntur, quæ non ſunt, propterea quod jus defendendi ſeſe ex eo metiri velimus, ex quo metiendum non eſt. Probe igitur perpendenda ſunt, quæ hic demonſtrantur, ne inanes difficultates faceſſamus in caſibus particularibus, ubi circumſtantiæ non attendendæ non ſatis acutos perplexos reddunt.

§. 988.

Obligatio impediendi læſionem alterius.

Quilibet homo obligatur ad impediendum, ne quis lædatur ab aliis, quantum in poteſtate ſua eſt. Unuſquiſque enim hominum obligatur ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam ad impediendam imperfectionem alterius, quantum in poteſtate ſua eſt. Quoniam itaque alterum lædit, qui alterum ſeu ſtatum ejuſdem imperfectiorem reddit (§. 669.); quilibet obligatur ad impediendum, ne quis lædatur ab alio, quantum in poteſtate ſua eſt.

Quemadmodum ipſe neminem lædere debes (§. 695.); ita nec pati debes, ut quis lædatur ab alio, ſiquidem in poteſtate tua fuerit hoc impedire: neque enim obligatio extendenda ultra id, quod tibi poſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc reſtrictio vero ſatis prodit anteriorum gnaro, officium hoc ad officia humanitatis pertinere, ut adeo non opus ſit idem prolixius demum demonſtrari.

§. 989.

Jus obligationi iſti reſpondens.

Quoniam quilibet homo obligatur ad impediendum, ne quis lædatur ab alio, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 988.), lex autem naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *homini* quoque *cuilibet natura competit jus ad eos actus, quibus impedire poteſt, ne quis lædatur ab altero.*

Per ſe intelligitur, actus illos non in ſe illicitos eſſe debere, cum alias obligationi cuidam tuæ erga teipſum, vel erga alios repugnarent: quo in caſu dicendum, in poteſtate tua non eſſe ut impedias, quo minus alter lædatur. Talia ſubinde monenda ſunt, ne quidam excuſatius cavillari ſibi videantur, qui ſibi præclarum quid feciſſe videntur, ubi habent, quod in aliorum dictis reprehendant.

§. 990.

Jus & obligatio defendendi alterum.

Homini non modo competit jus defendendi alterum, quantum poteſt; verum etiam obligatur ad defendendum alterum, quantum in poteſtate ſua poſitum, ſi ipſe ſibi defendendo non ſufficit. Etenim homini cuilibet competit jus ad eos actus, quibus impedire poteſt, ne quis lædatur ab altero (§. 989.). Quamobrem cum alterum defendat, ſi impedit, quo minus ab altero lædatur, qui eum lædere intendit (§. 972.); homini cuilibet competit jus defendendi alterum, quantum poteſt. *Quod erat unum.*

Porro quilibet homo obligatur ad impediendum, ne quis lædatur ab alio, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 988.). Enimvero alterum defendit, qui impedit, quo minus ab eo lædatur, qui eum lædere conatur, ſeu læſionem intentat (§. 972.). Quilibet adeo homo alterum defendere obligatur, quantum in poteſtate ſua eſt, ubi alter defenſioni ſuæ non ſufficit. *Quod erat alterum.*

Videbimus adeo defenſionem alterius non modo licitam, verum prorſus debitam eſſe eo in caſu, ubi alter eadem indiget, eademque in tua poteſtate eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque poſterius eſt, quod vulgo dicitur, ferendum non eſſe, ut innocens opprimatur, ſed ipſi omni modo eſſe ſuccurrendum. Cum natura hominibus ſingulis æquales negaverit vires, hoc ipſo conſuluit debilioribus, quod eos tutelæ aliorum commendaverit, quemadmodum jam ſupra indigitavimus (*not.* §. 973.).

§. 991.

Digitized by Google

§. 991.

Quoniam itaque qui defendit alterum, hoc jure ſuo facit (§. 990.), ſi quis vero jure ſuo quid facit, nemini injuriam facit (§. 975.); *qui alterum defendit, quantum poteſt, nemini, conſequenter nec ei, adverſus quem ipſum defendit, injuriam facit.* *Defenſio alterius omni injuria vacat.*

Nihil fere frequentius accidit, quam ut defenſionem alterius injuriam interpretentur alii, quaſi qui alterum defendit, ſe rei alienæ immiſcuerit, ad ipſum minime pertinenti. Ergo igitur maxime erat, ut præjudicium hoc exſtirparemus. Ceterum diverſa longe ratio eſt lædentis & adverſus injurias ejus ſeſe defendentis. Ille nullo jure læſionem intentat alteri; hic vero jure ſuo ſeſe defendit. Quamobrem illi opem ferre non licet ſine injuria in defenſdentem; huic autem abſque ulla injuria in lædere conantem auxilium fertur. Commendat tibi natura eum, qui defenſione tua indiget; prohibet vero, ne adjuves alterum, qui læſionem innocenti intentat. Ratio diſpar adeo manifeſta eſt, ut eam non videat, niſi qui in luce meridiana cæcutire voluerit.

§. 992.

Qui ſe defendit, mali, quod ſibi intentatur, averſionem, non vero malum, quod alteri infert, intendit. Qui enim ſe defendit, ipſum lædere conanti reſiſtit, ut læſionem, quantum in ſe eſt, avertat (§. 972.), conſequenter cum læſione omni inferatur malum quoddam (§. 669. *Jur. nat.* & §. 565. & *Pſych. empir.*), ut malum, quod ſibi intentatur, a ſe avertat. Quoniam igitur agens hoc intendit, propter quod agit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui ſe defendit, mali, quod ſibi intentatur, averſionem intendit. *Quod erat unum.* *Intentio ſe defendentis.*

Jam cum ſeſe defendenti in aggreſſorem tantundem liceat, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980.), ita ut mediis durioribus uti non liceat, ubi leniora proſunt (§. 983. 984.); malum aggreſſori non infert, niſi quatenus abſque eo malum ſibi intentatum repulſare nequit, conſequenter non propter hoc agit, ut malum inferatur alteri. Quoniam itaque agens hoc non intendit, propter quod non agit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec malum, quod ſeſe defendendo alteri infert, intendit. *Quod erat alterum.*

Patet hinc univerſaliter, quod particulariter affirmat D. *Thomas*, in vera defenſione hominem non occidi ex intentione. Quemadmodum enim qui ſui defendendi gratia latronem occidit, hoc non facit, quia vult, ut e medio tollatur; ſed quia vult ſe eſſe incolumem, quod fieri nequit, niſi e medio tollatur; ita in genere qui ſui defendendi gratia aggreſſori malum quoddam infert, hoc non facit, quia vult ut ægre ſiat alteri, ſed quia vult ne ægre ſiat ſibi, quod fieri nequit, niſi alteri ægre fiat. Abſit ut quis ſibi perſuadeat, inanes fingi ſubtilitates, ſibique caveat, ne eas ad quiſquilias Scholaſticorum referat animo conviciandi, quo contemnuntur quæ non intelliguntur. Mox enim videbimus, quod in defenſione conſcientiam ſalvare minime poſſis, niſi ad haſce ſubtilitates animum advertas. Sane ſi intentionem ſeſe defendentis ſeponis, fieri haud quaquam poteſt, ut illæſo amore inimicorum te defendas, vel ne injurius in teipſum ex præpoſtero inimicorum amore peccando defenſionem omittas. Clariora hæc evadent per ea, quæ mox ſequuntur, & ex intentione agentis tanquam rivuli ex fonte ſuo deducuntur. Defenſio ſui delicatiſſima eſt, non ſi eidem admiſceri debeat, quod cum officiis pugnat, adeoque eadem peccato vacet.

§. 993.

Qui ſe defendit, non vult malum alterius, quatenus eſt malum alterius, ſed quatenus eſt medium unicum declinandi proprium, & mallet alterum ab eo eſſe immunem. Qui enim ſe defendit, non intendit malum alterius (§. 992.), conſequenter non vult per ſe, ut alteri malum inferatur (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen intendit averſionem mali, quod ſibi intentatur (§. 992.); *Quomodo ſeſe defendens velit malum alterius.*

aver-

averſio mali ſibi intentati finis eſt (§. 617. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), propter quem ſe defendit (§. 932. *Ontol.*). Cum itaque qui vult finem, media etiam velit neceſſe eſt (§. 941. *Ontol.*), finem vero, quem ſe defendendo intendit, conſequi nequeat, niſi malum alteri inferendo (§. 980. 984.); malum alteri inferendum non vult, quatenus eſt malum alterius, ſed quatenus eſt medium unicum declinandi proprium. *Quod erat alterum.*

Quoniam adeo malum alteri inferendum non vult, quatenus eſt malum alterius, ſed quatenus eſt medium unicum evitandi proprium *per demonſtrata*; mallet utique alterum ab eo eſſe immunem, ſiquidem abſque eo ipſe a malo, quod ſibi intentatur, immunis eſſe poſſet. *Quod erat alterum.*

Malum, quod alteri in defenſione infertur, duplici modo ſpectari poteſt ac debet, tum quatenus eſt malum ejus, cui infertur, tum quatenus eſt medium malum ejus arcendi, a quo infertur. Si defenſio vera eſſe debet, nec in vitium quoddam agnatum degenerat, malum tantummodo ſpectatur ut medium unicum evitandi malum proprium, adeoque nonniſi ſub hoc ſchemate ingreditur defenſionem, citra reſpectum, quem habet ad alterum. Unde idem, quatenus ſpectatur ut malum alterius, defendens ſeſe averſatur; quatenus vero conſideratur ut medium unicum evitandi malum, quod ipſi intentatur, idem appetit. Hinc eſt, quod nolle dicatur malum alterius, dum idem infert, & malle, ut alter ab eodem eſſet immunis, quatenus mallet dari aliud medium malum proprium declinandi, ne hoc invitus uti teneretur (§. 581. *part.* 1. *Phil pract. univ.*).

§. 994.

An defendens ſeſe voluptatem percipiat ex malo quod alteri infertur.

Qui ſe defendit, ex malo, quod ſui defendendi gratia alteri inferendum, voluptatem nullam percipit. Qui enim ſe defendit, non vult malum alterius, qua malum alterius, ſed eum ab eodem immunem eſſe mallet (§. 993.). Quamobrem cum id, quod non volumus, non nobis repræſentemus tanquam bonum (§. 892. *Pſych. empir.*), nec actum, quo defenſionis ſui gratia alteri infertur malum, ſibi repræſentat tanquam bonum, quatenus eodem alteri malum infertur. Quamobrem cum ex eo, quod nobis non repræſentamus tanquam bonum, voluptas non percipiatur (§. 558. *Pſych. empir.*); qui ſe defendit, ex actu, quo alteri infertur malum, voluptatem nullam percipit, quatenus eodem alteri malum infertur, conſequenter nec ex malo, quod ſui defendendi gratia alteri inferendum, voluptatem ullam percipit.

Si qui ſe defendit, vellet malum alterius, qua malum, id ipſum ſibi repræſentaret tanquam bonum quoad ſe, quatenus voluptatem quandam ex eo perciperet. Enimvero actum, quo alteri infertur malum, non ſibi repræſentat tanquam bonum, quatenus ejus effectus eſt malum alterius; ſed quatenus effectus ejuſdem eſt declinatio mali proprii, cum abſentia mali reputetur pro bono (§. 756.). Unde ſe defendens actum defenſionis tantummodo conſiderat quoad effectum in declinando malo, quod ſibi ab altero intentatur, & hoc unice reſpectu influit in determinationem voluntatis. Neque qua actus defenſionis aliter conſiderari poteſt (§ 972.). Equidem negari non poteſt, malum a defendente inferendum deterrere poſſe aggreſſorem, ut a lædendi propoſito deſiſtat, neque inficior, eo fine adhiberi minas tanquam medium lenius: non tamen hinc ſequitur malum aggreſſoris a defendente intendi qua malum, ac ideo ex eodem percipi voluptatem. Cum enim unice agat mali propulſandi gratia, quod ſibi intentatur (§. *cit.*); quod metu mali accipiendi aggreſſor deterreri poſſit a malo inferendo, non conſiderat alio reſpectu, quam quod hoc modo malum intentatum declinari queat, conſequenter nec hoc modo malum alteri inferendum qua malum alterius in determinationem voluntatis defendentis influit. Immo quatenus metum mali accipiendi alteri incutere vis, ut a malo inferendo deſiſtat, ſatis manifeſte ſignificas, te nolle malum alterius, ſed malle potius, ut ab eodem ſit immunis, conſequenter nullam te ex eo percipere voluptatem. Abſit ut nimias accuſes ſubtilitates, quæ in praxi nullum habeant uſum. Abſque iis enim nec veram defenſionem animo concipere, nec in ipſa defenſione intra juſtos limites te continere potes, ne pecces in amorem inimicorum. Quodſi tibi impoſſibile videatur, iſtiuſmodi ſubtilitates attendi in praxi; contrarium diſcas ex Philoſophia morali. Quod vero in praxi vulgo ad eas animum non advertant, qui ſeſe defendunt, in cauſa eſt, ut defenſionem in ultionem convertant, & jure ſuo abuſi nullo jure faciant, quod jure ſuo facere poterant. Sed de hiſce luculentius agendum erit in Philoſophia morali.

§. 995.

Digitized by Google

§. 995.

An ex tædio aggreſſoris percipiat voluptatem.

Quoniam ex malo, ſi cognoſcitur, tædium percipitur (§. 569. *Pſych. empir.*), qui vero ſe defendit, ex malo quod ſui defendendi gratia alteri inferendum, voluptatem nullam percipit (§. 994.); *nec qui ſe defendit ex tædio ejus, contra quem ſe defendit, voluptatem percipit.*

Tædium alteri creatur inferendo malum. Quamobrem ſi ex malo alterius, quod ſui defendendi cauſa alteri inferre teneris, voluptatem nullam percipis; nec ex tædio, quod inde reſultat, voluptaiem percipere potes. Quin potius alterum ab omni tædio immunem eſſe malles, quemadmodum malles, ut eſſet immunis a malo, ad quod inferendum te invitum compellit.

§. 996.

An defenſio fiat odio in aggreſſorem.

Qui ſe defendit, aggreſſorem non odit, nec ullo hoc facit in eum odio. Qui enim ſe defendit, ex tædio ejus, contra quem ſe defendit, voluptatem non percipit (§. 995.). Enimvero qui nullam ex tædio alterius voluptatem percipit, nec ipſum odit (§. 664. 665. *Pſych. empir.*). Ergo qui ſe defendit, aggreſſorem non odit. *Quod erat primum.*

Quoniam itaque qui ſe defendit, nullo in aggreſſorem odio flagrat, *per demonſtrata*, nec intendit niſi declinationem mali, quod intentat alter (§. 992.); nullo quoque in aggreſſorem odio ſe defendit.

Videmus adeo, quomodo odium exulet ex defenſione veri nominis, nec in ea locum habere poſſit, ita ut defenſio amittat nomen ſuum, nec niſi per abuſum defenſio dicatur, quamprimum odium aggreſſoris animum defendentis invadit, & in determinationem actus defenſionis influit.

§. 997.

An defenſio fiat animo inimico.

Qui ſe defendit non inimico hoc facit animo. Qui enim ſe defendit, aggreſſorem non odit (§. 996.). Enimvero qui alterum non odit, ipſi inimicus non eſt (§. 626.). Ergo qui ſe defendit, aggreſſori inimicus non eſt, conſequenter nec inimico ſe defendit animo.

Loquimur hic, quemadmodum & in anterioribus, de vera defenſione, conſequenter cum homini competat jus ſeſe defendendi (§. 973.), per hoc autem ab obligatione naturali, utpote immutabili (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), minime liberatur, atque adeo jure ſuo abutatur, ſi quid facit quod eidem adverſum; quæ de defenſione vera demonſtrantur, per modum præcepti ſe habent. Unde liquet, quod qui ſe defendit, malum alterius intendere minime debeat (§. 992.); quod malum alterius qua malum alterius non velle debeat, ſed potius malle, ut alter ab eodem ſit immunis, modo ipſe ſalvus eſſe poſſet (§. 973.); quod ex malo alterius voluptaiem nullam percipere (§. 944.), nec aggreſſorem odiſſe debeat (§. 996.), quod denique inimico in ipſum animo nihil ad defenſionem ſui facere debeat (*vi præſ.*). Quamprimum enim horum quid facit, aliquid committit, quod obligationi naturali in alterum adverſum, adeoque jure ſuo abutitur. Maluimus tamen ea potius tanquam veræ defenſionis requiſita demonitrare, quam per modum præcepti proponere, quia ex ipſa defenſionis notione deducuntur, ut tanto luculentius conſtaret, defenſionem nulli obligationi naturali quoad actus internos in alios repugnare & ſalvis in aggraſſorem officiis fieri poſſe.

§. 998.

An defenſio amori inimicorum adverſetur.

Defenſio ſui amori inimicorum minime repugnat. Qui enim ſe defendit, non inimico hoc facit animo (§. 997.), nec odio in aggreſſorem (§. 996.). Quamobrem ſeſe defendit, ſalvo amore, quo proſequi tenetur quemvis (§. 619.), ipſum

ipſum etiam inimicum (§. 632.), hoc facere poteſt. Atque adeo patet, defenſionem ſui amori inimicorum minime repugnare.

Quodſi defenſio ſui amori inimicorum repugnaret, poſita defenſione ſui tolleretur amor inimicorum, nec hic cum illa conſiſtere poſſet. Neceſſe igitur foret, ut defenſio ſui non poſſet concipi ſine odio, & animo inimico in tranſgreſſorem: contrarium vero modo oſtendimus (§. 996. 997.). Falluntur adeo, qui ſibi aliiſque perſuadere conantur, quaſi defenſio ſui ſit amori inimicorum, quem Chriſtus tantopere urget in ſuis, conſequenter Chriſtianiſmo adverſa, atque adeo fingunt, jure naturali permitti, quæ ut non fiant a ſuis Chriſtus voluit. Urget is ſtrictam legis naturalis obſervantiam, quam a Phariſæis corruptam puritati ac integritati ſuæ reſtituit.

§. 999.

Defenſio ſui num excludat vindictæ cupiditatem.

Qui ſe defendit, animum habet ab omni vindictæ cupidine alienum. Etenim qui ſe defendit, eum, contra quem ſe defendit, minime odit (§. 996.), conſequenter nec tædium ejus appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), etſi is ipſum lædere conetur (§. 972.), adeoque offendat (§. 942.). Quamobrem cum a vindictæ cupiditate vacuus ſit animus, ubi tædium ejus, qui te offendit, non appetis (§. 947.); evidens eſt, quod qui ſe defendit, eum habere animum ab omni vindictæ cupidine alienum.

Ex iis itaque, quæ de defenſione hactenus demonſtrata ſunt, abunde intelligitur, eam conſiſtere cum tolerantia injuriarum, quam tantopere urget Chriſtus, quippe qui nihil fieri vult odio in aggreſſorem & ex vindictæ cupiditate, atque adeo improbat, quod odio concitati & vindictæ cupidine inflammati homines reſiſtant malo, quod ipſis intentatur. Reſiſtentia enim quæ ex impuro hoc fonte promanat, vera nomine defenſio non eſt, ſed factum turpe ac inhoneſtum honeſto defenſionis titulo condecoratur.

§. 1000.

An manſuetudini repugnet.

Defenſio ſui manſuetudini non repugnat. Qui enim ſe defendit, odio in eum, adverſus quem ſeſe defendit, vacat (§. 996.) animumque habet ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 999.), conſequenter nec aggreſſori (§. 979.), adeoque injuriam intentanti (§. 917. 859.) iraſcitur (§. 862. 872. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum manſuetus ſit, qui iram ita moderatur, & animum a vindictæ cupidine immunem ſervat (§. 950.); defenſio ſui manſuetudini minime repugnat.

Qui manſuetudinem & defenſionem ſibi invicem opponunt tanquam ſibi mutuo repugnantia, utriuſque notione diſtincta deſtituuntur, nec ſatis norunt, quid ſit manſuetudo, nec quid defenſio vera.

§. 1001.

Defenſio quando modum excedat.

In defenſione modum excedere dicitur, qui mediis durioribus utitur, ubi leniora proſunt, immo leniſſima, maxime ſi odio & vindictæ relinquatur locus. Quoniam itaque ſi leniora media, immo leniſſima defenſioni ſufficiunt, non utendum durioribus (§. 982.); *in defenſione modum excedere non licet*, cumque a defenſione odium (§. 996.) & vindictæ cupiditas procul abeſſe debeat (§. 999.), *exceſſus in defenſione tanto magis illicitus, ſi ex odio in aggreſſorem & vindictæ cupiditate proficiſcatur.*

In defenſione homines plerumque modum excedunt, ſed omnium frequentiſſime, quod odio & vindictæ cupiditati locum relinquant. Rarius id accidit alia de cauſa. Unde ad dolum plerumque referendus exceſſus defenſionis, raro culpæ tribuendus. Quodſi amor inimicorum

rum hominibus magis familiaris eſſet, ut odio & vindictæ nihil tribuerent, nec in defenſione quicquam doloſe facerent; peccarent tamen adhuc culpa haud infrequenter, difficulter non una de cauſa evitabili, quemadmodum clarius ex philoſophia morali eluceſcet, & ex iis, quæ de diverſis culpæ ſpeciebus dicta ſunt in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis colligitur.

§. 1002.

Quatenus defendens modum excedit, aggreſſorem lædit. Quatenus enim in defenſione modum excedit, mediis durioribus utitur, ubi leniora profunt, immo leniſſima (§. 1001.). Quamobrem cum duriora ſint media ſe defendendi, quibus majus malum infertur aggreſſori, lenius autem, quibus infertur minus, leniſſimum, quo malum nullum actu infertur (§. 981.); qui in defenſione modum excedit, aggreſſori malum majus infert, quam malo proprio declinando ſufficiebat, immo infert malum, quando prorſus non opus erat malum alteri inferri. Quoniam itaque in aggreſſorem nonniſi tantundem licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980.); malum quod ultra infertur, nullo jure infertur. Quamobrem cum malo illato aggreſſor vel ſtatus ejus reddatur imperfectior (§. 565. *Pſych. empir.*); ſi quid ultra fit, quam defenſio exigit, læſio eſt (§. 669.). Quatenus adeo defendens modum excedit, aggreſſorem lædit. *Exceſſu in defenſione læſio.*

Qui malum infert alteri, eundem lædit, neque adeo hoc in ſe unquam licitum eſt. Quando malum tibi ab altero intentatum declinare nequis, niſi malum eidem inferendo; illatio mali fit medium defenſionis unicum, quem adeo jus defendendi tibi competens (§. 973.) licitam reddit. Quod ultra fit, quam defenſio exigit, ad unicum defenſionis, quod ſuppetit, medium referri nequit, conſequenter nec mutat ſpeciem, adeoque læſio manet. Videmus adeo lædi aggreſſorem, ſi in defenſione modus exceditur, tantoque magis lædi, quanto manifeſtior eſt exceſſus.

§. 1003.

Si defenſor modum excedit, fit aggreſſor. Quatenus enim modum excedit, aggreſſorem lædit (§. 1002.). Enimvero qui alterum lædere conatur, aggreſſor eſt (§. 979.). Quamobrem ſi defenſor modum excedit, fit aggreſſor. *Quando defenſor fiat aggreſſor.*

Dudum hoc agnovere JCti, etſi non ſatis diſtincte explicaverint, cur hoc fiat. Nihil autem ſupereſſe poteſt circa propoſitionem præſentem dubii, modo ad animum revocaveris, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 1002.).

§. 1004.

Si defenſor modum excedit, quoad exceſſum alteri competit jus ſe defendendi & tantundem in eum licet, quantum læſioni, quæ exceſſui ineſt, arcendæ ſufficit. Etenim ſi defenſor modum excedit, fit aggreſſor (§. 1003.). Sed natura homines omnes æquales ſunt (§. 81.), adeoque eadem habent jura (§. 78.). Quod ergo tibi competit jus in aggreſſorem, id quoque ipſi in te competit, quando modum in defenſione excedis. Quamobrem cum tibi competat jus te defendendi (§. 973.), & tantundem tibi liceat in aggreſſorem, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980.); ſi tu defenſor modum excedis, quoad exceſſum ipſi competit jus ſe defendendi, & tantundem in te licet, quantum læſioni, quæ exceſſui ineſt, arcendæ ſufficit. *Jus aggreſſoris in defenſorem quoad exceſſum defenſionis.*

§. 1005.

Quicquid contra exceſſum defenſionis fit, injuria non eſt. Si enim defenſor modum excedit, quoad exceſſum ei, qui fuerat aggreſſor, jus ſe defendendi com- *Quidnam abſque inju-*

 petit-

ria fiat ab aggreſſo. rem.

petit, & tantundem in iſtum licet, quantum læſioni, quæ exceſſui ineſt, arcendæ ſufficit (§. 1004.). Quicquid ergo contra exceſsum defenſionis fit, id jure fit. Enimvero quod jure fit, injuria non eſt (§. 975.). Quare quicquid contra exceſsum defenſionis fit, injuria non eſt.

Quamprimum defenſor modum in defenſione excedit, ex defenſore fit aggreſſor (§. 1003.), & qui fuerat aggreſſor, ex aggreſſore fit defenſor (§. 1004.). Quamobrem quæ de defenſione hactenus demonſtrata ſunt, ea quoque ad aggreſſorem cum defenſore vicem permutantem applicanda ſunt. Non tamen diffiteor, ut qui fuerat aggreſſor, veram defenſoris induat perſonam, tantum non pro impoſſibili habendum, etſi abſolute loquendo impoſſibile non ſit. Sed hæc penitius inſpicere abſque perſpicillis Philoſophiæ moralis non licet. Quamobrem ne jus aggreſſoris cum defenſore vicem permutantis ſuſpectum evadat, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 1006.

Quando defenſio ab injuria libera, peccato tamen non vacet.

Quamdiu defenſor modum non excedit, odio tamen in aggreſſorem & cupidine vindictæ impulſus agit; aggreſſori quidem injuriam non facit, attamen peccat. Quamdiu enim defenſor modum non excedit, mediis non utitur aliis, niſi quæ mali intentati declinatio exigit (§. 1001. 982.), conſequenter non facit, niſi quod licet (§. 980.), adeoque ad quod faciendum jus habet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi quid facis jure tuo, nemini injuriam facis (§. 975.). Quamdiu igitur defenſor, etſi odio in aggreſsorem & vindictæ cupiditate impulſus agat, modum non excedit, aggreſsori injuriam non facit. *Quod erat unum.*

Enimvero nemo alterum odio habere debet (§. 624.) & animus ab omni vindictæ cupidine alienus eſse debet (§. 948.). Quamobrem etſi defenſor modum non excedat (*per hypoth.*), ubi tamen odio in aggreſsorem & cupidine vindictæ impulſus agit; actio ejus legi naturæ contraria eſt. Quoniam itaque peccat, cujus actio legi naturæ contraria (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), defenſor modum non excedens, odio tamen in aggreſsorem & cupidine vindictæ impulſus agens peccat. *Quod erat alterum.*

Nimirum licite te defendis (§. 974) & quamdiu modum non excedis, nec injuriam facis aggreſſori (§. 976. 1005.); nec peccas (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero defenſio vacare debet odio in aggreſſorem (§. 996) & omni vindictæ cupidine (§. 959.). Quamobrem ubi actui defenſionis in ſe licito accedit odium in aggreſſorem, & vindictæ cupido legi naturali repugnans, actus in ſe licitus fit peccaminoſus (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen actus externus, qui aggreſſorem potiſſimum tangit, idem manet, hic ipſe utique adhuc licitus, adeoque nulla fit injuria aggreſſori, utut pecces, ſi actus internus reſpicitur. Hæc probe notanda ſunt, cum nunc actus tantummodo externi habenda ſit ratio, veluti in foro humano; nunc autem interni ſimul, veluti in foro conſcientiæ. Enimvero cum per hoc, quod pecces, actus externus non reddatur illicitus; nec ubi aggreſſor vicem cum defenſore permutat ideo amittit jus ſuum, quod agat odio, & vindictæ cupidine in alterum (*not.* §. 1005).

§. 1007.

Quando aggreſſorem adjuvare liceat & quando facere id debeamus.

Si defenſor modum excedit, eum, qui fuerat aggreſſor, defendendi ſeu adjuvandi jus unuſquiſque habet: immo ſi ipſe adverſus exceſſum ſeſe defendere nequit, ad eum defendendum obligatur, quantum in poteſtate ſua poſitum. Quamprimum enim defenſor modum excedit, fit aggreſsor (§. 1003.), & qui aggreſsor fuerat induit perſonam defenſoris, quatenus ſe exceſsui opponit (§. 1004.). Aſt competit unicuique jus defendendi alterum, quantum poteſt, immo obligatur unuſquiſque ad defendendum alterum, quantum in poteſtate ſua poſitum, ſi ipſe ſibi defendendo non ſufficit (§. 990.). Quodſi ergo defenſor modum excedit, eum, qui fuerat aggreſsor, defendendi ſeu adjuvandi jus unuſquiſque habet:

bet: immo ſi ipſe adverſus exceſsum ſeſe defendere nequit, ad eum defendendum obligatur, quantum in poteſtate ſua poſitum.

Non eſt, quod excipias, aggreſſorem culpa ſua hoc periculum adiiſſe, eum alterum lædendi animum deponere debuiſſet, antequam ſe huic periculo expoſuiſſet (§. 695.). Neque enim per hoc, quod obligationi ſuæ non ſatisfecit, amiſit jus, quod ipſi auferri minime poteſt (§. 64.), nec quia ipſe non ſatisfecit obligationi ſuæ in alterum, tu quoque in ipſum obligationi tuæ ſatisfacere minime teneris (§. 631.).

§. 1008.

Quod jus defenſionis ex cauſis ſubnaſcentibus ſpectandum.

Si aggreſſor adverſus læſionem leniori medio declinandam ſeſe defendenti, propterea quod ſe defendit, læſionem nonniſi duriori avertendam intentat; jus defenſionis ad majus, quam antea, malum inferendum extenditur. Etenim cum defenſor ſeſe defendendo aggreſſori injuriam non faciat (§. 976.), hic vero licitæ defenſioni ſeſe opponens nullo jure faciat, quicquid facit (§. 985.); perinde omnino eſt, ac ſi initio ſtatim læſionem intentaſset nonniſi duriori medio avertendam. Quamobrem cum in aggreſsorem defenſori tantundem liceat, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980.); ſi initio ſtatim læſionem iſtam intentaſset, duriori medio, quo nonniſi declinari poteſt *per hypoth.* initio ſtatim uti licuiſſet. Quodſi ergo aggreſsor adverſus læſionem leniori medio declinandam ſeſe defendenti, propterea quod ſe defendit, læſionem nonniſi duriori avertendam intentat; jus defenſionis ad medium durius, conſequenter ad majus, quam antea malum inferendum extenditur (§. 981.).

Quamobrem patet, *jus defenſoris non ſpectari ex cauſa primum data, ſed ex cauſis in ipſa defenſione ſubnaſcentibus*: id quod probe notandum eſt, ne defenſor juſtos defenſionis limites tranſiiſſe videatur, qui tamen inter eos religioſe ſeſe continuit. Nihil ſane dubii ſupereſſe poteſt, quin ex cauſis in defenſione ſubnaſcentibus ſpectari debeat jus defenſoris. Cum enim ipſi aggreſſori ex exceſſu in defenſione commiſſo, adeoque ex cauſa in defenſione ſubnaſcente, naſcatur jus ſeſe defendendi (§. 1004.); multo minus mirum videri poterit, quod ex cauſis in defenſione ſubnaſcentibus defenſori naſcatur jus amplius, quam ex cauſa primum data habebat. Nihil frequentius eſt caſu propoſitionis præſentis. Etſi enim defenſor ſeſe defendendo invaſori nullam faciat injuriam; hic tamen defenſionem pro injuria reputare ſolet ſibique jus arrogat eam repellendi, cum a propoſito alterum lædendi deſiſtere deberet, ne hic defenſione amplius opus haberet. Et quoniam odio ac vindictæ cupidini locum facere ſolet, ad duriora plerumque media ſtatim progreditur, adeoque læſionem nonniſi duriori medio a defenſore arcendam intentat. Ex hactenus demonſtratis abunde patet, quanta circumſpectione opus ſit, ne a vero aberret judicium de eo, quod in defenſione licuit & quod illicitum reputari debet.

§. 1009.

Quando plus licet in aggreſſorem, quam ex cauſa ab ipſo data.

Quoniam aggreſsor, & qui eidem ſe ſociant in defenſione, utpote contra defenſorem conjunctis viribus agentes, pro una eademque perſona habentur; *ſi quis in defenſione aggreſſori ſeſe aſſociat, læſionem duriori medio avertendam intentat, quam aggreſſor, in ipſum quoque aggreſſorem jam plus licet, quam antea ex cauſa primum data* (§. 1008.).

Nihil hic difficultatis erit, modo ad animum revoces, quod ſupra jam annotavimus (*not.* §. 984.), jus ſeſe defendendi menſuram accipere ex periculo læſionis intentatæ avertendo. Quicunque igitur de cauſa ſubnaſcente augetur periculum, ut nonniſi duriori medio averti poſſit; ad hoc ipſum jus eſt defenſori, qui animum advertere non debet ad culpam aggreſſoris & ſocii, ut eam accurato judicio diſcernat, ſed tantummodo ad periculum propulſandum, ut intelligat, quo medio opus habeat.

Digitized by Google

§. 1010.

Quando fuga ſibi conſulere debeat is, cui læſio intentatur.

Si quis læſionem ſibi intentatam ab altero fuga evitare poteſt, fugere debet. Etenim in defenſione ſui durioribus mediis uti non licet, quamdiu leniora proſtant (§. 982.), conſequenter non licet aggreſsori ullum inferre malum, quamdiu malum nullum eidem inferendo læſionem intentatam evitare datur (§. 981.). Quamobrem cum hoc fieri poſſit, ubi quis læſionem intentatam ab altero fuga evitare poteſt; fugere debet.

§. 1011.

Niſi in defenſione excedere velit.

Quando itaque *fuga ſibi quis conſulere poterat, ubi id non facit, quod ſui defendendi cauſa facit pro exceſſu in defenſione habendum* (§. 1010.), cum modus in defenſione excedatur, ubi mediis durioribus fit locus, cum leniſſimum proſtat (§. 1001. 983.).

Haud infrequenter vim aggreſſoris evaſuri fugam tanquam medium tutiſſimum eligunt: haud raro tamen ea ignominioſa habetur, ut non deſint, qui vitam diſcrimini committere, quam fugere malunt. Enimvero fuga ſibi conſulere ignominioſum non recte reputatur, quoniam ipſa lex naturæ eam urget, nec in hoc caſu aliud defendendi jus concedit. Imaginem hujus juris videmus in brutis animantibus, quæ nonniſi fuga ſibi conſulere poſſint. Hominum de ignominia præconcepta opinio jus nullum facit. Oppido nimirum falluntur qui ſibi perſuadent, quaſi fortitudini ſit adverſum fuga ſibi conſulere, & timidum ſe probet, qui hoc faciat, cum tamen fortes (§. 601), non timidi eſſe debeamus (§. 603.). Fortis metu periculi non ſe adduci patitur, ut faciat, quod facere non debet (§. 600.), Quemadmodum timidus (§. 602.). Enimvero qui fuga ſibi conſulit, periculum evitare ſtudet, ne alteri malum inferre cogatur, quem amare debet tanquam ſeipſum (§. 632), & ne ulla obligatione urgente periculum ſubeat, conſequenter ne audax ſit (§ 604.), qualis eſſe minime debet (§. 605.). Quoniam vitia ignominiam veram pariunt (§. 822.); audacia vero vitium eſt, & ad vitia quoque refertur neglectus charitatis; ignominioſum potius eſt fuga, qua conceditur, ſibi non conſulere, quam nulla urgente neceſſitate periculum ſubire nolle. Taceo quod prudentia eligi jubeat quod tutius, ſtultitiæ autem ſit eventu prorſus dubio ſeſe ſubmittere periculo, quod evitari poterat ac debebat. Illa, non hæc in laudem vertitur (§. 550.). Novi equidem opinionem eſſe tyrannum, adverſus quem nihil valet ratio. Sed hic non docemus, quæ male ſanorum opinioni, ſed quæ rationi conſentanea ſunt. Valeant quantum poſſunt.

§. 1012.

Cur in defenſione licitum ſit malum inferre alteri.

Quid in defenſione licitum ſit malum inferre aggreſſori, exceptio eſt ex colliſione officiorum erga teipſum & erga alios reſultans. Etenim neminem lædere (§. 695.), conſequenter nemini malum quoddam inferre debes (§. 669. *Jur. nat.* & §. 565. *Pſych. empir.*). Ne igitur alteri malum inferas, officium erga alios eſt (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Omnem dare debes operam, ut tibi caveas a malis non minus corporis ac fortunæ, quam animi, quantum in poteſtate tua eſt (§. 183.), conſequenter ut malum, quod tibi intentatur, declines, quantum tibi datur. Malum ſibi intentatum adeo declinare pro virili officium erga ſeipſum eſt (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In defenſione malum tibi intentatum ab altero declinare non potes niſi malum inferendo alteri (§. 972.). Quoniam itaque fieri minime poteſt, ut utrique officio ſimul ſatisfacias, ea inter ſe colliduntur (§. 206. *part 1. Phil. pract. univ.*), adeoque exceptione opus eſt (§. 207. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter malum tibi intentatum declinandum inferendo malum alteri, qui intentat (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque adeo liquet, quod in defenſione licitum ſit malum inferre aggreſsori, eſse exceptionem ex colliſione officiorum erga teipſum & erga alios reſultantem.

Hæc

Hæc propoſitio plurimum lucis affundit omni de defenſione doctrinæ, & demonſtratio ad quemvis caſum particularem applicari poteſt, immo utiliter applicatur, cum ejus definitio non evidentior ſit niſi hoc demonſtrandi genere, quo quicquid licet ex colliſione officiorum per modum exceptionis deducitur. Immo hæc ipſa demonſtratio docet modum in caſu quocunque particulari inveſtigandi id, quod licet, abſque ullo vel minimo metu, ne a veritate aberres. Ex hac propoſitione clariſſime perſpicitur, cur cum actu externo, qui officio erga alterum contrarius eſt, non conſentire debeat internus, ſed internus ſit officio erga alterum congruus, externus vero ab eodem diſſentiat. Quando enim exceptio fit, non ultra id fieri debet, quam neceſſe eſt (§. 206. 207. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actus internus officio congruus eſſe poſſit, etiamſi externus eidem convenire nequeat; ultra actum externum ab officio erga alterum recedere minime debes, ſed ubi hoc facis, peccas. Atque adeo hinc quoque deduci poterat, quod ſupra aliter oſtendimus, in defenſione vera nihil dandum eſſe odio (§. 996.), nihil vindictæ cupiditati (§. 999.), ſed in omni defenſione animum eſſe debere prorſus manſuetum (§. 1000.). Inde ſimiliter deduci poterat, quod aliter ante demonſtravimus (§ 982.), etſi jus defendendi infinitum ſit, in caſu tamen particulari adeo arctis limitibus idem circumſcribi, ut non uti liceat mediis durioribus, ubi leniora, immo leniſſima proſunt, & ut defenſioni prorſus nullus concedatur locus, ubi fuga tibi conſulere potes (§. 1011.), ſed hæc ipſa defenſionis loco ſit (*not. § cit.*). Demonſtratione adeo præſenti aperuimus viam vere analyticam, qua tota de defenſione doctrina nullo fere negotio eruitur, modo in veritate inveſtiganda fueris verſatus.

§. 1013.

Si aggreſſor vi præſente corpus impetat, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo; eum interficere licet. *Defenſio corporis cum interfectione alterius.*
Etenim in aggreſſorem tantundem licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980.). Enimvero ſi aggreſſor vi præſente corpus impetat, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo; læſionem intentatam declinandi medium unicum eſt interfectio alterius. Quamobrem patet in hypotheſi propoſitionis præſentis aggreſſorem violentum interficere licere.

Idem oſtenditur hoc modo. Nemo occidendus eſt (§. 743.), adeoque non interficere alterum eſt officium erga alios (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quilibet obligatur ad corpus ſuum (§. 349.), vitam (§. 350.) & integritatem omnium organorum corporis conſervandum (§. 372.), & periculum vitæ (§. 371.) ac integritatem organi cujuſdam corporis lædendi vitandum (§. 373.), conſequenter & declinandum, quantum in poteſtate ſua poſitum eſt. Conſervatio adeo corporis tum qua vitam, tum qua integritatem membrorum & evitatio, ſeu declinatio periculi vitæ ac læſionis membrorum eſt officium erga ſemetipſum (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi aggreſſor vi præſente corpus impetat, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo; aut alterum interficere, aut pati debes, ut ipſe interficiaris, vel ut membrum aliquod tuum mutiletur, conſequenter aut ſatisfaciendum officio erga alios cum neglectu officii erga teipſum, aut officio erga teipſum cum neglectu officii erga alios *per demonſtrata*. Quoniam itaque officium erga teipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur (§. 206. *part. 1. Phil pract. univ.*), ſi vero officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter huic potius, quam iſti ſatisfaciendum (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi aggreſſor vi præſente corpus impetat, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo, eum interficere licet, ſeu aggreſſor potius interficiendus, quam ut patiaris te occidi, aut membrum aliquod corporis mutilari.

Vulgo periculum vitæ a periculo mutilationis membrorum tanquam duos caſus diverſos diſtinguunt, quemadmodum ipſe fecit *Grotius* de J.B. & P. lib. 2. c. 1. §. 3. & 6 quaſi aliæ dandæ ſint rationes, cur interficere liceat aggreſſorem in periculo vitæ conſtituto, & cur eundem interficere liceat, ubi tantummodo mutilatio membri cujuſdam metuenda. Enimvero qui

hoc

hoc faciunt, Jus defendendi ex culpa aggreſsoris, ſeu magnitudine læſionis ab ipſo intentatæ, non vero ex fine, qui per defenſionem intenditur, declinatione nimirum periculi metiuntur. Contrarium tamen fieri debere monuimus ſupra (*not.* §. 984.). Et cum ipſe *Grotius* hoc agnoverit; mirum videri poterat, cur ſubdubitanter loquatur de interfectione aggreſsoris ad periculum mutilationis membri declinandum facta & alias demum rationes conquirat, cur quod liceat in caſu periculi mortis etiam licitum videatur in caſu periculi mutilationis membri, veluti quod damnum membri, præſertim e præcipuis, valde ſit grave & vitæ quaſi æquiparabile ac vix ſciri poſſit, an non periculum mortis poſt ſe trahat. Ceterum non negamus, caſum illum non eſse impoſſibilem, quo quis certus eſse poteſt ab aggreſsore non intendi niſi mutilationem membri cujuſdam, quæ mortem poſt ſe minime trahit: etſi nonnullis contrarium videatur. Pone enim aggreſsorem humi proſtrato oculos effodere vel naſum abſcindere velle cultro, quem manu tenet, corporique tuo incumbentem impedire, quo minus ſurgere poſſis. Nonne hic certus es non intendi ab aggreſſore, niſi membri mutilationem, nec aliud tibi eſse metuendum? Non igitur ſatisfaciunt qui interfectionem aggreſsoris hoc ſolo nomine defendunt, quod indirecte intendat mortem ejus, cujus aliquod membrum mutilare vult (§. 621. *part* 1. *Phil. pract. univ.*), & mortis periculum cum periculo mutilationis membri ſit conjunctum. Ceterum demonſtrationi priori propoſitionis præſentis conſulto addidimus poſteriorem, etſi illa prolixiorem, tum ut appareat, quomodo definitiones caſuum particularium analytice inveſtigentur, tum ut pateat, demonſtrationes analyticas ſyntheticis evidentiores eſse in præſenti argumento.

§. 1014.

An qui defendendum juvat aggreſſorem licite interficiat.

Si alterius corpus impetatur vi præſenti, nec periculum vitæ vel mutilationis membri aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo, alter vero ſeſe ſatis defendere nequit; alius quicunque aggreſſorem licite interficere poteſt niſi aliter eundem repellere poſſit. Etenim ſi alter ſeſe defendere non ſatis poteſt adverſus aggreſſorem, quilibet alius non modo habet jus defendendi alterum, verum etiam obligatur ad alterum defendendum, quantum poteſt (§. 990.). Quamobrem ſi in diſcrimine vitæ dubio vel periculo mutilationis membri cujuſdam conſtitutus aggreſſorem repellere nequit, eidem utique alius quicunque opem non modo ferendi jus habet, verum etiam ferre debet. Enimvero qui alterum in defenſione licita adjuvat, ei competit jus ad eos actus, ſine quibus periculum, in quo conſtituitur, declinari non poteſt (§. 989.). Quoniam itaque is, cui vis infertur, periculum vitæ vel mutilationis membri aliter evitare non poteſt, quam ſi aggreſſor occidatur *per hypotheſin*; quin alius quicunque aggreſſorem licite interficere poſſit, ſi alterius corpus impetatur vi præſenti, nec periculum vitæ vel mutilationis membri aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo, is autem, cui vis infertur, ipſe ſeſe ſatis defendere non poſſit, dubitandum non eſt.

Loquimur hic de jure, quod homini competit in ſtatu naturali: id quod me tacente conſtare poterat. Non tamen propoſitionem præſentem anteriori ſubnectimus niſi conſulto. Patebit enim ſuo loco, quæ de defenſione ſui demonſtrantur tanquam licita in ſtatu naturali, ea eſse principia, ex quibus jura belli publici definiuntur. Taceo in civitate etiam ſubinde reviviſcere ſtatum naturalem, & juri naturali locum facere, quemadmodum ſuo loco docebimus. Quodſi ergo leges civiles fuerint duriores, ex jure naturali benigniorem accipiunt interpretationem. Ceterum non nego, caſum eſse rariorem, quo periculum vitæ vel mutilationis membri aliter non evitari poteſt, quam cæde aggreſsoris, ubi alius ex improviſo accurrens eidem opem fert. Quod tamen pro impoſſibili minime habendum, demus caſum. Ponamus te inermem in via vim pati a latrone, qui jam in eo eſt ut jugulum feriat. Quod ſi quis aliquo intervallo adhuc diſtans globo ex ſclopeto exploſo latronem lethaliter vulneret, te a diſcrimine vitæ præſenti utique liberat cæde aggreſsoris. Nec videtur jus civile improbare tale factum. Quando enim *C. l. 4. ad L. Corn. de ſicariis* ratio redditur, quod liceat cuilibet aggreſsorem nocturnum in agris vel obſidentem vias atque inſidiantem prætereuntibus impune occidere, etiamſi miles ſit; melius dicitur his occurrere & mederi, quam injuria accepta vindictam perquirere. Hæc vero ratio etiam obtinet in caſu dato & quocunque alio, qui ſub caſu propoſitionis præſentis continetur. Interpretatione adeo extenſiva lex hæc ad quemvis caſum particularem propoſitionis præſentis ubi trahitur, non ſit quod inſolitum videtur.

§. 1015.

Digitized by Google

§. 1015.

An furioſum & ſomnambulum ſui defendendi cauſa occidere liceat.

Furioſum etiam & ſomnambulum ſui defendendi cauſa occidere licet. Quod enim in defenſione licitum ſit inferre aggreſſori malum, exceptio eſt ex colliſione officiorum erga teipſum & erga alios reſultans (§. 1012.): quæ cum adhuc obtineat, ſi furioſus & ſomnambulus vi præſenti impetat corpus tuum, idem tibi jus eſt in furioſum & ſomnambulum, quod in alium aggreſſorem. Enimvero ſi aggreſſor alius vi præſente corpus impetat, nec periculum vitæ vel mutilationis membri aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo, eum interficere licet (§. 1013.). Ergo etiam furioſum & ſomnambulum interficere licet, ſi vi præſenti impetat corpus, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum alio modo evitari poſſit, hoc eſt, ſui defendendi cauſa.

Quando furioſum & ſomnambulum ſui defendendi cauſa occidi poſse docetur, ſupponitur omnino defenſio licita, in qua modus non excedicur, exceſsus enim injuria eſt (§. 1002.), nec ad defenſionem referendus (§. 1001.). Quamobrem in furioſum & ſomnambulum non plus licet quam in alium aggreſsorem, adeoque eædem ſupponendæ ſunt circumſtantiæ, in quibus cædes aggreſsoris alias licita. Neque vero etiam minus licet in furioſum & ſomnambulum, propterea quod dolo & culpa recte cenſetur vacare, nec actiones ſuæ ipſis imputari poſsunt (§ 567. 572. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum jus defenſoris menſuram ſuam minime accipiat ex culpa aggreſsoris, ſed ex eo, quod defenſio exigit (*not.* §. 984.).

§. 1016.

Defenſio contra errantem licita.

Quodſi quis alium te putet, quam tu es, & vi præſente impetat corpus tuum, nec periculum vitæ vel mutilationis membri aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo, eum interficere licet. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Non plures congerimus caſus particulares, cum eadem demonſtratio, quam modo dedimus (§. 1015.), iiſdem ſatisfaciat, neque ulla difficultas ſuperſit in ullo, modo ad animum revoces, jus tuum ex fine unice æſtimandum eſſe, qui in defenſione intenditur, ut adeo tantundem ſit tibi juris in alterum, quantum declinatio periculi tibi imminentis ab altero exigit, ſi vel maxime alter nihil agat, in quo peccare videtur (*not.* §. 984.). Quoniam adeo jus tuum non pendet a qualitate ejus, qui vim tibi infert; non attendendi ſunt, qui tunc demum jus interficiendi aggreſſorem licitum eſſe contendunt, quando vita tua pluribus utilior vita aggreſſoris, illicitum autem pronunciant, ubi aggreſſor fuerit perſona pluribus utilis, quam tu es. Idem tenendum de rationibus aliis, quæ contra jus te defendendi a qualitate aggreſſoris ſubinde urgentur.

§. 1017.

Quid liceat in naufragio ſui conſervandi cauſa.

Si quis prior in naufragio tabulam ceperit, ut evadat, & alter eodem fine eandem conſcendere velit, ſed non ſine præſenti diſcrimine ejus, qui prior ceperat; ei, qui prior ceperat, alterum deturbare licet, non vero idem licet poſteriori in priorem. Quodſi vero uterque ſimul eandem tabulam apprehendant, ei facere hoc licet, qui poteſt. Quoniam uterque periculum vitæ vitare debet, quantum in ſua poteſtate eſt (§. 371.) & lex naturæ dat iiſdem jus ad ea, ſine quibus iſtud evadere nequeunt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); utrique etiam competit jus tabulam capiendi, ut evadat. Enimvero ubi unus eorum tabulam jam cepit, qua nixus ſolus evadere poteſt *per hypoth.* jus ſibi ſingulare acquiſivit, in cujus uſu alter eum impedire non debet (§. 180. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), idque perfectum (§. 905.). Quamobrem alter eandem tabulam conſcenſurus non ſine diſcrimine ejus, qui prior ceperat, contra jus ejus perfectum hoc facere vult (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque eum lædere conatur (§. 920.), conſequenter adverſus eundem jus ſe defendendi ipſi competit (§. 972. 973.). Qua-

Digitized by Google

quamobrem cum ſeſe defendere liceat, alterum interficiendo, ſi aliter periculum præſens evitari nequit (§. 1013.); quin ei, qui prior tabulam cepit, alterum deturbare liceat, dubitandum non eſt. *Quod erat primum*.

Enimvero cum alter non debeat eum, qui prior tabulam cepit, impedire in uſu ſui juris *per demonſtrata*; nec eum deturbare licet, ut ipſe in locum ejus aſcendens ſe ſalvet. *Quod erat ſecundum*.

Quoniam utrique æquale jus eſt ad tabulam capiendam, *per demonſtrata*, ubi uterque eandem ſimul apprehendit, utrique etiam ad uſum hujus tabulæ idem jus ſingulare competit. Enimvero cum uſus nonniſi uni detur, aut utrique, aut alterutri pereundum. Quamobrem quia non minus uterque obligatur ad periculum mortis a ſe (§. 371.), quam ab altero avertendum (§. 641.); officia erga ſe & erga alterum inter ſe colliduntur (§. 226. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Aſt quando officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter unusquisque a ſe periculum mortis avertere debet (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque neuter alterum impedire debet in uſu juris ſui (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lex vero naturæ utrique dat jus alterum deturbandi, ut ſe ſalvet (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi uterque ſimul in naufragio eandem tabulam capiant, non autem niſi unus eadem nixus ſe ſalvare poteſt, ei alterum deturbare licet, qui poteſt. *Quod erat tertium*.

Caſum hunc ideo reſolvere voluimus, quia *Lactantius* lib. 5. c. 16. ex *Cicerone* diſputans in omni caſu alteri concedit jus alterum de tabula deturbandi, ut ſe ſalvet. Quid enim, inquit, juſtus faciet, ſi forte naufragium fecerit, & aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? Nonne illum tabula deturbabit, ut ipſe conſcendat, eaque nixus evadat, maxime cum ſit nullus in mari teſtis? Si ſapiens eſt, faciet: ipſi enim pereundum eſt, niſi fecerit. Si autem mori maluerit, quam malum inferre alteri; jam non juſtus ille, ſed ſtultus eſt, qui vitæ ſuæ non parcat, dum parcit alienæ. Quodſi verba *Lactantii* rite ponderentur, illico conſtabit, eum nonniſi animum ad colliſionem conſervationis ſui & conſervationis alterius attendere, neutiquam vero ad jus, quod uni præ altero eſt acquiſitum. Taceo nullam prorſus eſſe rationem, quod aliquid liceat, ubi nullus teſtis, quaſi vero clam liceret, quod in præſentia aliorum facere non liceret. Et perperam ſtultus dicitur, qui mavult perire fato inevitabili, quam ut injuria ſua pereat alter. Multum definitioni caſus præſentis accedet lucis ex iis, quæ proxime de jure in communione primæva demonſtrabuntur. Videbimus enim jure ſingulari extingui commune.

§. 1018.

Quid liceat in inſidiatorem. *Si quis cum telo ambulaverit tui necandi cauſa, vel alio quocunque modo tibi inſidietur, ut periculum non ſit evitabile; occupari poteſt facinus, ſeu eum e medio tollere licet, in ſtatu ſcilicet naturali.* Etenim ſi quis cum telo ambulaverit tui necandi cauſa, vel alio quocunque modo tibi inſidietur, ut periculum non ſit evitabile, continuo quaſi præſens eſt vitæ aut mutilationis membri cujuſdam periculum, e quo liberari nequis niſi inſidiatore e medio ſublato. Quoniam itaque hoc periculum avertere debes (§. 371.), adeoque tibi jus eſt ad ea, ſine quibus declinari nequit (§. 142. *part 1. Phil. pract. univ.*); jus tibi eſt alterum e medio tollendi, ſeu facinus occupandi. Quamobrem ſi quis cum telo ambulaverit tui necandi cauſa, vel alio quocunque modo tibi inſidietur, ut periculum non ſit evitabile; facinus occupari poteſt, ſeu eum e medio tollere licet, in ſtatu ſcilicet naturali,

Etenim in ſtatu civili alia ſunt media, quibus ſecuritati tuæ conſulitur, ut adeo medium unicum non ſit ſublatio alterius: quamobrem hic obſervanda ſunt, quæ de mediis lenioribus duriori præferendis præcipiuntur (§. 982.). Ceterum propoſitio præſens adeo evidens viſa fuit *Ciceroni*, ut pro *Milone c. 7*, exclamet; inſidiatori & latroni quæ poteſt afferri injuſta nex? Hinc & l. 4. *C. ad L. Corn. de ſic.* cuilibet permittitur inſidiantem prætereuntium in via nocturno tempore occidere & l. 7. *eod. tit.* quoad pœnam is, qui cum telo ambulaverit hominis necandi cauſa comparatur homicidæ. Sed de his plura dicentur ſuo loco. Erit autem propoſi-

poſitionis præſentis quoque uſus in demonſtrando jure belli, quando Jus Gentium ex genuinis ſuis principiis demonſtraturi ſumus. Nihil enim hic proponimus, quod non in ſecuturis certiſſimum ſpondeat uſum. Jura nimirum omnia radicantur in iis, quæ obtinent in ſtatu naturali.

§. 1019.

Quando vim intentandam vi repellere non liceat.

Si aggreſſori viam intercludere poſſis, ne ad te accedat, eum interficere non licet. Demonſtratur eodem prorſus modo, quo ſupra evicimus, ſi quis fuga evitare poſſit læſionem ab altero ſibi intentatam, eum fugere debere (§. 1010.).

Qui imprudenter pectus ſuum hoſti objicere eum affirmant, quem parietes & janua poſſunt defendere, quemadmodum *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 2. c. 5. §. 3. rationem reddunt, quæ ad ſcopum præſentem nil facit. In Jure enim naturæ non quæritur, quid prudenter fiat; ſed quid juſte ac licite fiat. Alia enim de jure quæſtio eſt; alia num prudentiæ ſit jure ſuo uti, an aliquid de eodem remittere. Immo in præſenti caſu prudentiæ tribui nequit, quod eſt debitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ceterum propoſitio præſens minime contradicit præſenti. In caſu enim præſentis periculum actu præſens eſt; in caſu præcedentis non niſi quaſi præſens, quia nunquam certus eſſe potes, annon hoc momento fiat actu preſens. Præterea in caſu priori certum eſt tibi jam imminere periculum; in poſteriori tibi non certo conſtat, utrum periculum jam ſit actu præſens, nec ne, eum ex improviſo irruere queat.

§. 1020.

An propter minas interficere liceat alterum.

Si quis minis temere ejectis metum incuſſerit, ob eas ſolas alterum e medio tollere non licet. Si quis enim minis temere ejectis metum incutiat alteri, nondum certum eſt, quod ſit facturus, quæ minitatur: quin contrarium tantum non ſemper fieri conſtat. Quamobrem ex minis ſolis colligi nequit, imminere tibi periculum, quod aliter evitari nequit, niſi adverſario e medio ſublato. Quamdiu itaque certum non eſt periculum tibi imminere, nec tibi competit jus aliquod iſtud avertendi, quod nullum eſt (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quare ſi quis minis temere ejectis metum incuſſerit, ob eas ſolas alterum e medio tollere nondum licet.

Lex naturæ nobis non concedit jus defenſionis niſi periculi declinandi gratia. Quamobrem per ſe patet, periculum aliquod adeſſe debere, quod aliter evitari non poteſt, ubi defenſio licita eſſe debet. Certo igitur conſtare debet de periculo imminente aliter non evitabili, quam his vel illis mediis utendo. Si quis vi præſenti impetat corpus, periculum, quod imminet, non modo præſens eſt, verum etiam certum eſt, quod jamjam immineat, & ex circumſtantiis præſentibus colligitur, quomodo repelli poſſit. Ubi imminet e longinquo, certum eſſe debet, quod ex improviſo irruere poſſit, ut illud tunc, quando ingruit, declinatu ſit impoſſibile. Atque tum præoccupandum facinus. In moralibus autem magna probabilitas æquipollet certitudini. Solæ minæ non ſufficiunt, ut probabiliter colligas imminens periculum, quin potius haud raro probabilitati detrahunt. Rationes demum patebunt ex philoſophia morali, ipſa per experientiam obviam manifeſta. Quamobrem metum vix ulla ratione probabili nixum vi repellere nondum licet. Immo ſi vel maxime circumſtantiæ addant minis probabilitatem, quam per ſe non habent, periculum tamen imminens nondum haberi poteſt pro certo, aut vero æquiparari, propterea quod temporis mora interpoſita non modo mutari poteſt ejus, qui malum tibi inferendum decrevit, voluntas; verum etiam leniſſimis mediis evitandi, ſi quod eſt, periculum ſit locus. Non igitur quicunque minis locum faciunt mediis durioribus avertendi periculum, quod imminere poſſe ſuſpicaris, conſequenter nec quævis minæ jus occupandi facinus conferunt. Quæ hic dicuntur antea demonſtratis conſentientia probe perpendenda ſunt. Ita enim futurum confido, ne quis jus ſe defendendi ultra juſtos limites extendat lege naturali præſcriptos.

§. 1021.

Homicidium quodnam neceſſarium.

Homicidium neceſſarium dicitur, quod ſui defendendi gratia periculo vitæ vel mutilationis membrorum non aliter evitabili committendum.

Dicitur neceſſarium quatenus neceſſario committendum, ſi periculum mortis vel mutilationis membrorum evitandum, ut adeo in caſu dato ſit medium unicum periculi evitandi. Etenim cum medium hoc neceſſarium eſt (§. 279. *Ontol.*), conſequenter cum in defenſione homicidium ſpectetur tanquam medium unicum declinandi periculum præſens (§. 993.), ipſum quoque neceſſarium eſt, ac ideo recte neceſſarium dicitur. Videmus adeo denominationi ineſſe veritatem, ut homicidium dicatur tale, quale rei vera eſt.

§. 1022.

A homicidium neceſſarium licitum ſit & ſine peccato committatur.

Homicidium neceſſarium licitum eſt, nec qui hoc committit, in ullo peccat. Homicidium enim neceſſarium committitur ſui defendendi gratia, periculo vitæ vel mutilationis membrorum non aliter evitabili (§. 1021.). Enimvero ſi aggreſſor vi præſente impetat corpus, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari poſſit, quam illum interficiendo, eum interficere licet (§ 1013.). Homicidium ergo neceſſarium licitum eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam homicidium neceſſarium neceſſario committendum tui defendendi gratia (1021.), qui vero ſe adverſus alterum defendit, injuriam ipſi minime facit (§. 976.); qui homicidium neceſſarium committit alteri, qui occiditur, injuriam nullam facit, neque adeo ipſum lædit (§. 859. 920.), conſequenter homicidium neceſſarium non repugnat legi naturali, quæ quemquam lædi prohibet (§. 695.). Porro cum defenſio ſui amori inimicorum non repugnet (§. 998.), homicidium neceſſarium, quod ſui defendendi gratia committendum (§. 1021.), nec amori inimicorum, conſequenter nec legi naturali, quæ homines promiſcue omnes (§. 619.), ipſos etiam inimicos amari jubet tanquam ſeipſum (§. 632.), repugnat. Quoniam itaque ex anterioribus abunde conſtat legem naturæ de amore univerſali hominum promiſcue omnium ſub ſe continere officia omnia poſitiva, lex vero de non lædendo alio officia quævis privativa erga alios; homicidio neceſſario nihil ineſt, quod legi naturali quoad officia erga alios repugnet. Enimvero homicidium neceſſarium non alio fine committitur, quam ut periculum mortis vel mutilationis membri cujuſdam evadas, aliter non evitabile (§. 1021.). Quamobrem cum ad vitandum vitæ periculum (§. 371.), periculum etiam integritatem organi cujuſdam corporis lædendi obligemur, quantum in poteſtate noſtra poſitum (§. 373.), & jus alterum interficiendi conferat lex naturæ (§. 1013.); homicidio etiam neceſſario nihil ineſt, quod repugnet legi naturali quoad officia erga alios. Quoniam legis naturæ autor eſt ipſe Deus (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ipſe legem hominibus tulit (§. 274. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ac ad eam ſervandam hominem obliget (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), homicidium autem neceſſarium nihil continet, quod legi naturali quoad officia erga alios & officia erga ſeipſum repugnat *per demonſtrata*; metuendum omnino non eſt, ne eidem quicquam inſit, quod officio erga Deum repugnat. Quamobrem cum non peccet qui legi naturæ contrariam actionem non committit (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui homicidium neceſſarium committit in nullo peccat.

Non eſt quod excipias, peccare defenſorem, etſi modum non excedat, neque adeo aggreſſori injuriam faciat, ubi odio in eundem & cupidine vindictæ impulſus agit (§. 1006.) Etenim utrumque a vera defenſione, & abeſt (§. 996. 999.), & abeſſe debet (*not.* §. 997.). Peccatum vero hoc non attendendum eſſe in defenſione quoad aggreſſorem, facile patet, cum jus defendendi ſaltem verſetur circa actum externum, quatenus eſt medium declinandi malum intentatum (§. 992.). Quodſi ergo actus externus nullam vitioſitatem contrahit; quod actui interno admiſcetur vitioſum, reſpectu ejus, contra quem te defendis, minime attendendum venit.

§. 1023.

Homicidium voluntarium dicitur, quod intentione ſive directa', ſive indirecta committitur. Vocatur etiam *doloſum*, quia committitur dolo, adeoque a ſciente & volente ſive directe, ſive indirecte (§. 705. 623. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Homicidium voluntarium quid ſit.*

Oſtendimus alibi eum vere velle id, qui indirecte quid vult (§. 624 *part.* 2. *Phil. pract univ.*). Quamobrem cum ex vulnere, quod alteri infligere intendit directe, homicidium per ſe ſequi poſſit; qui vult vulnus alteri infligere directe, mortem quoque ejuſdem vult indirecte, conſequenter vere vult, atque adeo homicidium ſciens ac volens committere dicendus eſt, conſequenter homicidium vere doloſum eſt, ita ut denominationi inſit veritas, quemadmodum in homicidio neceſſario (*not.* §. 1021.).

§. 1024.

Homicidium voluntarium lege naturali prohibitum. Etenim lege naturali prohibetur, ne alterum occidas (§. 743.), & ne alterum vulneres, vel partem quandam corporis rumpas, vel oſſa frangas aut luxes (§. 740.), immo ne alterum in periculum vitæ adducas (§. 746.), conſequenter nec directe, nec indirecte velle debes mortem alterius (§. 621. 623. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque homicidium voluntarium committitur intentione ſive directa, ſive indirecta, ſeu a ſciente & ſive directe, ſive indirecte volente (§. 1023.); homicidium voluntarium lege naturali prohibitum. *Num ſit lege naturali prohibitum.*

Alia longe ratio eſt homicidii voluntarii, alia neceſſarii, quod revera voluntarium non eſt. Neceſſarium enim cum defendendi ſui gratia committatur (§. 1021.), a defenſore non intenditur (§. 992.), cumque cædem alterius non velit, quæ cædem alterius, ſed quæ medium unicum vitam ſuam, & integritatem corporis conſervandi (§. 993.), ne indirecte quidem necem alterius velle recte dicitur, & homicidium actio invita eſt, quam mallet non committere (§. 581. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Etſi autem actio invita imputari poſſit (§. 589. *p.* 1. *Phil. pract. univ*); non tamen hinc ſequitur, quod imputari poſſit ad pœnam, quemadmodum alibi oſtendemus. Interea legi poſſunt, quæ alibi annotavimus de imputatione actionis invitæ. Immo probe ad coactam accedit (§. 579. *part.* 1. *Philoſ pract. univ.*), quam non agenti (§. 586. *part.* 1. *Phil pract. univ.*), ſed cogenti imputandam eſſe conſtat (§. 587. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed hæc diſertius explicare noſtri jam non eſt inſtituti.

§. 1025.

Homicidium culpoſum dicitur, quod nonniſi culpa (ſpecialiter ſcilicet dicta) committitur. *Homicidium culpoſum quid ſit.*

Ita homicidium culpoſum eſt, ſi quis trabem dejicit in plateas non circumſpiciens, num quis prætereat, nec clamore monens prætereuntes, ut ſibi proſpiciant, & trabe in caput prætereuntis decidente hic occiditur. Culpa enim in eo hæret, quod non animum advertit ad circumſtantias præſentes, ac ideo ea circumſpectione minime uſus, ut clamore admoneret prætereuntes de periculo jamjam imminente (§. 748. 749. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Vulgo dicitur, homicidium culpoſum eſſe, quod ex negligentia committitur. Vid. *Struvius* Juriſprud. Rom. Germ. for. lib. 3. tit. 28. §. 32. Enimvero cum JCti ſpecies culpæ non diſtinguant, ſed nomina diverſarum ſpecierum pro ſynonymis habeant (*not.* §. 777. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); per negligentiam culpa in ſpecie dicta intelligitur. Hinc *Carpzovius* in Crimin. part. 1. quæſtion. 27. §. 8. homicidium doloſum vocat, quod culpa committitur. Suo tamen conſtabit loco, in homicidio culpoſo, ubi accurate definendum, quantum idem imputari debeat, culpæ ſpecies omnino diſtinguendas eſſe.

§. 1026.

Homicidium culpoſum lege naturali prohibitum. Quoniam enim nemo occidendus (§. 743.), & culpam omnem vitare obligamur (§. 299.), quamlibet etiam cul- *An lege naturali prohibitum.*

culpæ in ſpecie ſic dictæ ſpeciem (§. 301.); nec culpa in ſpecie dicta homicidium committendum, conſequenter homicidium culpa in ſpecie dicta commiſſum lege naturali prohibetur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero homicidium culpa in ſpecie dicta commiſſum culpoſum eſt (§. 1025.). Homicidium itaque culpoſum lege naturali prohibitum.

In homicidio culpoſo concurrere poſſunt & culpa agentis, & culpa patientis. Sed hic tantummodo ſpectanda culpa agentis, etſi in imputatione, de qua hic non agitur, utique habenda etiam ratio ſit culpæ patientis. Ceterum quod de homicidio doloſo & culpoſo lege naturali prohibito demonſtravimus; idem in genere de qualibet actione lege naturali prohibita valet. Quamobrem ne in aliis caſibus particularibus reiteranda ſit demonſtratio, propoſitionem ſequentem generalem adjicere lubet.

§. 1027.

Quomodo prohibitiones legis naturalis interpretandæ. *Si qua actio lege naturali prohibetur, non minus culpoſa, quam doloſa prohibita.* Etenim ſi qua actio lege naturali prohibetur, ad eam omittendam obligamur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque culpam omnem evitare debemus (§. 299.); non minus ea prohibetur actio, quæ culpa, quam quæ dolo committitur (*not.* §. 717. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed quæ dolo committitur, actio doloſa eſt (§. 702. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quæ culpa, culpoſa (§. 718. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi qua actio lege naturali prohibetur, non minus culpoſa, quam doloſa prohibita.

Quamdiu adeo tantummodo de eo quæſtio eſt, num actio aliqua lege naturali ſit prohibita, doloſa a culpoſa non diſtinguenda, conſequenter nec hac diſtinctione opus eſt, ubi de obligatione tantummodo agitur. Enimvero in imputatione dolus a culpa ſemper diſtinguendus, cum longe diſpar ſit doli ac culpæ imputatio, quemadmodum ex parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis abunde conſtat.

§. 1028.

Homicidium caſuale quodnam ſit. *Homicidium caſuale* dicitur, quod nonniſi caſu improviſo, nec evitabili committitur.

Carolus V. in Ordin. Criminal. art. 146 hiſce exemplis homicidium caſuale illuſtrat. Si tonſor in tonſtrina ſua barbam radens, & ab altero improviſo percuſſus gulam ejus, quem radebat, præcidit: homicidium caſuale eſt. Similiter ſi quis in campo Martio bombardam ad metam directam exonerans tranſcurrentem globo trajicit; homicidium caſuale eſt. Difficile cenſetur homicidium caſuale a culpoſo ſubinde diſtinguere, propterea quod ex eodem facto pro diverſitate circumſtantiarum homicidium nunc ſit culpoſum, nunc caſuale: id quod ipſe Imperator innuit *loc. cit.* ubi monet, ſi tonſor in platea barbam radens eodem, quo ante, caſu homicidium facit, id non pro caſuali, ſed culpoſo habendum. Cum enim malunt in præſenti caſu eventu poſſibile prævidere potuiſſet, ad idem tamen animum non attenderit; improvide egit (§. 764 *p.* 1. *Phil pract univ.*), quod barbam in platea raſerit, conſequenter cum improvidentia culpā ſit (§. 768. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*), culpa vero commiſſum homicidium culpoſum (§. 1025.); a tonſore commiſſum homicidium culpoſum eſt. Idem eodem modo patet in caſu altero, ſi in campo Martio bombardam exonerans imprudenter eandem tractet, ut globus a meta longiſſime aberret: imprudentia enim culpa eſt (§. 777. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1029.

Quomodo a culpoſo diſtinguatur. Quoniam homicidium caſuale non committitur niſi caſu improviſo ac inevitabili (§. 1028), caſus vero evitabilis eſt, ſi facto, quo committitur, culpæ quidpiam adhæret (§. 299.), vel ipſum in ſe ſit illicitum, adeoque omittendum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *homicidium caſuale non eſt, ſi facto, quo committitur, culpæ quidpiam adhæret, vel id in ſe illicitum ſit, ſed culpoſum.*

Ex

Digitized by Google

Ex definitione caſus (§. 460. *part. 2. Theol. nat.*) intelligitur, quandonam homicidium ſit effectus caſualis; ex iis autem, quæ de imputatione effectus caſualis demonſtravimus (§. 639. 640. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quandonam effectus caſualis fuerit evitabilis; atque adeo homicidium non in totum pendeat a caſu, ſed etiam a voluntate tua. Quamobrem ſi ad hæc reſpicias principia, nunquam difficile erit homicidium caſuale a culpoſo diſtinguere.

§. 1030.

Homicidium caſuale lege naturali prohiberi non potuit, nec committenti imputari poteſt. Etenim homicidium caſuale non committitur, niſi caſu improviſo ac inevitabili (§. 1028.), conſequenter tibi impoſſibile fuit idem non committere. Quoniam itaque lex naturæ non obligat ad id, quod homini impoſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec ad homicidium caſuale omittendum nos obligare potuit. Quamobrem patet homicidium caſuale lege naturali prohibitum non eſſe (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Homicidium caſuale non eſt contra jus naturæ.

Quoniam etiam caſus improviſus, quo committitur homicidium, committenti inevitabilis (§. 1028.), idem a libera ejus voluntate minime dependet (§. 941. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum actiones non imputentur niſi quatenus liberæ ſunt (§. 532. *part. 1. Phil. pract. univ.*); homicidium caſuale committenti imputari nequit. *Quod erat alterum.*

Lex naturæ non conſiderat actiones niſi quoad dependentiam a voluntate libera: de iis adeo nil diſponit, nec diſponere poteſt, quæ in totum caſui tribuenda.

§. 1031.

Vulnus lethale dicitur, ex quo vulneratum obire neceſse eſt. Aſt *minus lethale* dicitur, ex quo vulneratum obire neceſse non erat, licet ex accidente cauſa quadam alia quacunque ſuperveniente obierit.

Vulnus quodnam lethale, quod minus lethale dicatur.

Facile intelligitur, quodnam vulnus lethale dicatur, quod minus lethale: ſed non eadem facilitate intelligitur in quovis caſu, quodnam ſit lethale, quodnam vero minus lethale. Hoc enim ex Phyſicis demum conſtare poteſt, ubi doceri debet, quænam ſint illa organa, quorum functiones ad vitam adeo neceſsariæ, ut ſine iis conſervari nequeat, & quomodo lædenda ſint illa organa, ut functionibus ſuis obeundis non amplius ſufficiant, nec ipſa in integrum reſtitui poſſint Medici opera. De hiſce igitur ſuo diſpiciendum loco. Hinc eſt, quod cum Medici in hac parte Phyſicæ debeant eſse verſati, JCti judicium de lethalitate vulnerum fidei Medicorum tanquam artis peritorum committant. Ceterum nemo eſt qui neſciat, ſi cor transfoditur, ut ad functiones ſuas ineptum evadat, vulnus eſse lethale: ſi vero manus amputatur, & ob abſentiam Chirurgi nimium effundatur ſanguinis, ut obeundum ſit vulnerato, vulnus minus lethale eſse.

§. 1032.

Qui vulnus lethale infert, homicidium committit; qui minus lethale, non committit. Si quis enim vulnus lethale infert alteri, ex eo ipſi neceſſario obeundum (§. 1031.), adeoque facto ſuo mortem alteri conſciſcit, ſeu vita eundem privat. Enimvero qui facto ſuo mortem alteri conſciſcit, ſeu vita eundem privat, homicidium committit (§. 741.). Committit adeo homicidium, qui vulnus lethale alteri infert. *Quod erat unum.*

Quinam vere homicida, ſi alterum vulneret.

Quodſi vero quis alteri vulnus minus lethale inferat, ex eo alteri neceſsario obeundum non eſt, ſed ubi obierit id ex accidente cauſa quadam alia ſuperveniente ſit (§. 1031.). Quamobrem dici nequit, quod vulnerans vulnerato mortem conſciverit facto ſuo, ſeu eundem vita privaverit. Quoniam itaque homicidium non committit, qui facto ſuo alteri mortem non conſciſcit, ſeu vita eundem privat (§. 741.); qui vulnus minus lethale infligit, homicidium non committit. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Ex ipſa notione homicidii ſequitur, quod non committatur ab eo, qui vulnus lethale non infert. Rectiſſime igitur & jure naturæ conſentiente in praxi pro homicida non habetur, niſi qui lethaliter alterum vulneravit. Vulnus autem hic ſumitur in ſenſu latiori, quo etiam contuſiones & quaſcunque alias organorum corporis internas læſiones complectitur, ex quibus mora læſi neceſſario ſequitur. Unde læſio corporis ſemper talis eſſe debet, ut ex ea ſola mors ſequi debuerit cauſa nulla alia ſuperaccedente; ſiquidem homicidium ab aliquo commiſſum eſſe dicendum. Obtinet vero hoc non minus in homicidio culpoſo, quam doloſo.

§. 1033.

Jus & obligatio defendendi famam.

Homini competit jus famam ſuam defendendi, immo ad eandem defendendam obligatur. Famam enim ſuam ſervare (§. 517.), conſequenter ſollicite cavere debet, ne bona in malam degeneret (§. 556.). Quamobrem cum famam alterius lædat, qui ipſi infamiam adſpergere (§. 867.), conſequenter id agere conatur, ut mala ſit ejuſdem fama (§. 862.); hoc intendenti reſiſtere debet, quantum poteſt, ne famam amittat bonam, malam conſequatur. Quoniam itaque qui hoc facit, famam ſuam defendit (§. 972.); homo famam ſuam defendere debet, conſequenter ad eam defendendam obligatur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Lege naturali obligamur ad famam noſtram defendendam *per demonſtrata.* Quare cum lex naturæ det nobis jus ad eas actiones committendas, ad quas committendas nos obligat (§. 158. *part. 1. Phil. pract. univ.*); homini quoque competit jus famam ſuam defendendi. *Quod erat alterum.*

Quando itaque famam noſtram defendimus, non modo hoc licite facimus, ſed facimus etiam quod debemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cumque actio legi naturali contraria peccatum ſit (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in ſeipſum peccat, qui famam ſuam defendere negligit. Quamobrem patet ratio, cur ipſe Chriſtus; qui convicia conviciis non rependebat, ſed maledicta maledictis, 1. *Petr.* II. 23. adverſus calumnias tamen Judæorum, qui famam ipſius laceſſebant, famam ſuam defenderit *Joh.* VIII. 48. *& ſeqq.*

§. 1034.

Jus & obligatio exiſtimationem defendendi.

Quoniam fama exiſtimationem continet (§. 549. 553.), *homini* autem non modo competit jus famam ſuam defendendi, verum etiam is ad eandem defendendam obligatur (§. 1034.); *quin* ipſi etiam *competat jus exiſtimationem ſuam defendendi, immo ad eam defendendam idem obligetur, dubitandum non eſt.*

Quoniam hic non agimus de fama & exiſtimatione defendenda, niſi quatenus ea viget in ſtatu naturali, in civili autem exiſtimationis & famæ notio ob opinionem hominum, quibus aliquid dandum, tantiſper variat; non promiſcue ad ſtatum civilem transferenda ſunt, quæ de defenſione famæ ac exiſtimationis in naturali demonſtrantur. Quænam vero diverſitas a ſtatu civili accedat, ſuo docebimus loco. Quod vero fama exiſtimationem contineat, tanto minus dubitari poteſt, quanto certius eſt, quod fama revera non ſit niſi æxiſtimatio inter plures. Hinc *Seneca* epiſt. 102. Fama, inquit, non eſt unius ſermo, nec infamis unius mala exiſtimatio, ſic nec claritas, uni placuiſſe bono. Conſentire in hoc plures inſignes & præſtantes viri debent ut claritas ſit.

§. 1035.

An famam & exiſtimationem defendendi medium ſit interfectio

Qui alterum interficit, vel corpus ejus quomodocunque lædit; hoc ipſo famam & exiſtimationem ſuam minime defendit. Qui enim famam alterius lædit, infamiam alteri adſpergere conatur (§. 867.), conſequenter id agit, ut communis ſit de eo hominum opinio, quaſi is vitiis quibuſdam ſit deditus (§. 862.). Et qui exiſtimationem alterius lædit, is ei ignominiam vel contemtum facere conatur (§. 867.), conſequenter id agit, ut alii ipſum imperfectionibus quibuſdam

Digitized by Google

dam laborare (§. 811.), & virtutibus carere (§. 820.), vitiis vero contaminatum eſſe judicent (§. 822.), conſequenter ut minoris, vel etiam nihili fiat ab aliis (§. 843.), tanquam indignus honore (§. 787.) & indignus, qui magni fiat ab aliis (§. 842.). Quodſi ergo famam & exiſtimationem ſuam defendit, id agere debet, ne alii fidem habeant famam ſuam laceſſenti & exiſtimationem lædenti (§. 972.), conſequenter ne vera eſſe opinentur, quæ dicit (§. 611. *Log.*). Enimvero quod alterum interficias, vel corpus ejus quomodocunque lædas, eo ipſo nemini perſuadebis falſa eſſe, quæ de te ſpargit. Patet itaque hoc ipſo famam & exiſtimationem tuam minime defendi, quod alterum interficias, vel corpus ejus quomodocunque lædas. *& læſio corporis alterius.*

Optime hinc *Grotius* de Jur. Bel. & P. lib. 2. c. 1. §. 10. num. 3. pronunciat, interfectionem non eſse modum aptum ad tuendam exiſtimationem. Neque vero eſt, quod excipias, ex interfectione alterius ſeu vi corpori ejuſdem illata colligi poſse, quod ægerrime feras calumnias de te ſpargi. Etſi enim ſubinde hæc cauſa eſse poſſit, cur ad iram ab altero provoceris; non minus tamen exploratum eſt ægerrime ferri ab aliis, ſi quæ vera ſunt de iiſdem propalentur. Immo hoc ægrius ferre pleroſque, quam calumnias conſtat. Hinc uſu propemodum evenit, ut indicium malæ conſcientiæ habeatur, ſi quis valde exacerbetur, ubi alii famam ejus & exiſtimationem lædere conantur, cum ex adverſo conſcia mens recti famæ mendacia ridere credatur. Neque exiſtimo multos eſse qui ſibi perſuadeant, vi calumniatori illata calumnias refutari. Etſi enim plerique hodie mortalium perverſa hac opinione ſint imbuti; quaſi injuriæ verbales non aliter vindicari poſſint, quam vi corpori alterius illata; id tamen non aliam habet rationem, quam quod ſibi perſuadeant eſse hoc fortitudinis ſignum. Sed opinionem hanc male ſanam jam ſupra confutavimus (*not.* §. 1011.).

§. 1036.

Famam & exiſtimationem ſuam defendere non licet interficiendo alterum, vel corpori ejus vim inferendo aliter. Quoniam homini competit jus famam ſuam (§. 1033.) & exiſtimationem defendendi (§. 1034.); ea facere ipſi licet, quibus fama & exiſtimatio defenditur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero interficiendo eum, qui famam vel exiſtimationem noſtram lædit, vel corpori ejus vim quomodocunque inferendo fama & exiſtimatio minime defenditur (§. 1035.). Quamobrem famam & exiſtimationem ſuam defendere non licet interficiendo alterum, vel corpori ejus vim alio quocunque modo inferendo. *An famam & exiſtimationem vim inferendo alteri defendere liceat.*

Vulgo dicitur: Vita & fama pari paſſu ambulant. Hæc ratio nonnullos ſeduxit, ut, cum viderent, vitam poſse defendi alterum interficiendo, vel vim quocunque modo alio corpori ejuſdem inferendo (§. 1013.), inde intulerint, famam quoque & exiſtimationem eodem modo defendere licere. Enimvero ſi vel maxime concedamus famam & exiſtimationem vitæ æquiparandam eſse; diſpar tamen eſt utriuſque defendendæ ratio. Vita enim cæde alterius defendi poteſt & medium defenſionis unicum eſt in eo caſu, ubi id facere licet (§. *cit.*): aſt fama & exiſtimatio nece alterius defendi nequit (§. 1035.), adeoque ex numero mediorum defenſionis hac in parte prorſus excluditur hic defendendi modus.

§. 1037.

Calumniæ manifeſtæ dicuntur, quæ probabilitate omni ſive intrinſeca, ſive extrinſeca deſtituuntur, & probabiles minimum rationes in contrarium habent. *Specioſæ* autem vocantur, quæ probabilitatem habere videntur. Inter has medias *non manifeſtas* appellare lubet, quando in neutram contradictionis partem probabiles rationes proſtant. *Calumniæ manifeſtæ & ſpecioſæ quænam ſint.*

Vocabulo calumniæ tribuimus ſignificatum laxiorem, quam apud Latinos autores occurrit. Cum enim initio eſſet vocabulum forenſe, quod vexationem alterius in litibus per fraudem & fruſtrationem denotabat (quo in ſenſu hodienum in foro adhibetur); poſtea ad quodvis crimen falſo alteri objectum translatum fuit. Nos vero, cum in Jure naturali ob ſtrictiorem, quæ ibidem urgetur, obligationem famæ ſignificatus latius extendendus ſit (§. 553.), calumniæ, quibus famam alterius lædere intentat calumniator, itidem ſignificatum ad omne vitium omnem-

que virtutis intellectualis, immo omnem ſtatus externi imperfectionem extendimus, quatenus id nocumento eſt, ſiquidem calumniæ fides habetur, ne eadem aliquoties ſub diverſo nomine demonſtrari ſit opus. Hinc jam facile patet, quomodo rationes intrinſecæ probabilitatis differant ab extrinſecis. Intrinſecæ enim deſumuntur ab eo ipſo, quod falſo perhibetur: extrinſecæ autem a perſona calumniatoris, vel perſona ejus, de quo quid falſo perhibetur. Unde patet, in calumnia manifeſta nec ab eo, quod objicitur, nec a perſona ejus, cui objicitur, nec a calumniatoris perſona peti poſſe rationes, quibus probabile reddatur, quod objicitur, ſed petitas inde rationes potius probabile reddere contrarium: in ſpecioſa proſtare aliquas rationes, quæ, quod objicitur alicui, probabile reddunt: in non manifeſta autem nullas poſſe rationes ex fontibus iſtis derivari, quæ quod objicitur vel probabile vel improbabile reddunt. Quamvis adeo communiter inter calumnias manifeſtas & ſpecioſas non admittatur medium quoddam genus; ex dictis tamen abunde conſtat, non manifeſtas, quas diximus, a ſpecioſis & manifeſtis eſſe diſtinguendas, præſertim ubi de defenſione adverſus calumnias agitur, quemadmodum ex ſequentibus conſtabit.

§. 1038.

Quando fides non habenda iis, quæ famæ ac exiſtimationi alterius adverſa.

Quamdiu certus non es, quæ famæ ac exiſtimationi alterius adverſa dicuntur eſſe vera, iis fidem habere non debes. Quamdiu enim certus non es, quæ famæ ac exiſtimationi alterius adverſa dicuntur eſſe vera, metus oppoſiti ad huc ſupereſt, ne ſint falſa (§. 564. *Log.*). Quodſi igitur contingat, ea eſſe falſa, & tu eadem pro veris habes, tu ei tribuis imperfectiones, quibus minime laborat, vel facta, quæ arguunt defectum virtutum intellectualium & moralium, aut vitia, quæ tamen ipſi tribui non poſſunt (§. 549. 551. 553.), conſequenter non tanti eum exiſtimas, quanti meretur (§. 538.). Quamobrem cum hoc fieri a te minime debeat (§. 647. 722.); quamdiu certus non es, quæ famæ ac exiſtimationi alterius adverſa dicuntur eſſe vera, iis fidem habere non debes.

Nimirum ſi fidem habes dictis alterius, & ea vera non ſunt, contra obligationem, qua alteri devinctus es, agis, adeoque peccas (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*): ſi vero fidem non habens ea in medio relinquis, tibi metuendum non eſt, ne forſan pecces. Tutius adeo eſt dictis non habere, quam habere fidem. Etſi hæc ſatis evidentia ſint, ut in dubium revocari nequeant; contrarium tamen moribus obtinet, quorum cauſæ inveſtigandæ ſunt in Philoſophia morali.

§. 1039.

In quo conſiſtat defenſio famæ & exiſtimationis.

Contra calumnias fama & exiſtimatio aliter defendi nequit niſi efficiendo, ne calumniatori fides habeatur ab aliis. Quoniam enim contra calumnias famam & exiſtimationem tuam defendis, ſi calumniatori reſiſtis, ne eam *lædere poſſit* (§. 972.), conſequenter ne tibi infamiam adſpergat, vel ignominiam aut contemtum faciat (§. 867.), infamia autem communis hominum de vitiis tuis opinio (§. 862.) & ignominia vera de imperfectione tua (§. 811.), vitiis præſertim (§. 822.) atque factis, quæ eadem (§. 823. & virtutum intellectualium ac moralium defectum arguunt (§. 821.), judicium eſt; ſi famam & exiſtimationem contra calumnias defendere volueris, aliter id fieri nequit, quam ut efficias, ne quæ a calumniatore dicuntur, habeantur pro veris. Quamobrem cum pro veris ea non habeat, quæ dicit calumniator, qui aſſenſum iiſdem non præbet (*not.* §. 1003. *Log.*), conſequenter qui fidem calumniatori non habet (§. 611. *Log.*); contra calumnias fama & exiſtimatio aliter defendi nequit niſi efficiendo, ne calumniatori fides habeatur ab aliis.

Ex propoſitione præſente per modum corollarii inferri poterat, quod paulo ante demonſtravimus (§. 1035.), quod interfectio alterius vel læſio corporis ipſius quæcunque non ſit medium aptum ad tuendam famam & exiſtimationem.

§. 1040.

Digitized by Google

§. 1040.

Modus famam & exiſtimationem defendendi.

Quoniam aliter effici nequit, ne calumniatori habeatur fides ab aliis, quam ubi verbis vel factis contrarium eorum oſtendis, quæ dicit calumniator, contra calumnias autem fama & exiſtimatio aliter defendi haud quaquam poteſt, niſi efficiendo, ne ei habeatur fides (§. 1039.); *fama & exiſtimatio aliter defendi nequit, niſi verbis vel factis contrarium eorum oſtendendo, quæ dicit calumniator.*

Ecce tibi arma, quibus fama & exiſtimatio defendi poteſt. Non eſt, quod excipias, vi adigi poſſe calumniatorem, ut confiteatur, falſa eſſe, quæ dixerat, atque adeo alia adhuc dari arma, quibus ea defendatur. Ut enim taceam vi adigere alterum, ut, quæ dixit, revocet, non eſſe defenſionem proprie loquendo; nemo non videt, ex eo, quod quis coactus fateatur ſe falſa locutum fuiſſe, nondum certo conſtare, quod ſint falſa, conſequenter famam & exiſtimationem hoc pacto minime defendi (§. 1039.).

§. 1041.

Quomodo famam & exiſtimationem defendere liceat.

Famam & exiſtimationem aliter defendere non licet niſi verbis & factis, quibus probatur contrarium ejus, quod dicit calumniator. Quoniam homo ad famam & exiſtimationem ſuam defendendam obligatur (§. 1033. 1034.), lex vero naturæ eidem dat jus ad ea, ſine quibus obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus eidem quoque dat ad eos actus, ſine quibus fama & exiſtimatio defendi nequit. Quoniam itaque aliter defendi nequit, niſi verbis & factis contrarium eorum oſtendendo, quæ dicit calumniator (§. 1040.); homini quoque non eſt jus aliter defendendi famam & exiſtimationem, quam verbis & factis, quibus probatur contrarium ejus, quod dicit calumniator. Quamobrem cum non liceat niſi id, ad quod agendum nobis jus eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); famam & exiſtimationem aliter defendere non licet, niſi verbis & factis, quibus probatur contrarium ejus, quod dicit calumniator.

Honeſtiſſimus famam & exiſtimationem tuendi modus eſt, ſi factis contrariis calumniæ refelluntur. Ita enim calumniæ incitamento ſunt ad virtutem, quæ veram exiſtimationem & famam parit, conſervat & auget. Calumniator in pudorem conjicitur, ubi omnes boni ac prudentes tibi tanto magis applaudant, quanto protervius famam & exiſtimationem tuam in periculum adjacere auſus fuerat. Unde & modus defendendi omnium certiſſimus & tutiſſimus eſt. Quoniam tamen non ſemper eidem locus eſt, nec eidem ſoli; ideo porro docendum, quomodo armis illis tuendi famam & exiſtimationem ſit utendum.

§. 1042.

Quando famæ & exiſtimationis defenſione non ſit opus.

Contra calumnias manifeſtas nulla opus eſt defenſione. Etenim ſi calumniæ ſint manifeſtæ, nullæ proſtant rationes, ſive extrinſecæ, ſive intrinſecæ, quibus probabile ſit, quod dicit calumniator; ſed proſtant potius rationes ſaltem probabiles in contrarium (§. 1037.). Non igitur verendum eſt, ut intelligentes ac boni dictis calumniatoris habeant fidem. Quoniam itaque contra calumnias fama & exiſtimatio defenditur, cum efficimus, ne calumniatori ab aliis habeatur fides (§. 1039.); contra calumnias manifeſtas defenſione nulla opus eſt.

Quodſi excipias, calumniatorem manifeſtum imponere tamen poſſe incautis, ut dictis fidem habeant, & malevolos manifeſtas etiam arripere calumnias aliorum, ut tanto ſecurius & ipſi te calumniari poſſint, juxta illud pervulgatum: calumniare audacter, ſemper aliquid hæret; probe perpendendum eſt honorem, conſequenter & exiſtimationem (§. 538.) pendere ab intelligentibus (§. 540.), quorum echo cum ſint alii, qui per ſe judicare non poſſunt, non minus fama ab iis ortum ſuum ducit, & per eos amplificatur (§. 553.) Unde ſucceſſu temporis calu-

calumniæ manifeſtæ ſua tandem ſponte in auram abeunt. Ne vero malevoli calumniis applaudant, ne defenſione quidem obtinebis: ſui enim ſimilibus, apud quos facilem reperiunt fidem, facile perſuadent, te defenſione tua a te amoliri non potuiſſe, quod tibi fuerit objectum. Quicquid adeo agas, nihil effeceris. Patienter adeo ferenda ſunt, quæ mutari non poſſunt. Et hoc in caſu valet tritum illud:

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

§. 1043.

Caſus alius. *Contra calumniatores apud intelligentes & cordatos viros nullius autoritatis fama & exiſtimatio defenſione nulla indiget.* Quodſi enim calumniator apud intelligentes & cordatos viros nullius fuerit autoritatis, hi ipſorum dictis nullam habent fidem (§. 611. *Log.*). Quamobrem cum fama & exiſtimatio contra calumnias defendatur, dum efficimus, ne calumniatori fides habeatur ab aliis (§. 1039.), vera autem exiſtimatio ab intelligentibus pendeat (§. 538. 540.), quam fama minime fallax ſupponit (§. 553.); contra calumniatores apud intelligentes & cordatos viros nullius autoritatis fama & exiſtimatio nulla defenſione indiget.

Exiſtimatio, famæ fundamentum (§. 538. 553.), non eſt in poteſtate tua (§. 539.), niſi quoad meritum (§. 545.). Sed haud raro accidit, ut alii famam mereantur, alii habeant. Quemadmodum itaque nunquam obtinebis, ut tanti ab omnibus exiſtimeris, quantum mereris; ita nec unquam conſequeris, ne ſint qui exiſtimationi ac laudi tuæ detrahere conentur & apud alios reperiant fidem. Sed hæc inter ea referenda, quæ contemni merentur, quamdiu mens ſibi recti conſcia fuerit, præſertim ubi meritum apud intelligentes atque cordatos viros exiſtimationem tuam tuetur.

§. 1044.

An ſe defendere liceat contra calumniatores leves & calumnias manifeſtas. *Contra calumnias manifeſtas & calumniatores apud intelligentes ac cordatos viros nullius autoritatis nos defendere minime debemus.* Etenim contra calumnias manifeſtas & calumniatores apud intelligentes ac cordatos viros nullius autoritatis nulla defenſione opus eſt (§. 1042. 1043.), conſequenter qui in hiſce caſibus ſe defendit, facit quod ſuperfluum eſt, ſeu ad finem conſequendum nil facit: id quod clarius intelligitur ex iis, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 1042.). Enimvero quoniam ſapiens non agit niſi propter finem, nec mediis utitur, niſi quatenus ad finem conſequendum apta & neceſſaria ſunt (§. 678. *Pſych. rat.*); defenſio contra calumnias manifeſtas & calumniatores apud intelligentes ac cordatos viros nullius autoritatis ſapientiæ adverſa. Quamobrem cum ad ſapientiam acquirendam (§. 254.), conſequenter & ad ſapienter agendum obligemur (§. 173.), adeoque etiam ad vitandum ea, quæ ſapientiæ adverſantur (§. 722.); contra calumnias manifeſtas & calumniatores apud intelligentes & cordatos viros nullius autoritatis nos defendere minime debemus.

Mirabuntur forſan nonnulli, quod adverſus calumnias manifeſtas & calumniatores leves ſe non defendere ad ea referamus, quæ debentur. Sed hi erunt, qui ex notionibus non ſatis determinatis & maximam partem confuſis ratiocinantur, nec obligationem ad virtutum intellectualium exercitium, immo ad omnem uſum facultatum noſtrarum faciendum capiunt, ſine quo nec eam actionum rectitudinem conſequi datur, quam lex naturæ urget (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Obligatio naturalis latius patet, quam vulgo putatur. Et plura requiruntur, ut actiones ſint tales, quales vi legis naturalis debitæ, quam pleriſque videtur. Qui in Philoſophia practica univerſali & anterioribus cum laude fueris verſatus; ei aperta ſunt, quæ dicuntur

§. 1045.

Contra calumnias *Contra calumnias ſpecioſas nos defendere debemus.* Etenim ſi calumniæ fuerint ſpecioſæ, rationes probabiles habent (§. 1037.), conſequenter quod tibi objicitur

Digitized by Google

tur a calumniatore, verum videtur (§. 578. *Log.*). Quoniam adeo fama & exiſtimatio periclitatur, ad eam vero defendendam obligamur (§§. 1033. 1034.); contra calumnias ſpecioſas nos defendere debemus. *Specioſas defenſio debita.*

Qui quaſvis calumnias contemtu vindicandas eſſe inculcant tolerantiam contra obligationem naturalem extendunt, nec quid ea ſit, ſatis intelligunt. Patientia moderatur appetitum & averſationem circa fortunam adverſam (§. 592.), adeoque cavet, ne exorbitet. Enimvero nec appetitum & averſationem prorſus reprimit, nec ea reſpicit, quæ in poteſtate tua ſunt. Intelligitur hinc quam ſit neceſſe, ut in philoſophia practica omnia diſtinctis ac determinatis notionibus explicentur.

§. 1046.

Si ex calumnia quacunque non ſine ratione probabili ſaltem metuendum ſit aliquod malum; contra eam nos defendere debemus. Quodſi enim ex calumnia quacunque non ſine ratione probabili ſaltem metuendum ſit aliquod malum; per ſe patet, mali iſtius periculum evitari non poſſe, niſi efficiendo, ne eidem fides habeatur, conſequenter contra eam ſeſe defendendo (§. 1039.). Enimvero quilibet operam dare debet, ut ſibi caveat a malis animi, corporis ac fortunæ, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 183.), conſequenter ut quodvis mali cujuſcunque periculum evitet. Quamobrem ſi ex calumnia quacunque non ſine ratione probabili ſaltem metuendum ſit aliquod malum; contra eam nos defendere debemus. *Quando contra quamvis calumniam nos defendere debeamus.*

Si calumnia fuerit ſpecioſa, contra eam nos defendere debemus, quatenus famæ ac exiſtimationis habenda ratio eſt (§. 1033. 1034.) Quodſi ex eadem nobis emergere poſſit aliquod malum; nova ſuperaccedit obligatio nos defendendi, quatenus illud a nobis avertere debemus (§. 183.). In hoc igitur caſu tanto magis nos adverſus calumniam ſpecioſam defendere tenemur. Enimvero ſi calumnia fuerit manifeſta, contra eam nos defendere non debemus, quatenus famæ tantummodo ac exiſtimationis nudæ habenda eſt ratio (§. 1044.): quatenus tamen ex ea malum quoddam emergit, niſi calumnia reprimatur, defenſioni locus eſt, ne deſimus obligationi cuidam noſtræ (§. 183.). Propoſitio præſens non contradicit anteriori (§. 1044.). Ibi enim calumnia nuda in ſe ſpectatur, quatenus nonniſi exiſtimationem penes aliquos lædere poteſt; hic vero ſpectatur quoad id, quod ob circumſtantias caſus dati ex ea evenit, aut ſaltem quod evenire poſſit non vanus metus eſt. In caſu autem emergente debitum fieri poteſt, quod illicitum erat nude ſpectatum, ſeu extra eum caſum.

§. 1047.

Contra calumniam non manifeſtam nos defendere debemus, Quodſi calumnia fuerit non manifeſta, in neutram contradictionis partem probabiles rationes proſtant (§. 1037.), adeoque ſuſpicioni ſaltem locus eſt, annon vera ſint, quæ dicit calumniator. Tua igitur exiſtimatio atque fama dubia redditur, conſequenter periclitatur, ſaltem in futurum ſi eadem vel ſimilis calumnia reiteratur. Quoniam itaque exiſtimatio atque fama defendenda (§. 1033. 1034.); contra calumniam non manifeſtam nos defendere debemus. *Defenſio contra calumniam non manifeſtam debita.*

Quando in neutram contradictionis partem proſtant rationes probabiles, vel ex utraque parte rationes prorſus nullæ adſunt, vel quæ in utramque partem proſtant æquipollentes ſunt. Quoniam diverſa ſunt hominum de probabilitate judicia, neque omnes in probabilibus rationes in utramque partem proſtantes ponderare ſolent; in caſu altero magis neceſſaria eſt defenſio, quam in primo.

§. 1048.

Defenſio verbalis dicitur, qua famam atque exiſtimationem adverſus calumniam verbis defendimus. Aſt *realis* vocatur, qua eandem defendimus factis, quibus contrarium probatur. *Defenſio verbalis & realis quænam ſit.*

Vi-

Vidimus ante (§. 1040.), famam & exiſtimationem aliter defendi non poſſe, niſi verbis atque factis contrarium eorum oſtendendo, quæ dicit calumniator. Recte igitur defenſio famæ & exiſtimationis diſtinguitur in verbalem & realem. Abſit autem ut tibi perſuadeas, ad defenſionem verbalem a nobis referri, ſi quis calumniatorem convicietur aut calumnias ejus calumniis rependat. Qualia enim eſſe debeant verba, quibus famam atque exiſtimationem defendimus, aperte ſatis diximus ante (§. *cit.*). *Conviciari & calumniari calumniatorem non* magis *aptum medium eſt ad defendendum famam & exiſtimationem*, quam vi impetere corpus ejus: quod cum eodem modo oſtendatur, quo hoc ſuperius demonſtravimus (§ 1035.), demonſtrationi in præſenti ſuperſedemus.

§. 1049.

Verbis quomodo defendatur fama & exiſtimatio.

Fama & exiſtimatio defenduntur verbis oſtendendo falſitatem eorum, quæ dicit calumniator, aut veritatem contrarii, & fidem calumniatoris labefactando, ſuſpicionem vero ejus, quod objicitur ab ipſo, a te amovendo. Etenim ſi falſitatem eorum, quæ dicit calumniator, oſtendis; ea pro veris haberi nequeunt, conſequenter fides haberi nequit calumniatori (§. 611. & *not.* §. 1003. *Log.*). Cum idem ſimul eſſe & non eſſe haud quaquam poſſit (§. 28. *Ontol.*), ubi contrarium verum eſſe oſtendis, eo ipſo apparet falſum eſſe, quod dicit calumniator, conſequenter fides eidem haberi nequit *per demonſtrata*. Quoniam itaque fama & exiſtimatio defenditur efficiendo, ne fides habeatur calumniatori (§. 1039.); verbis utique defenditur oſtendendo falſitatem eorum, quæ is dicit, aut veritatem contrarii. *Quod erat unum.*

Quodſi fidem calumniatoris labefactes, oſtendis tuto fidem eidem haberi non poſſe, conſequenter eum aut ignorare debere ea, quæ tibi objicere audet, aut velle tibi objicere, quæ falſa eſſe ipſe novit, aut num vera ſint, ignorat (§. 613. *Log.*). Quoniam itaque fides haberi nequit calumniatori, ubi conſtat, quod fallaris, aut falli ſaltem poſſis, ſi eidem fidem habeas, ſeu ubi nulla adeſt ratio, cur habeas (§. *cit.*), fama autem & exiſtimatio defenditur efficiendo, ne fides habeatur calumniatori (§. 1039.); verbis ea defenditur fidem calumniatoris labefactando. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi ſuſpicionem ejus, quod objicitur a calumniatore, a te amoves, oſtendis probabile non eſſe, quod ea feceris, quæ de te ſpargit calumniator, vel quod ſis, is, qualem te eſſe contendit. Quoniam itaque denuo patet, pro veris ea, quæ dicit, haberi non poſſe; conſequenter eidem fidem non poſſe haberi, fama autem & exiſtimatio defenditur efficiendo, ne fides calumniatori habeatur (§. 1039.); verbis defenditur exiſtimatio ſuſpicionem ejus, quod iſte objicit, a te amovendo. *Quod erat tertium.*

Videmus adeo, ut verbis fama & exiſtimatio defendenda, non conviciis, ſed argumentis eſſe pugnandum, deſumtis vel a reipſa, vel a perſona calumniatoris, vel denique a perſona ejus, qui adverſus calumnias defendendus, ſeu cujus innocentia vindicanda. Quibus autem argumentis opus ſit in dato caſu ex circumſtantiis dijudicandum, niſi neceſſitas quibuſdam tanquam unicis locum faciat. Plurimum autem falluntur, qui a perſonalibus ſemper eſſe abſtinendum contendunt: id quod ex ſequentibus dilucidius conſtabit.

§. 1050.

Quid licitum in defenſione verbali.

Quoniam fama & exiſtimatio licite defenditur verbis, quibus probatur contrarium ejus, quod dicit calumniator (§. 1030.), ſeu quod non ea, quæ dicit, pro veris habenda ſint, ſed potius contrarium pro vero haberi debeat; hæc autem defenſio abſolvitur oſtendendo falſitatem eorum, quæ dicit calumniator, aut veritatem contrarii, & fidem calumniatoris labefactando, ſuſpicionem vero ejus, quod objicit, a te amovendo (§. 1049.), jus vero defendendi ſeſe infinitum eſt (§. 978.), adeoque eo uſque extendendum, quoad exigunt circumſtantiæ præſentes (§. 977.); *in defenſione verbali non modo ejus, quod calumniator objicit, falſitas aut contrarii veritas oſtendenda; verum etiam, ubi neceſſi-*

tas

tas exigit (§. 982.), *fidem calumniatoris labefactare, & argumentis a propria perſona deſumtis ſuſpicionem ejus, quod objicitur, a ſe amovere licet.*

Quæ in ſuperioribus ex notione defenſionis deduximus, ea mutatis mutandis ad defenſionem quoque contra calumnias applicari poſſunt & debent. Quænam autem mutanda ſint, aptus defenſionis modus docet. Ad hunc ubi animum attenderis, nullibi hærebis. Quinam aptus ſit modus ad tuendum corpus ſuum, quinam vero aptus ſit ad tuendam famam & exiſtimationem; in anterioribus perſpicue explicavimus. Cetera quæ ab eodem minime dependent defenſioni utriuſque communia ſunt. Cum vocabulum calumniæ principiis juris naturalis conformiter in ſenſu latiori ſumamus; vi ejuſdem ad controverſias quoque eruditorum applicanda ſunt, quæ de defenſione adverſus calumnias hic demonſtrantur, quoties vel imputantur errores a mente tua alieni, vel pro erroneis venditantur, quæ non ſunt, vel errores quoque veri objiciuntur, ut famæ tuæ detrahatur.

§. 1051.

Quantum liceat in calumniatorem.

In calumniatorem tantundem tibi licet, quantum ad calumniam reprimendam ſufficit. Quoniam enim famam & exiſtimationem defendere debemus (§. 1033. 1034.), lex vero naturæ nobis dat jus ad eos actus, ſine quibus huic obligationi ſatisfacere non poſſumus (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ſine quibus calumnia reprimi nequit; in calumniatorem tantundem licet, quantum ad calumniam reprimendam ſufficit.

Hinc intelligitur, quod non modo intra modum aptum ad famam & exiſtimationem tuendam ſubſiſtere; verum etiam quæ intra eum licita ſunt, non ultra juſtos terminos in dato caſu ex circumſtantiis definiendos extendere debeamus, neque infra eos ſubſiſtendum, ut, quæ reprimi poterat ac debebat, calumnia non reprimatur.

§. 1052.

Quando defenſioni reali tantummodo locus ſit.

Si factis famam & exiſtimationem defendere ſufficienter potes; non opus eſt ut verbis defendas: ſeu non opus eſt defenſione verbali, ubi realis ſufficit. Ex factis nimirum colligitur, quænam virtutes intellectuales & morales hominem ornent, cum quæ in anima ſunt, non aliter prodantur quam per actus externos. Quoniam itaque exiſtimatio eſt aliorum de perfectione tua (§. 538.), virtutibus potiſſimum intellectualibus & moralibus judicium (§. 549.), fama vero in communi hominum aliorum de iiſdem ſermone conſiſtit (§. 555.); ſi quæ famæ ac exiſtimationi tuæ adverſa dicit calumniator, non evidentius refutantur, quam factis, conſequenter facta ad famam & exiſtimationem tuendam omnium aptiſſima ſunt. Cumque hoc pacto non agas, niſi ad quod agendum obligatus es, quemadmodum ex capite anteriore toto conſtat; & quod adeo facere debebas, etiamſi alter te calumniatus minime fuiſſet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); non habet calumniator, de quo conqueri poſſit; ut in defenſione adverſus calumnias medium omnium leniſſimum ſit (§. 981.). Quoniam itaque non utendum eſt niſi leniſſimo medio, ubi ſufficit defenſioni (§. 982.), & præterea ſapientia, ad quam obligaris (§. 254.), jubet ut media aptiſſima præferas ceteris (§. 683. *Pſych. rat.*); ſi factis famam & exiſtimationem ſufficienter defendere potes, non opus eſt ut verbis defendas, conſequenter non opus eſt defenſione verbali, ubi realis ſufficit (§. 1048.).

Pertinet huc pervulgatum illud: Non opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt, quamvis mens ejus latius pateat, quam exigit propoſitio præſens, cum ſubinde quoque in defenſione verbali obtineat, veluti provocando ad facta, quibus refutantur, quæ per calumniam imputantur. In Philoſophia morali docebimus, quod defenſio realis maxime deceat hominem; & ad famam ipſius amplificandam apprime faciat, ut tanto minus dubitari poſſit, eam famam tuendi medium omnium præſtantiſſimum eſſe, niſi hominum perverſitas, & ab ea imminens ob aliorum credulitatem periculum aliud exigat. Quemadmodum itaque optimum errores refu-

tan-

Digitized by Google

tandi modum judico demonſtrationem veritatis contrariæ (*not.* §. 1035. *Log.*); ita quoque realis defenſio adverſus calumnias malevolorum mihi ſemper prælata eſt verbali in ipſis etiam controverſiis eruditorum. Atque hoc adeo evidens mihi videtur, ut ſine probatione admittendum ſit ab iis, qui veritatem in ſyſtemate demonſtratam, quam ut capiant, imbecilliores ſunt. Dixi in demonſtratione defenſionem realem eſſe medium omnium leniſſimum famam & exiſtimationem tuendi. Sed erunt forſitan, qui cum ſint ſcrupuloſiores, quam par eſt, id definitioni non ſatis convenire exiſtimaturi ſunt. Medio enim leniſſimo nullum inferri debet malum calumniatori (§. 981.). Sed nil magis eum mordet, quam ſi tam putidas declares calumnias ipſius, ut ne minimum quidem ad eas reponendum judices, & ubi videt, facta tua longe aliud loqui, quam quod ipſe de te per calumniam dixit. Videris adeo alteri creare tædia, conſequenter ad infelicitatem ipſius quidpiam conferre (§. 639 *Pſych. empir.*) conſequenter defenſione tua actu inferri alteri quidpiam mali. Enimvero quamvis largiamur, quod cauſam tædiorum præbeas alteri (§. 881. *Ontol.*); negamus tamen & pernegamus, te alteri tædia creare, ad quod non faciendum obligaris (§. 723.). Facis enim, ad quod faciendum obligaris, & quod facere debebas, etiamſi alter te calumniatus minime fuiſſet. Sed ſi alter tædium ex eo percipit, quod facias, ad quod faciendum obligatus es, ideo contra obligationem tuam non admittendum quicquam (§. 726.). Ex eo igitur tædium percipere minime debet, adeoque ipſe eſt tædiorum ſuorum cauſa, quæ evitare poterat ac debebat. Præterea probe notandum eſt, quod tædium non percipiat ex factis tuis quatenus in ſe ſpectantur, ſed quatenus per ea refutari videt calumnias, quas aliis perſuadere mallet, adeoque ſe ſine ſuo excidere intelligit, aut ſaltem magnopere veretur, ne excidat. Quicquid igitur tædii animum ejus occupat, non a te venit. ſed in totum ſibimetipſi hoc tribuere debet. Ceterum cum defenſio vacare debeat odio (§. 996.), & vindictæ cupidine (§. 999. & *not.* §. 1050.); probandum non eſt, ſi quis defenſionem realem præfert verbali eo fine, ut hoc magis urat calumniatorem, adeoque ipſius tædia intendit (§ 616. *part.* I. *Phil. pract. univ.*).

§. 1053.

Quando verbalis reali anteponenda. *Si quacunque de cauſa defenſio famæ & exiſtimationis tuæ non ferat moram, donec eam factis contrariis defendas; verbali defenſione opus eſt.* Etenim ſi quacunque de cauſa defenſio famæ & exiſtimationis tuæ non ferat moram, donec eam factis contrariis defendere poſſis, cum tamen ad eam defendendam obligeris (§. 1033. 1034.); utendum eſt defenſione alia. Quamobrem cum præter defenſionem realem non detur alia, quam verbalis (§. 1040. 1048.); ſi quacunde cauſa defenſio non fert moram, donec famam & exiſtimationem factis contrariis tueri poſſis, verbali opus eſt.

Variæ poſſunt eſſe cauſæ, cur periculum ſit in mora, niſi ſtatim famam vel exiſtimationem defendas, quæ, quando obviæ ſunt, facile agnoſcuntur. Ita fieri poteſt, ut, ſi calumniæ habeatur fides, inde emergat irreparabile quoddam damnum. In ipſo igitur ortu reprimenda, nec moram fert defenſio. Similiter ſi quis te præſentem in præſentia aliorum calumnietur, qui te tacente eidem tanto facilius aurem præbent, & per quas deinceps brevi tempore calumnia in immenſum diffunditur; ea denuo extemplo reprimenda, ac in mora periculum eſt.

§. 1054.

Alius caſus. *Si facta præterita objicit calumniator, defenſione verbali opus eſt.* Etenim ſi facta præterita objicit calumniator oſtendendum eſt, te tale quid non feciſſe (§. 1039.). Quoniam igitur ex eo, quod poſthac contrarium facis, colligi certo non poteſt, te antea non feciſſe, quod te feciſſe ait calumniator; defenſio realis non ſufficit (§. 1048.). Quamobrem cum præter realem non detur alia niſi verbalis (§. 1040. 1048.), & huic tantummodo locus non ſit, ubi realis ſufficit (§. 1052.); defenſione verbali opus eſt, ſi facta præterita objicit calumniator.

Ceſſat nimirum ratio, cur defenſioni verbali præferenda realis, quamvis in præſenti caſu utraque conjungenda: ita enim verbalis a reali novum robur acquirit.

§. 1055.

§. 1055.

Quando fides calumniatoris labefactanda.

Si ea ſit calumniatoris autoritas, ut alii facilem eidem habeant fidem; fides ejus labefactanda, præſertim ubi tua plurimum refert, ne fides eidem habeatur. Quando enim te adverſus calumnias defendere volueris, aliter id fieri nequit niſi efficiendo, ne calumniatori fides habeatur ab aliis (§. 1039.). Quodſi ergo ea fuerit ejus autoritas, ut alii facilem eidem habeant fidem, tua tamen plurimum refert, ne fiat; oſtendendum omnino eſt, quod ea, quæ tibi objicit, vel ipſe minime norit, vel quod hoc faciat malo in te animo (§. 613. *Log.*). Quoniam itaque hoc pacto fides ejus labefactatur; in caſu propoſitionis præſentis fides ejus labefactanda.

Falluntur adeo, qui propalando ea, quæ ignominiæ ſunt vel etiam infamiæ, calumniatori aut ſocio ejus injuriam fieri exiſtimant, eum lex naturæ prohibeat propalari, quæ ignominiæ (§. 828.) ac infamiæ ſunt alteri (§. 866.). Enimvero hi non perpendunt in colliſione officiorum erga ſeipſum & erga alios vincere officium erga ſeipſum (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum licitum ſit non parcere vitæ alterius, ut ſerves tuam (§. 1013.); nec illicitum videri poteſt non parcere exiſtimationi ac famæ alterius, ut propriam ſerves.

§. 1056.

Quando vis licita in calumniatorem.

Si calumniator fortunas tuas ſubvertere, aut alio quocunque modo te lædere intendit; tantundem in ipſum licet, quantum in aggreſſorem. Quodſi enim calumniator fortunas tuas ſubvertere, aut alio quocunque modo te lædere intendit; aggreſſor eſt (§. 979.). Quamobrem cum te defendere debeas non contra calumniatorem, ſed contra aggreſſorem; quin in caſu præſenti tantundem tibi liceat in calumniatorem, quantum in aggreſſorem dubitandum non eſt.

Nimirum duplicem perſonam tuetur in caſu propoſitionis præſentis calumniator. Calumniatorem agit, quatenus te calumniatur. Aggreſſori æquiparandus, quatenus per alios, qui calumniis ejus fidem habent, læſionem tuam intendit, teque in periculum amittendæ fortunæ, immo ipſius vitæ conjicit. Quid ergo mirum quod læſuro per alios eadem arma opponas, quæ opponis te læſuro per ſe declinandi periculi cauſa? Neque enim hic agitur de reprimenda calumnia, ſed de declinando periculo. Ceterum hæc potiſſimum obtinent in ſtatu naturali: in civili enim alia proſtant remedia, quibus tanquam ſenioribus præ durioribus hiſce locus eſt.

§. 1057.

Quid exſequatur, ſi quis patiatur, ut lædatur ab alio.

Si quis ſe lædi patitur ab alio, ei non modo verendum eſt, ne denuo ab eodem lædatur, verum etiam ne ab aliis ejus ſimilibus lædatur, & ne idem quoque lædere audeat poſthac alios. Qui enim te lædit ſciens ac volens, ei etiam eſt animus te lædendi. Quamobrem cum nihil mali ipſi ſit metuendum, ubi pateris te lædi ab alio, quando occaſio denuo te lædendi ſeſe offert, nullum ipſi eſt motivum, cur hoc facere nolit (§. 890. *Pſych. empir.*) Te igitur denuo lædet (§. 889. *Pſych. empir.*) Quod ſi ergo patiaris te lædi ab alio, verendum tibi omnino eſt, ne denuo ab eodem lædaris. *Quod erat unum.*

Enimvero dantur plures uno, quibus eſt animus lædendi alios, ubi nihil ipſis mali exinde metuendum. Quamobrem ubi vident te patientem, ut lædaris; nec ipſis eſt motivum, cur te lædere nolint (§. 890. *Pſych. empir.*) Patet igitur ut ante, ſi te lædi ab alio patiaris, verendum tibi eſſe, ne poſthac lædaris a pluribus ejus, qui te læſit, ſimilibus. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi quis te lædere poteſt, ut nihil exinde ipſi metuendum ſit mali, alios, a quibus eandem patientiam expectat, poſthac lædere audet, cum eadem ſit ratio, quæ ante. *Quod erat tertium.*

Ponamus vero te lædi a non ſciente nec volente, adeoque nonniſi culpa quadam ipſius (§. 732. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Quodſi nondum habeat animum a lædendis aliis alienum, ubi ſeſe denuo offert occaſio te lædendi, nil obſtat, ſi certus ſibi eſſe videtur, nihil exinde mali metuendum, quin poſthac te lædat ſciens ac volens. Patet itaque *per demonſtrata*, hic quoque metuendum eſſe, ne poſthac ſæpius ab eodem lædaris, & ne lædaris quoque ab aliis ejus ſimilibus, immo ne idem quoque lædere poſthac alios audeat.

Sive igitur quis dolo, ſive culpa te læſerit, tuque hoc patiaris, verendum tibi erit, non modo ne poſthac ab eodem, ſed etiam ne ab aliis ejus ſimilibus lædaris, & ne idem quoque alios perinde ac te lædat.

Quæ hic ex ipſa natura hominum demonſtrantur, experientia confirmantur. Videre hoc licet in adoleſcentibus & juvenibus. Si quis enim eorum ſemel ſe ludum jocumque haberi a petulantiore patitur; eundem deinde hic ſæpius ludibrio habet. Tandem ſequentibus ceteris illius exemplum, communis omnium jocus & ludus eſt, quaſi ad hoc natus, ut naſo ſuſpendatur adunco. Tanto autem facilius idem contingit, quanto homines ſunt proniores ad male agendum, ubi male facientes nihil mali ferunt.

§. 1058.

Jus in eum qui te læſit.

Si quis te læſit, tibi competit jus eum adigendi, ne in poſterum denuo lædat, & præcavendi, ne exemplum ejus ſecuti te, vel ipſe etiam alios lædere audeat. Si quis enim te læſit, & tu hoc pateris, tibi non modo verendum, ne denuo ab eodem lædaris, verum etiam ne lædaris ab aliis ejus ſimilibus, & ne idem quoque lædere audeat poſthac alios (§. 1057.) Enimvero competit tibi jus perfectum non patiendi, ut quis te lædat (§. 913.) ſimulque obligaris ad impediendum, ne quis lædatur ab aliis, quantum in poteſtate tua eſt (§. 988.) Quamobrem cum jus perfectum involvat jus alterum cogendi, ſi obligationi ſuæ naturali, veluti de te non lædendo (§. 695.) ſatisfacere noluerit, natura tibi quoque competat jus ad eos actus, quibus impedire potes, ne quis ab altero lædatur (989.); ſi quis te læſit, tibi competit jus eum adigendi, ne in poſterum denuo lædat & præcavendi, ne exemplum ejus ſecuti te, vel ipſe etiam alios lædere audeat.

Ecce tibi fontem juris omnis puniendi, hactenus non ſatis animadverſum ab aliis. Ita enim demum jus pœnarum, quod hominibus competit ex ipſa hominis natura derivatur, in qua jus naturale omne rationem ſufficientem habet (§. 161. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Equidem non deſunt, qui ex Juriſdictione jus pœnarum deducunt, atque ideo contendunt, id nemini competere poſſe niſi ſuperiori: dudum tamen animadverſum eſt ab aliis, quod hi ſtatum civilem cum naturali confundant. Cum natura homines omnes æquales ſint (§. 81.), conſequenter nemo ſuperior altero; ſi ex juriſdictione jus pœnarum deducere volueris, in ſtatu naturali jus puniendi alterum nemini competit. Licebit itaque contra injurias intentatas ſe defendere, quemadmodum ex antea demonſtratis liquet; ſed injurias factas, quæ reparari non poſſunt, tolerare neceſſe erit: quod cum idem ſit ac aliis licentiam lædendi dare & omne jus ſecuritatis tollere, quam ſit abſurdum haud obſcure intelligitur. Vidit hoc *Grotius* ac ideo jus puniendi privatis in ſtatu naturali vindicaturus de *J. B. & P. lib. 2. c. 20. §. 1.* ſumit, licitum & non iniquum eſſe, ut, qui male fecit, malum ferat. Etſi enim affirmet naturam ipſam hoc dictare, non tamen oſtendit, quod & quomodo dictitet, cum oſtendi non poſſit. Nihil hinc conficitur, quod antiquiſſimum jus ſit, *Rhadamantheum* dictum a Philoſophis, ut quiſque tantundem patiatur, quantum fecit mali. Multa enim antiquiſſimis temporibus pro jure habita, quæ non ſunt. Et quamvis *Rhadamanthus*, judex fictus apud inferos, ſumma æquitate jus dicere credatur veteribus; veterum tamen autoritas nil probat. Detur enim ratio, cur quis tantundem pati debeat, quantum ipſe fecit mali. Nullam afferri video rationem neque ab iis, qui nullam unquam legem tam æquam fuiſſe contendunt ac *Rhadamantheam*, & ſolam ejuſmodi eſſe affirmant, ut ne hiſcere quidem contra eam audeat homo. Non alia ſane de cauſa *Grotius* multa de Jure pœnarum tradidit, quæ approbari minime poſſunt; quam quod ex fonte hoc impuro idem deducere voluerit, & alia veritati conſentanea docuerit, quæ ex Jure *Rhadamanthæo* tanquam principio demonſtrari nequeunt, nec cum ceteris cohærent. Sed quam prono alveo omnia ex eo, quem indicavimus, fonte fluant, tum quæ hic, tum quæ alibi de jure pœnarum dicenda ſunt; ex demonſtrationibus noſtris eluceſcet.

§. 1059.

Digitized by Google

§. 1059.

Quantum juris competat in alterum ob læſionem factam.

In eum, qui te læſit, tantundem tibi licet, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ, ſive ab eodem tibi atque aliis, ſive ab aliis ejus exemplum ſecutis tibi metuendæ ſufficit. Si quis enim te læſit, tibi competit jus adigendi alterum, ne in poſterum te lædat, & præcavendi ne ejus exemplum ſecuti te lædant alii, nec ipſe etiam alios lædat (§. 1058.). Quoniam adeo averſio periculi poſthac metuendi finis eſt (§. 932. *Ontol.*), finem autem conſequi non datur ſine mediis (§. 937. *Ontol.*); neceſſe omnino eſt, ut in eum qui te læſit, tantundem tibi liceat, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ, ſive ab eodem, ſive ab aliis ejus exemplum ſecutis tibi metuendæ ſufficit. *Quod erat unum.*

Quilibet homo obligatur ad impediendum, ne quis lædatur ab aliis quantum in poteſtate ſua eſt (§. 988.). Quamobrem cum ex eo, ſi te lædi pateris ab alio, ab eodem quoque periculum læſionis immineat aliis (1057.); in eum, qui te læſit, tantundem quoque juris eſt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter tibi licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ ſufficit. *Quod erat alterum.*

Habemus hic principium generale, unde detendum, ne juſta major ſit, nec lenior, quam ducendum eſt, quod de magnitudine pœnæ nopar erat.

§. 1060.

Quomodo idem exequendum.

Si periculum læſionis futuræ ex præterita tibi vel aliis imminens avertendum; qui te læſit quidpiam pati debet, ex quo tædium ſeu moleſtiam percipit, ſeu malum quoddam pati debet. Quod ſi enim ex leſione præterita periculum tibi vel aliis imminet læſionis futuræ, ſi qui te ſemel læſit, in poſterum a te ac aliis lædendis abſtinere debeat, neceſſe eſt, ut læſionem ſibi repræſentet tanquam malam quoad ſe (§. 907. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum læſionem aliorum ſibi quoad ſe repræſentet tanquam bonam, quia alias te non læſiſſet (§. 893. *Pſych. empir.*); neceſſe eſt, ut propter læſionem præteritam quidpiam patiatur, quod judicio ipſius malum ſit, conſequenter ex quo tædium ſive moleſtiam percipit (§. 569. *Pſych. empir.*), metuendum ſibi denuo ſive a te, ſive ab aliis, quoties vel te, vel alios læſerit. Patet itaque ſi periculum læſionis futuræ ex præterita tibi vel aliis imminens avertendum, qui te læſit quidpiam pati debere, quo tædium ſeu moleſtiam percipit, ſeu malum quoddam pati debere.

Habemus hic principium generale definiendi genera pœnarum.

§. 1061.

Jus puniendi homini natura competens.

Cuilibet homini natura competit jus puniendi eum, qui ipſum læſit. Etenim ſi quis eum læſit, tantundem ipſi in eundem licet, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ ſive ab eodem, ſive ab aliis ejus exemplum ſecutis tam ſibi, quam aliis metuendum ſufficit (§. 1059.). Quoniam igitur hoc periculum averti nequit, niſi qui te læſit quidpiam patiatur mali, ſeu ex quo tædium aut moleſtiam percipit (§. 1060.); natura homini cuilibet competit jus efficiendi, ut ob læſionem præteritam is, qui eum læſit, patiatur aliquod malum. Cum malum iſtud motivum nolendi ſit (§. 890. *Pſych. empir.*), quod tu cum læſione, adeoque actione alterius connectis, qui autem motivum aliquod nolitionis cum alterius actione connectit eundem ad hanc omittendam obliget (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); natura tibi competit jus obligandi alterum, ne in poſte-

 rum

rum te vel alios lædat, & obligandi per hoc etiam alios, ne ejus exemplum ſecuti te vel alios lædant. Enimvero qui alteri ob malum morale, quale eſt læſio utpote lege naturali prohibita (§. 695.), vi juris eum obligandi, quod habet, malum quoddam phyſicum immittit, eum punit (§. 1077. *part.* 1. *Theol. nat.*) Cuilibet adeo homini natura competit jus puniendi eum, qui læſit.

Videmus adeo homini unicuique competere jus puniendi eum, qui ipſum læſit, neque adeo naſci ex juriſdictione; competere privato in privatum, adeoque æquali in æqualem, nec requiri, ut qui alterum punit, ſit eodem ſuperior. Quodſi hoc jus in genere ſpectetur citra reſpectum ad quoddam individuum; natura homini competit: quodſi vero idem conſideres in caſu ſingulari quoad certum individuum; non tam ex facto alterius naſcitur jus ipſum puniendi, quod jam habes, quam jus eodem nunc utendi, ſeu factum alterius licitum facit in hoc caſu ejus exercitium. Suo videbimus loco, quando jus civitatis expoſituri ſumus, jus puniendi in ea fore nullum, niſi in ſtatu naturali ipſa natura unicuique tribueret jus puniendi alterum ſibi æqualem. Quod hoc vulgo non agnoſcatur, non alia ratio eſt, quam quod hactenus hominum jura & obligationes ex ipſa ejus natura non fuerint deducta in ſyſtemata veri nominis, ut quorum unum dependeat ab alio, perſpici poſſet. Ceterum qui ad demonſtrationes anteriores animum advertit, abunde intelligit, jus puniendi alterum ob læſionem factam naſci ex obligatione erga ſeipſum atque alios, id quod convenit principio generali, quod jus oriatur ex obligatione paſſiva (§. 23.).

§. 1062.

Pœnarum ſpecies. *Pœna emendatrix* dicitur, quæ ab eo, qui læſit, repetitur, ut animum lædendi mutet. *Exemplaris* vero vocatur *pœna*, qua qui te læſit afficitur, ut aliis metus incutiatur, quo a te aliiſve lædendis deterreantur.

Nititur diviſio fine pœnarum, quem punitor licite intendit, emendatione nimirum lædentis & exemplo, quod aliis eſſe debet (§. 1059. & *ſeqq.*).

§. 1063.

Jus puniendi quantum ſit. *Jus puniendi infinitum eſt*. Etenim cum jus puniendi illud ſit, quod tibi competit in eum, qui te læſit (§. 1061.), in hunc vero tantundem tibi liceat, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ, ſive ab eodem tibi atque aliis, ſive ab aliis ejus exemplum ſecutis tibi metuendæ ſufficit (§. 1059); juri puniendi in genere non præſcribi poſſunt limites, ſed ei demum ex circumſtantiis præſentibus præfigendi. Quoniam itaque jus infinitum eſt, cui *in genere* præſcribi limites non poſſunt, ſed cui demum ex circumſtantiis præſentibus præfigendi (§. 977.); jus puniendi infinitum eſt.

Eodem ſenſu jus puniendi infinitum dicitur, quo ſupra jus defendendi infinitum diximus (§. 978.). Quamobrem quæ ibidem de jure defendendi, quatenus infinitum eſt, annotavimus; ea etiam ad jus puniendi applicari poſſunt ac debent.

§. 1064.

Pœna gravis & levis. *Pœna gravis* dicitur, qua magnum alteri infertur malum: *levis* autem, qua exiguum.

Dantur plurimi gradus & gravitatis & levitatis pœnarum. Inde eſt, quod in caſibus particularibus diverſa ſint epitheta, quibus iidem ſignificantur.

§. 1065.

Quomodo pœna gravior illicita. *Pœna gravior illicita ubi levior ſufficit*. Cum enim in eum, qui te læſit, non plus tibi liceat, quam quod periculo læſionis futuræ a te & aliis avertendo

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficit (§. 1059.); major pœna licita non eſt, quam pro circumſtantiis præſentibus tum qua emendatrix, tum qua exemplaris ſufficit (§. 1062.). Quamobrem cum graviori opus non ſit, ubi levior ſufficit; pœna gravior illicita, ubi levior ſufficit.

§. 1066.

Puniens quando modum excedat.

In puniendo modum excedere dicitur, qui graviori pœna eum, qui læſit, afficit, ubi levior ſufficiebat. Quamobrem cum pœna gravior illicita, ubi levior ſufficit (§. 1065.); *in puniendo modum excedere non licet.*

Qui modum in puniendo excedit, plus ſibi juris arrogat in alterum, quam ipſi competit, cum non plus juris concedatur in puniendum, quam quantum coercendæ ipſius malitiæ & præcavendæ læſioni eam imitantium ſufficit (§ 1059.).

§. 1067.

Exceſſus in puniendo læſio.

Quatenus puniens modum excedit, puniendum lædit. Quatenus enim puniens in puniendo modum excedit, graviori pœna eum, qui læſit, afficit, ubi levior ſufficiebat (§. 1066.). Quamobrem cum pęna gravior ſit, qua majus malum infertur, levior, qua minus (§. 1064.); qui in puniendo modum excedit, ei qui læſit, majus malum infert, quam avertendo periculo læſionis futuræ ſufficiebat. Quoniam itaque in eum, qui læſit, non plus licet quam quod ad avertendum periculum læſionis futuræ ſufficit (§. 1059.); malum, quod ultra infertur, nullo jure infertur. Quamobrem cum malo illato puniendus vel ſtatus ejus reddatur imperfectior [§. 565. *Pſych. empir*]; ſi quid ultra ſit, quam pęnæ finis exigit, læſio eſt (§. 669.). Quatenus adeo puniens modum excedit, puniendum lædit.

Convenit in hoc jus puniendi cum jure defenſionis (§. 1002.), quemadmodum in aliis bene multis: id quod non mirum, cum ſit defenſio proſpiciens in futurum. Quæ adeo in ſuperioribus (*not.* §. 1002.) de læſione aggreſſoris a defenſore modum excedente annotavimus; ea quoque de exceſſu in puniendo mutatis mutandis intelligenda.

§. 1068.

Quando graviori pœna afficiendus, qui leniori emendari poterat.

Etſi pœna qua emendatrix levior eſſe poſſet, qua exemplaris tamen gravior requiratur, graviori pœna puniendus affici debet. Etenim ſi quis te læſit, tantundem tibi licet in eundem, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ ſive ab eodem, ſive ab aliis tibi atque aliis metuendæ ſufficit (§. 1059.) conſequenter pęna non minus exemplaris, quam emendatrix eſſe debet (§. 1062.). Quamvis adeo pęna qua emendatrix levior eſſe poſſet, ubi tamen exemplaris gravior requiritur, graviori omnino pœna affici debet puniendus.

Vi juris, quod homini natura competit (§. 918.), ſecurus eſſe debet ab omni læſione aliorum (§. 917.). Quamobrem cum non alius pœnæ finis ſit, quam ſecuritatem tueri (§. 1059. 1062.), in puniendo non minus emendatio ejus, qui deliquit, quam exemplum, quo deterreantur alii, ne ſimiliter delinquant, attendi debet. Eligendum igitur eſt medium, quod ad finem utrumque ducit. Clarius hoc patebit in pœnis civilibus, quando de jure civitatis ſumus acturi. Multa vero circumſpectione opus eſt, ne ad exceſſum referas, quod neceſſitati tribuendum, cui parere jubet ſapientia.

§. 1069.

Digitized by Google

§. 1069.

Quando eum puniri liceat, qui nos non læſit.

Si quis puniendo ei, qui ipſum læſit, non ſufficit, alii cuicunque jus eſt ejus loco pœnam ſumendi, vel in puniendo altero ipſum adjuvandi, qui poteſt. Homini enim cuilibet competit jus ad eos actus, quibus impedire poteſt, ne quis lædatur ab aliis (§.989.). Quamobrem cum pœnis impediatur, quo minus quis ab aliis lædatur (§. 1062.); ipſi etiam competit jus puniendi eum, qui alterum læſit. Quoniam tamen ad impediendum, ne quis lædatur ab aliis, quantum in poteſtate ſua eſt, non obligatur, niſi quando is ipſemet hoc impedire non valet (§. 988. 608.); hoc jure non ante utendum, quam alter puniendo ei, qui ipſum læſit, non ſufficit. Quamobrem ſi quis puniendo ei, qui ipſum læſit, non ſufficit, alii cuicunque jus eſt ejus loco pœnam ſumendi, vel in puniendo altero ipſum adjuvandi, qui poteſt.

* *Grotius lib. 2. c. 20. §. 3. de J. B. & P.* negat per naturam ipſam determinatum eſſe, quis punire debeat. Putat tamen eam ſatis indicare, quod pœna licite exigatur ab eo, qui paria non delinquit. In hanc autem ſententiam prolapſus, quod verum fundamentum juris pœnarum non fuerit aſſecutus (*not.* §. 1058.). Ex iis adeo, quæ nos demonſtravimus, liquet jus puniendi eum, qui læſit, per ſe competere ei, qui læſus fuit, in ſubſidium vero datum iis, quorum in eodem exequendo auxilio ille opus habet (§ 1061. & ſ. *praſ.*), cum utique perinde ſit, ſive quid per te, ſive per alium fiat, modo licitum fuerit. Inter officia humanitatis vero referendum eſſe, ſi pœna ſumitur ab aliquo loco alterius, ex anterioribus ſatis manifeſtum eſt.

§. 1070.

Quod hoc fiat abſque injuria.

Quoniam qui alterius loco pœnam ſumit ab eo, qui meretur, hoc ſuo jure facit (§. 1069.), ſi quis vero ſuo jure quid facit, nemini injuriam facit (§.975.) *qui alterius loco pœnam ſumit ab eo, qui meretur, ipſi injuriam non facit.*

Vulgo homines ea occupavit opinio, quaſi læſio alicujus non pertineat ad alterum, qui læſus minime fuit, præſertim ubi ſibi metuunt ab eo lædendo. Atque adeo ſatis manifeſtum arbitrantur, quod injuria ipſis fiat ab eo, qui cauſam alterius agit. Enimvero quemadmodum in aliis, ita etiam in ſecuritate tuenda, quam nonniſi per pœnas tueri licet, natura infirmiorem commendat potentiori.

§. 1071.

Obligatio pœnam ſubeundi.

Qui alterum læſit, ad pœnam patiendum obligatur. Ponamus enim puniendum non obligari ad pœnam patiendam. Non igitur neceſſe erit, ut puniri ſeſe ab eo, quem læſit, patiatur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque punienti reſiſtendi jus habet (§. 727. *Ontol.*). Quoniam læſo natura competit jus puniendi eum, qui læſit (§ 1061.); natura dat alteri jus contra jus alterius. Quod cum ſit abſurdum §. 180. *p. 1. Phil. pract. univ.*), qui alterum læſit, ad pœnam patiendum obligatur.

Equidem in ſtatu naturali erunt perpauci, qui obligationi huic aurem facilem præbebunt: non tamen hic quæritur, quid faciant homines, ſed quid facere debeant. Obligatio naturalis in ſe immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non ideo tollitur, quod non agnoſcatur, aut quod eidem ſatisfacere plerique recuſent.

§. 1072.

Reatus quid ſit.

Obligatio dandi pœnam læſionis ſuæ *Reatus* dicitur. Hinc *Reus* appellatur, qui ad pœnam patiendum obligatur, conſequenter qui eandem meretur (§. 785. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Coin-

Digitized by Google

Coincidit adeo reatus cum merito pœnæ, ſeu demerito. Reſpondet juri pœnarum & contrahitur ipſo facto, quo alterum lædis.

§. 1073.

Quoniam qui alterum lædit, ad pœnam ſubeundam obligatur (§. 1071.), hæc autem dandi læſionis ſuæ pœnam obligatio reatus eſt (§. 1072.); *reatus juri naturæ convenit*. *Quod juri naturæ conveniat.*

Nimirum juri naturali convenit, quod ex principiis ejus deducitur, aut juri cuidam naturali reſpondet, quemadmodum reatus juri pœnarum (*not.* §. 1072.).

§. 1074.

Qui alterum punit, non intendit malum, quod alteri inferendum, ſed averſionem periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita metuendæ. Qui enim alterum punit, ideo malum infert, ut periculum læſionis in poſterum ſibi & aliis ex præterita metuendæ avertat (§. 1060.). Sed id, propter quod quis agit, intendit (§. 616. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Qui ergo alterum punit, averſionem periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita metuendæ intendit, non vero malum, quod periculi avertendi gratia inferendum. *Intentio punientis.*

Quemadmodum itaque D. *Thomas* ait in vera defenſione hominem non occidi ex intentione (*not.* §. 992.): ita prorſus ad mentem ejus dicendum, puniendo non inferri malum ex intentione. Quæ igitur ſuperius (*loc. cit.*) quoad defenſionem monuimus, ea etiam mutatis mutandis de pœnis irrogandis tenenda.

§. 1075.

Qui alterum punit, non vult malum alterius, quatenus malum alterius eſt, ſed quatenus eſt medium unicum avertendi a ſe & aliis læſionis metuendæ periculum, & mallet ab eo alterum eſſe immunem. Qui enim alterum punit, intendit averſionem periculi læſionis ſibi & aliis ex præterita metuendæ (§. 1074.), conſequenter hæc averſio eſt finis (§. 617. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), propter quem alterum punit (§. 932. *Ontol.*). Quamobrem cum eum conſequi non poſſit, niſi malum ei, qui læſit, inferendo (§. 1060.), qui vero vult finem, medium quoque unicum velle debeat (§. 941. *Ontol.*); qui alterum punit, non vult malum alterius niſi quatenus eſt medium unicum avertendi a ſe & aliis læſionis metuendæ periculum, adeoque non qua malum alterius. *Quod erat unum*. *Quomodo puniens velit malum alterius.*

Quamobrem cum non velit malum alteri inferendum, ſi puniri debeat, qua malum alterius *per demonſtrata*; mallet utique alterum ab eo eſſe immunem modo aliter periculum a ſe & aliis avertere poſſet. *Quod erat alterum*.

Duplici modo hic ſpectatur malum, nimirum quatenus alteri moleſtum, & quatenus eſt medium unicum conſequendi finem licitum. Priori reſpectu idem non vult, qui punit, ſed vult poſteriori. Vide, quæ ſupra in ſimili caſu annotavimus (*not.* §. 993.).

§. 1076.

Qui alterum punit ex malo, quod inferendum, voluptatem nullam percipit. Quoniam enim malum puniendi non vult qua malum ipſius, ſed ab eodem eundem mallet immunem (§. 1075.); nec actum puniendi ſibi repræſentat tanquam bonum, quatenus eodem ipſi infertur malum (§. 892. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ex eo, quod nobis non repræſentamus tanquam bonum, vo- *An puniens voluptatem percipiat ex malo puniendo.*

luptas

luptas non percipiatur (§. 558. *Pſych. empir.*); qui alterum punit, ex actu puniendi, quatenus eodem alteri infertur malum, conſequenter nec ex malo pœnæ ſumendæ cauſa alteri inferendo voluptatem percipit.

Illuſtrant propoſitionem præſentem, quæ ſupra prolixe annotavimus (*not.* §. 994.).

§. 1077.

An pœna ex odio in puniendum irrogetur.

Qui alterum punit, eum non odit, nec inimico in eum hoc facit animo. Qui enim alterum punit ex malo, quod ei inferendum (§. 1076.), conſequenter ex tædio, quod puniendus inde percipit (§. 569. *Pſych. empir.*), voluptatem nullam percipit. Eum itaque non odit (§. 664. 665. *Pſych. empir.*), conſequenter nec inimico in eum hoc facit animo (§. 626.).

Hinc eodem modo patet, *pœnas non repugnare amori univerſali hominum promiſcue omnium, ipſorum etiam inimicorum*, quemadmodum idem ſupra de defenſione ſui evicimus (§. 998.).

§. 1078.

An excludat cupiditatem vindictæ.

Qui alterum punit, animum habet ab omni vindictæ cupidine alienum. Puniendum enim minime odit (§. 1077.), conſequenter nec tædium ejus appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), etſi is ipſum læſerit (§. 1061.), conſequenter offenderit (§. 942.). Enimvero a vindictæ cupidine alienum habet animum, qui tædium ejus, qui ipſum offendit, non appetit (§. 947.). Ergo qui alterum punit, animum habet ab omni vindictæ cupidine alienum.

Ne propoſitio præſens perverſæ interpretationi obnoxia fiat, non modo tenendum eſt, nobis jam eſſe ſermonem de pœna, quam ſumit privatus a privato in ſtatu naturali, verum etiam vindictæ cupido in ſenſu accipienda, quem vocabulo ſupra tribuimus (§. 947.), ne variando ſignificatum quis ſuggillet, quæ rite intellecta evidentia ſunt, & magnum momentum afferunt ad puritatem animi.

§. 1079.

Condonans alteri offenſam eum punire poteſt.

Qui alteri offenſam ſeu læſionem condonat, ſeu qui eidem ignoſcit, hoc tamen non obſtante pœnam ab eodem exigere poteſt. Etenim qui alteri offenſam ſeu læſionem condonat, ſeu eidem ignoſcit, cupiditatem vindictæ deponit (§. 959.), conſequenter animum ab ea alienum habet. Qui alterum punit, animum tamen ab omni vindictæ cupidine alienum habet (§. 1078.), ſeu habere debet (*not.* §. 997.). Qui ergo alteri offenſam ſeu læſionem condonat, ſeu eidem ignoſcit, hoc tamen non obſtante pœnam ab eodem exigere poteſt.

Ad condonandum offenſas faciles eſſe debemus (§. 960.), adeoque ignoſcendum omnibus, qui nos quomodocunque læſerunt (§. 959.). Sed obligatio aliis ignoſcendi non tollit jus pœnarum. Immo potius exercitium hujus juris a condonatione offenſæ nunquam ſeparari debet. Alias enim, ubi cupidine vindictæ flagrat animus, in puniendo modus exceditur, conſequenter qui puniendus erat, læditur (§. 1067.), & pœna exigitur inimico in altero animo, quod legi naturali repugnat (§. 1077.).

§. 1080.

Jus puniendi eum, qui ad læſionem concurrit.

Qui ad actionem ejus, qui te læſit, concurrit, eum puniendi jus eſt, quatenus impediendum, ne in poſterum ipſe aut alii idem faciant. Etenim qui ad actionem ejus, qui te læſit, concurrit, is ad hoc, quod te læſerit alter, quidpiam contu-

lit

lit (§. 106. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum verendum ſit, ne denuo hoc faciat ipſe, vel alii exemplum ejus ſecuti idem faciant, ubi hoc fieri pateris (§. 1057.); patiatur malum quodpiam ex concurſu ad læſionem neceſſe eſt, ut nec ipſe in poſterum ad læſionem alterius concurrere velit, nec ejus exemplum ſequatur alii (§. 907. *Pſych. empir.*). In eum igitur qui ad læſionem concurrit, tantundem tibi juris competit, quantum neceſſe eſt, ut eum adigas, ne in poſterum ad læſionem tibi intentatam concurrat, & ut præcaveas, ne alii exemplum ejus ſecuti ad eandem concurrant, quod eodem prorſus modo patet, quo ante idem de eo, qui te lædit, oſtendimus (§. 1058.). Quamobrem cum hoc jus ſit jus puniendi (§. 1077. *part. 1. Theol. nat.*); qui ad actionem ejus, qui te lædit, concurrit, eum puniendi jus eſt, quatenus impediendum, ne in poſterum ipſe aut alii faciant.

Quoties quis ad læſionem alterius concurrit, pœnam meretur; ſed non præciſe eandem, quam meretur, qui te læſit. Pluribus modis concurritur ad actionem alterius, adeoque factum alienum non omni concurrenti eodem gradu imputari poteſt, conſequenter nec ab omni eadem, multo minus eadem, quæ a lædente, ſumi poteſt pœna. Sed de hiſce ſpecialiora dicemus ſuo loco. Hic nobis ſufficit jus puniendi concurrentem ad læſionem in genere evictum eſſe.

§. 1081.

Pœnam inter ſe communicare dicuntur, qui ſimul puniuntur ob læſionem alterius, ſeu quia aliquis læſus fuit. *Communicatio pœnæ quid ſit.*

Ex. gr. Ponamus Mævium juſſu Titii, cui id conſilium dederat Sempronius, occiſum fuiſſe a Cajo. Ob homicidium non modo punitur Cajus, qui idem commiſit, ſed puniuntur etiam Titius atque Sempronius. Titius adeo, Sempronius & Cajus pœnam homicidii inter ſe communicare dicuntur.

§. 1082.

Qui ad actionem ejus, qui te læſit, concurrerunt, pœnam inter ſe communicant. Qui enim ad actionem ejus, qui te læſit, concurrerunt, licite puniuntur (§. 1080.). Enimvero qui ſimul puniuntur, quia læſus es ab altero, pœnam inter ſe communicant (§. 1081.). Qui ergo ad actionem ejus, qui te læſit, concurrerunt, pœnam inter ſe communicant. *Quinam pœnam inter ſe communicent.*

Communicatio pœnarum non exigui momenti eſt, ubi de pœna exigenda agitur. Ubi enim pœnam exigere volueris ab eo, qui deliquit, ſe excuſaturus provocat ad ceteros, qui concurrerunt, ut adeo manifeſtum ſit, non ei ſoli imputandum delictum, qui id perpetravit, verum etiam ceteris, qui ad idem quomodocunque concurrerunt.

§. 1083.

Qui pœnam inter ſe communicant, eorum quilibet punitur ob factum proprium. Etenim in puniendo ratio habenda eſt periculi læſionis futuræ, quod ex facto unicujuſque ad eandem læſionem concurrentium metuendum (§. 1059. 1080.). Enimvero cum non omnium factum idem ſit; nec ex facto uniuſcujuslibet imminet periculum in futurum, conſequenter nec idem licet in omnes, qui ad læſionem concurrerunt (§. 1059.). Quoniam itaque pœnas inter ſe communicant, qui ad eandem læſionem concurrunt (§. 1082.), adeoque ſimul quidem puniendi ſunt (§. 1081.), non tamen omnes eadem pœna afficiendi *per demonſtrata*; qui pœnam inter ſe communicant, eorum quilibet punitur ob factum proprium. *Quomodo pœna communicetur.*

Quoniam factum alienum ei imputatur, a cujus voluntate libera quomodocunque dependet (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter qui ad eandem quomodocunque concurrit (§. 106. *part.* 2. *Philoſ. pract. univ.*), ideo non ſatis accurate rem penſitantibus ob factum alienum puniri videtur, qui ad idem concurrit. Enimvero etſi negandum non ſit, eum puniri quia factum alienum ipſi imputatur; non tamen hinc ſequitur quod puniatur propter factum alienum. Factum enim alienum ipſi imputatur propter factum proprium, & propter hoc punitur, cauſam quod propter ipſum puniatur præbente facto alieno: immo cum factum proprium tendat ad læſionem alterius, hae etiam non ſecuta jam aliquam merebatur pœnam, etſi pro diverſitate circumſtantiarum non ſemper exigendam. Haud difficile nimirum demonſtrari poterat, facta quæcunque, quibus quis concurrere poteſt ad factum alienum eſſe contra jus ſecuritatis alterius, quod pœnis defenditur. Hæc probe perpendi velim, ne diverſa confundendo incidamus in errores.

§. 1084.

An quis puniri poſſit ob factum alienum.

Ob factum alienum, quo læſus quis fuit, nemo puniri poteſt. Quod enim alter te læſit, ex eo colligi nequit, quod ego habeam animum te lædendi, neque enim factum alterius a mea, ſed propria ipſius pendet voluntate. Quamobrem nec ideo verendum tibi eſt, ne data occaſione te ſim læſurus, conſequenter nec tibi jus eſt me adigendi, ne in poſterum te lædam, adeoque nec ego malum quodpiam eo fine pati teneor (§. 1060.). Quamobrem jus me puniendi ob factum alienum, quo læſus fuiſti, nullum eſt (§. 1077. *part.* 1. *Theol. nat.*). Patet itaque ob factum alienum, quo læſus quis fuit, neminem puniri poſſe.

Ceſſat nimirum in caſu propoſitionis præſentis ratio, cur tibi jus puniendi alterum competat. Quamobrem nec eidem locus eſſe poteſt (§. 118. *Ontol.*). Præſens propoſitio referenda inter notiones communes. Videmus enim homines quoſvis, quamprimum uſus rationis ſeſe exerit, agnoſcere, quod puniri non poſſit, qui, quod talem pœnam mereatur, non fecit: unde ubi illicitam pœnam arbitrantur, punituro objiciunt, ſe nihil feciſſe, quod pœnam iſtam mereatur, ſeu alterum id feciſſe ſolum. Cumque pœnam exigens ab altero eundem lædat, quatenus modum excedit (§. 1067); multo magis injuriam faciet alteri, qui eundem puniri vult, cum nihil ipſi fecerit, de quo conqueri jure poſſit, adeoque nonniſi propter factum alienum. Quodſi objicias Deum punire poſteros ob facta majorum, conſequenter ob factum alienum, ad quod nullo prorſus modo concurrerunt; reſponderi equidem poterat, nos hic non agere de jure Dei, ſed de jure hominum: ne tamen cuidam ſcrupulus naſcatur, tenendum eſt, Deum punire majores in poſteris immittendo ipſis calamitates, quæ reſpectu majorum pœnæ rationem habent, ſed non reſpectu poſterorum. Hoc diſtinctius expoſituri ſumus alibi. Neque eſt quod objicias, in crimine perduellionis puniri etiam agnatos, qui ad idem nullo modo concurrerunt. Præterquam enim quod hic de jure pœnarum, quatenus in ſtatu naturali obtinet, agatur, non de pœnis poſitivis in civitate; præmonendum tamen eſſe duximus, malum, quod inde redundat occaſione delicti alieni in agnatos, non habere rationem pœnæ, ſe citra injuriam ipſos pati hanc calamitatem. Enimvero & hoc ipſum clarius expoſituri ſumus ſuo loco.

§. 1085.

Innocens quinam dicatur.

Innocens dicitur, qui nullo facto ſuo pœnam meruit.

Ita innocens eſt, qui nullo modo ad factum alterius concurrit, qui alterum læſit. Quodſi enim facto quodam ſuo ad id concurrit, pœnam meretur eidem debitam (§. 1083.), adeoque innocens non eſt.

§. 1086.

An innocentem punire liceat.

Innocentem punire non licet. Etenim innocens eſt, qui nullo facto ſuo pœnam meruit (§. 1085.), conſequenter qui nihil fecit, ob quod ad pœnam ſubeundam obligetur (§. 785. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ob factum proprium puniri nequit, neque etiam puniri poteſt ob alienum (§. 1084.); innocentem punire non licet.

§. 1087.

§. 1087.

Quoniam ſemper metuendum, ne innocentem punias, quamdiu non certo conſtat, quod quid fecerit, quod pœnam meretur innocentem autem punire non licet (§. 1086.); *nemo puniendus, antequam de facto ejus, quod pœnam meretur, certo conſtet.* *Quid prærequiratur antequam quis puniri poſſit.*

Habemus hic principium, quo nititur inquiſitio, quæ pœnam præcedere debet in civitate, antequam pœna irrogari poſſit.

§. 1088.

Quicquid puniendus facit, dum pœnam exigenti reſiſtit, illicitum eſt. Qui enim alterum læſit, adeoque licite punitur (§. 1061. *h.* & §. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad pœnam ſubeundam obligatur (§. 1071.). Quoniam adeo pœnam ab eodem exigenti reſiſtere non debet (§. 727. *Ontol.*); quicquid facit, dum reſiſtit illicitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Reſiſtentia puniendi illicita.*

In ſtatu equidem naturali vix erit, qui pœnam exigenti non reſiſtat, cum poſſit; non tamen jam nobis de eo quæſtio eſt, quod faciunt homines, ſed quod facere debent. Qui alios lædere ſolent, hanc prærogativam affectant, quod alios impune lædere poſſint, etſi ipſi ab aliis lædi nolint.

§. 1089.

Pœnam remittere dicitur, qui eum, quem licite punire poterat, non punit. *Remiſſio pœnæ quid ſit.*

Nimirum remiſſio pœnæ ſupponit non modo jus puniendi, verum etiam vires ad exigendam pœnam ſufficientes. Hæ enim ſi deſunt, pœna intermittitur, non remittitur. Supponit etiam ex parte puniendi reatum, alias enim exercitio juris in dato caſu non eſt locus, neque in hunc tibi competit jus hic & nunc eum puniendi, ſeu quod perinde eſt non ſolum jus puniendi ſupponit in abſtracto, ſed & in concreto. Hæc differentia juris puniendi in abſtracto & in concreto potiſſimum attendenda venit in civitate, ubi jus pœnarum non competit ſingulis, quemadmodum cuilibet homini in ſtatu naturali (§. 1061.).

§. 1090.

Pœna mitigari dicitur, ſi quis eum, quem graviori pœna licite afficere poterat, leviori afficit. *Mitigatio pœnæ quid ſit.*

Eadem hic notanda veniunt, quæ modo de pœnæ remiſſione annotavimus (*not.* §. 1089.). Equidem in ſtatu naturali, ubi pœna determinanda ex circumſtantiis caſus dati ſingularibus (§. 1063. 977.), pœnæ mitigationi non videtur locus; quoniam tamen prudentia haud raro ſuadet quædam aliter fieri, quam quæ ſepoſitis circumſtantiis alienis fieri debebant per leges ſapientiæ (§. 257.), nec in iſto ſtatu deſunt rationes, ob quas pœna mitigetur, etſi non diffiteamur, pluribus eſſe locum in civitate.

§. 1091.

Qui ei ignoſcit, qui ipſum læſit; hoc ipſo pœnam non remittit, nec propterea eam mitigare tenetur. Qui enim alteri ignoſcit, qui ipſum læſit, hoc tamen non obſtante pœnam ab eodem exigere poteſt (§. 1079.). Quamobrem dici nequit quod ideo eum punire nolit, quem licite punire poterat. Enim vero qui alterum adhuc punire vult, quem licite punire poterat, is eidem pœnam *An condonatio offenſæ contineat remiſſionem & mitigationem pœnæ.*

non remittir (§. 1089.) Pęnam igitur ideo non remittis, quod ei, qui te læſit, ignoſcas. *Quod erat unum.*

Quoniam alteri ignoſcit, qui cupiditatem vindictæ deponit (§. 959.), vindictæ autem cupidus eſt, qui tædium ſeu dolorem alterius appetit, quia ipſum offendit (§. 947), ſive læſit (§. 942.); qui ei ignoſcit, qui ipſum læſit, non appetit tædium ipſius, quia ipſum læſit. Enimvero qui alterum punit, non vult malum alterius, quatenus malum alterius eſt, ſed quatenus eſt medium unicum avertendi a ſe & aliis læſionis metuendæ periculum (§. 1075.). Quamobrem per hoc, quod alteri ignoſcit, neceſſe non eſt, ut minus malum inferatur puniendo, quam alias inferri debebat. Cum itaque pœna gravior ſit, qua majus malum infertur; levior autem, qua infertur minor (§. 1064.): propterea quod alteri ignoſcis, non leviori pœna afficiendus, cum graviori licite affici poſſit. Sed pœna tunc demum mitigatur, ſi, qui graviori pœna affici poterat, leviori afficitur (§. 1090.). Ergo propterea non tenetur pœnam mitigare, quod quis alteri ignoſcit, qui ipſum læſit. *Quod erat alterum.*

Non ignoro, quod vulgo pœna alteri remitti credatur, ſi eidem ignoſcatur, ſeu læſio condonetur, ita ut pœnæ mitigatio ſit quaſi condonatio partis delicti. Enimvero jus defenſionis & pœnarum hactenus non ſatis fuit evolutum, ut quomodo virtus, præſertim charitas, cum ejus exercitio conſiſtat, fuerit animadverſum. Ex iis autem, quæ a nobis demonſtrata ſunt, omnia plana & perſpicua ſunt, modo animum ad ea advertere poſſis ac velis. Condonatio igitur offenſæ non eſt ratio, cur pœna remittenda, vel mitiganda, etſi qui condonat, mallet eum eſſe impunitum, qui puniendus eſt, vel leviori pœna afficiendum, qui graviori affici debet. Obtinet condonatio in omni caſu; ſed remiſſioni & mitigationi locus non eſt niſi in caſibus particularibus.

§. 1092.

Remiſſio pœnæ ob ceſſans periculum in futurum.

Si ex læſione facta nullum imminet periculum in futurum; pœna remittenda. Etenim in eum, qui te læſit, non licet niſi tantundem, quantum ad avertendum periculum in futurum exigitur (§. 1059.). Quodſi ergo ex læſione facta nullum imminet periculum in futurum, nec emendatrice, nec exemplari pœna opus eſt (§. 1062.). Enimvero ſi pœna nulla afficitur, qui alias licite puniri poterat, pœna remittitur (§. 1089.). Remittenda igitur pœna eſt, ſi ex læſione facta nullum imminet periculum in futurum.

Nimirum finis pœnæ eſt periculi ex læſione in futurum imminens averſio & pœna medium, quo finem iſtum conſequi datur (§. 1058.). Ceſſante igitur fine, non opus eſt medio. Etſi adeo pœna in abſtracto ſpectata licita ſit; in concreto tamen eidem locus non eſt. Remittenda igitur ob circumſtantias ſingulares, quæ in concreto obtinent. Etſi autem de remiſſione & mitigatione pœnæ potiſſimum nobis agendum ſit, ubi jus pœnarum in civitate expoſituri ſumus; hic tamen tradenda ſunt principia generalia, ex quibus deinceps particularia eruentur.

§. 1093.

Venia quid ſit.

Pœnæ, quam quis facto ſuo meruerat, remiſſio *Venia* dici ſolet.

Hinc proverbium: Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas. Ubi veniam ſumi pro pœnæ remiſſione palam eſt. Pertinet huc illud *Seneca* in fine librorum de Clementia: Venia debitæ pœnæ remiſſio eſt, ubi pœnam debere dicendus qui ad eam ſubeundam obligatur (§ 1071.), ad quod enim obligamur, illud debitum eſt (§. 170. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*). Atque adeo patet aliud eſſe ignoſcere lædenti, aliud veniam dare.

Digitized by Google

§. 1094.

Si pœna emendatrice non ſit opus, rationes vero adſint ſingulares, ob quas ſi pœna remittatur, veniam alii promiſcue ſibi promittere minime poſſunt; pœna remittenda. Si enim pœna emendatrice non ſit opus, ex parte ejus, qui te læſit, nullum imminet periculum in futurum (§. 1062.), atque adeo pœna remittenda, quatenus ſpectatur ut emendatrix (§. 1092.). Enimvero ſi præterea adſint rationes ſingulares, ob quas ſi pœna remittatur, veniam alii promiſcue ſibi promittere minime poſſunt; nec verendum eſt, ne alii ſibi perſuadeant, ſe quoque te impune lædere poſſe, conſequenter ne exemplum ejus ſecuti te lædant quoque alii (§. 1093.). Nullum igitur ex eo tibi imminet periculum in futurum, quod qui facit, quod in ſe ſpectatum erat pœna dignum, non puniatur, conſequenter quod ob rationes iſtas ſingulares pœna remittatur (§. 1089.) Quamobrem nec pœna exemplari opus eſt (§. 1062.). Sed ſi pœna non afficitur, qui alias ob factum ſuum licite puniri poterat, pœna remittitur (§. 1089.). Remittenda igitur pœna eſt, ſi emendatrice non ſit opus, rationes vero adſint ſingulares, ob quas ſi pœna remittatur, veniam alii promiſcue ſibi promittere minime poſſunt.

Remiſſio pœnæ ob rationes ſingulares raro occurrentes.

In civitate obvia ſunt exempla, veluti ſi cui pœna remittitur, ob ſingularia in Remp. merita majorum vel agnatorum, a quo in poſterum tale quid non amplius metuendum, vel ſi adſit ſpes magna in poſterum ex parte puniendi. Sed de hiſce diſertius dicemus ſuo loco. In ſtatu naturali exemplum eſto tale. Si de pœnitentia ejus, qui te læſit, ſeria ſit ſatis ſecurus, & parens tibi amiciſſimus intercedat, ut veniam des filio unico; quin recte remittatur pœna, nemo ſapiens dubitabit: id quod evidentius apparet, ubi demonſtrationem generalem ad caſum particularem applicare volueris.

§. 1095.

Quodſi majus malum metuendum ſit, ſi pœna exigatur, quam periculum læſionis futuræ videtur, ſi ea remittatur, pœna remittenda. Etenim pœna non exigitur, niſi ut periculum ex facto puniendi metuendum avertatur (§. 1060.). Quod ſi ergo ex eo, quod pœnam exigas, periculum quoque imminet, id non minus, quam alterum avertendum. Quoniam vero utrumque ſimul declinare non datur, aut ſubeundum erit periculum majus, aut minus. Nemo prudens diffitebitur, ſubeundum potius minus, quam majus (§. 257.) Quamobrem cum ad prudenter agendum obligemur (§. 258.); ubi majus malum metuendum, ſi pœna exigatur, quam periculum læſionis videtur, ſi ea remittatur; pœna remittenda.

Remiſſio pœnæ ob majus malum metuendum ſi exigatur.

Inde eſt, quod injuriæ præteritæ dentur oblivioni, ne novis iiſque gravioribus pandantur fores. Ceterum nemo miretur, nos in demonſtratione propoſitionis præſentis provocare ad prudentiam. Tota enim pœnæ remiſſio prudentiæ eſt, quippe quæ ſemper ſupponit circumſtantias ſingulares, quæ caſum eundem non ſemper, ſed rarius, immo nonnunquam rariſſime comitantur, quarum rationem habere prudentiæ eſt (§. 257.). Quotieſcunque deliberandum, quid in dato caſu fieri conſultius ſit ob circumſtantias ſingulares, cum in abſtracto ſatis pateat, quid facere liceat, vel faciendum ſit, toties prudentia audienda.

§. 1096.

Si major utilitas ex pœnæ remiſſione, quam exactione ſperanda; pœna remittenda. Etenim ſi ex pœnæ remiſſione major ſperanda utilitas, quam ex ejus exactione, ſi pœnam exigis, jacturam facis majoris utilitatis; ſi remittis, minoris. Quamobrem cum abſentia boni malum ſit (§. 754.), ex pœnæ exactione majus malum metuendum, quam ex ejus remiſſione. Enim vero ubi majus ma-

Remiſſio pœnæ ob majorem inde ſperandam utilitatem.

malum metuendum, ſi pœna exigatur, quam periculum læſionis futuræ videtur, ſi ea remittatur; pœna remittenda §. 1095.). Remittenda igitur eſt pœna, ſi major ex pœnæ remiſſione, quam exactione ſperanda utilitas.

Poterat quoque idem demonſtrari independenter a propoſitione præcedente, quatenus bonum majus præferendum minori, adeoque & major utilitas minori præferenda. Ceterum cum ea, quæ ſperamus, vel metuimus non certa ſint, ſed in probabilium nonniſi numero, quia tantummodo conſtat, quod evenire poſſint, non vero quod eventura ſint; nemo non videt in applicandis principiis generalibus probabili æſtimatione futurorum opus eſſe, quæ ad Logicam probabilium hactenus deſideratam ſpectat, & in praxi Juris, præſertim criminalis, multum habet uſum.

§. 1097.

Remiſſio pœnæ ob ſinem ejus alio modo obtinendum. *Si alio modo periculum ex læſione facta imminens averti poteſt, quam pœnam exigendo; pœna remittenda.* Pœna enim non irrogatur niſi periculi læſionis futuræ ex præterita imminentis cauſa (§. 1060.). Quodſi ergo idem alio modo averti poſſit, ut pœnam exigi neceſſe non ſit; pœna non eſt opus. Quamobrem cum pœna exigi non poſſit, niſi alteri inferendo malum (§. 1077. *part. 1. Theol. nat.*), qui vero pœnam exigit, non velle debet malum alterius, quatenus malum alterius eſt, ſed quatenus eſt medium avertendi periculi (§. 1075.); ſi periculum ex læſione facta imminens alio modo averti poteſt, quam pœnam exigendo, ea exigenda non eſt, conſequenter remittenda (§. 1089.).

Exemplum habemus in liberis, qui, ubi fecere, quod parentes offendit, admonitionibus blandis magis corriguntur, quam verberibus. Eſt etiam exemplum, quando præmium datur nocenti uni, ut detegantur complices. Etenim hoc pacto quoad ipſum avertitur periculum, pœnam non exigendo, etſi deinceps puniuntur ceteri.

§. 1098.

Remiſſio pœnæ ob rationes ad finem pœnæ obtinendum ſimul facientes. *Si rationes pœnæ remiſſionem ſuadentes ſimul ad declinandum periculum ex facto puniendi metuendum conducunt; pœna remittenda.* Etenim ſi rationes pœnæ remiſſionem ſuadentes ſimul ad declinandum periculum ex facto puniendi metuendum conducunt, alio modo idem declinari poteſt, quam pœnam exigendo. Enim vero ſi periculum ex læſione facta imminens alio modo averti poteſt, quam pœnam exigendo; pœna remittenda (§. 1097.). Remittenda ergo eſt, ſi rationes pœnæ remiſſionem ſuadentes ſimul ad declinandum periculum ex facto puniendi metuendum conducunt.

Exemplum habemus in iis, qui ſunt aliis multis utiles. Si enim pœna hoc nomine remittitur, qui puniendi jus habet, hoc ipſo oſtendit, quam habeat rationem utilitatis aliorum, conſequenter quod durum ſeſe præbiturus ſit iis, qui damnum inferre aliis audent. Rationibus adeo, quæ pœnam remittendam eſſe ſuadent, ineſt ſimul, quod deterret alios a lædendis aliis.

§. 1099.

Pœnæ mitigatio quantum conveniat cum remiſſione. *Pœnæ mitigatio eſt quaſi partis ejus remiſſio.* Mitigatur enim pœna ubi leviori afficitur, qui graviori affici poterat (§. 1090.). Quoniam itaque pœna leviori malum minus, graviori majus infertur (§. 1064.), adeoque pœna levior quaſi pars eſt gravioris (§. 352. *Ontol.*) pœnæ mitigatio eſt quaſi partis ejus remiſſio.

Studio dico pœnæ mitigationem eſſe quaſi partis ejus remiſſionem: neque enim ſemper pœna major minorem tanquam partem continet, quatenus tamen pœna omnis conſiſtit in malo quodam inferendo (§. 1077. *part. 1. Theol. nat.*) malum quodvis minus conſiderari poteſt, qua-

Digitized by Google

quatenus ſpectatur tanquam malum, inſtar partis minoris, ac ideo dicitur quaſi pars majoris. Ita mulcta minor vere pars eſt mulctæ majoris; ſed quatenus jactura nummorum nonnullorum minus malum cenſetur relegatione; mulcta eſt quaſi pars relegationis, ſed nonniſi reſpectu generali.

§. 1100.

Rationum mitigationis & remiſſionis pœnæ identitas.

Rationes pœnam mitigandi eædem ſunt, quæ pœnam remittendi. Pœnæ enim mitigatio cum ſit quaſi partis ejuſdem remiſſio (§. 1099.); ſi pœna mitigatur, quaſi pars ejuſdem remittitur. Quæ igitur rationes ſuadent, ut pœna remittatur; eæ pro datis circumſtantiis ſuadere etiam debent, ut ea mitigetur. Rationes igitur pœnam mitigandi eædem ſunt, quæ pœnam remittendi.

Non igitur opus eſt, ut demum de mitigatione pœnæ denuo demonſtrentur, quæ de ejus remiſſione demonſtrata fuere.

§. 1101.

Quando jus ſuum vi perſequi liceat.

Si quis jus perfectum tuum tibi tribuere non vult; illud vi perſequi licet. Unicuique jus ſuum tribuendum (§. 922.) Quodſi ergo quis hoc non facit, obligationi naturali non ſatisfacit §. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo jus fuerit perfectum, cum hoc conjungatur cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ naturali ſatisfacere noluerit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vi adigere licet alterum ut tibi tribuat jus tuum(§. 159. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque adeo patet, ſi quis jus perfectum tuum tibi tribuere non vult, quod idem vi perſequi liceat.

Habemus adeo principium generale, unde deducitur jus belli, quemadmodum tum ex ſequentibus; tum ſuo loco de jure belli publici tradendis patebit.

§. 1102.

Bellum quid ſit.

Status hominum, in quo unus jus ſuum vi perſequitur adverſus alterum, *Bellum* dicitur.

Cicero bellum definit, quod ſit certatio per vim. Enimvero loquendi uſui convenientius, ut bellum ſumatur non de actione, ſed de ſtatu. Hinc *Grotius* de J.B. & P. *lib.* 1. *c.* 1. §. 2. definitionem Ciceronianam emendans bellum dicit ſtatum per vim certantium. Per certationem hic intelligi nequit niſi perſecutio juris ſui. Unde hæc definitio cum ea, quam dedimus, coincidit, etſi noſtra ſit magis perſpicua.

§. 1103.

Jus belli quid ſit.

Jus itaque *belli eſt* jus vi perſequendi jus ſuum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult.

Quando igitur de jure belli agitur, quid licitum ſit, quando vi jus noſtrum adverſus alterum perſequi tenemur, oſtendendum. Hic vero non agitur niſi de bello in ſtatu naturali; ex hiſce tamen principiis derivanda, quæ ad bellum publicum ſpectant alio loco tradenda.

§. 1104.

Cuinam & in quos jus belli competat.

Natura homini unicuique competit jus belli in eum, qui jus perfectum ſuum ipſi tribuere non vult. Si quis enim tibi jus tuum perfectum tribuere non vult, idem

Digitized by Google

idem vi adverſus eum perſequi licet (§. 1101.), conſequenter tibi natura competit jus vi perſequendi jus tuum adverſus alterum, qui id tibi tribuere non vult (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero jus vi perſequendi jus ſuum adverſus eum, qui id tibi tribuere non vult, jus belli eſt (§. 1103.). Tibi igitur natura competit jus belli in eum, qui jus perfectum tuum tibi tribuere non vult.

Atque ita oſtendimus, dari jus belli & cuinam detur, & adverſus quem detur. Simulque patet jus belli inter jura naturalia homini natura data referendum eſſe.

§. 1105.

Bellum in ſe non illicitum. Quoniam homini jus belli natura competit (§. 1104.), id vero illicitum non eſt, ad quod agendum jus nobis datum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *bellare in ſe illicitum non eſt*, ſeu *bellum in ſe illicitum non eſt*.

Qui bella omnia in ſe illicita pronunciant, falſo ſibi perſuadent, quaſi vis omnia adverſus alterum ſit illicita, & offenſam condonare vindictamque deponere idem ſit ac pati, ut alius pro arbitrio ſuo injuriam nobis faciat: quod quam abſonum ſit & a veritate alienum, ex anterioribus abunde liquet.

§. 1106.

Quantum juris competat in eum, qui jus perfectum tribuere non vult. *In eum, qui jus tuum tibi tribuere non vult, tantundem tibi licet, quantum ad hoc ſufficit, ut tribuatur.* Si quis enim jus perfectum tuum tibi tribuere non vult, illud vi perſequi licet (§. 1101.). Quoniam adeo finis eſt, ut alter tibi tribuat jus tuum (§. 932. *Ontol.*), finem autem conſequi non datur ſine mediis, quæ hic ſunt vis, qua alter adigendus, ut faciat, quod ſua ſponte facere non vult (§. 937. *Ontol.*); tantundem omnino tibi licet in eum, qui jus tuum tibi tribuere non vult, quantum ad hoc ſufficit, ut tribuatur.

Habemus adeo principium, ex quo dijudicandum, quid liceat in bello. Quibus hoc durum videtur, illi non perpendunt, jura fore nulla, niſi vi adverſus eum, qui ea nobis tribuere non vult, proſequi liceret. Et quando hoc charitati adverſum videtur, non perpenditur charitati convenire, ut alios diligamus tanquam noſmetipſos, non vero magis quam noſmetipſos, & perverſe admodum de hac virtute judicatur, quaſi eum ea ponatur licentia aliorum pro arbitratu ſuo jura tua violandi, adeoque injuriam faciendi (§. 859.).

§. 1107.

Jus belli quantum ſit. *Jus belli infinitum eſt.* Jus enim belli tibi competit in eum, qui jus perfectum tuum tibi tribuere non vult (§. 1104.). Quoniam itaque in hunc tantundem tibi licet, quantum ad hoc ſufficit, ut alterum ad illud tribuendum adigas (§. 1106.); juri belli in genere non præſcribi poſſunt limites, ſed ei demum ex circumſtantiis præſentibus determinandi. Quoniam itaque jus infinitum eſt, cui in genere præſcribi limites non poſſunt, ſed cui demum ex circumſtantiis præſentibus præfigendi (§. 977.); jus belli infinitum eſt.

Recolenda hic ſunt animo, quæ ſupra de jure defendendi infinito annotavimus (§. 978.).

§. 1108.

Cauſa belli juſta & injuſta quænam dicatur. *Cauſa belli juſta* dicitur, ob quam bellare licet. *Injuſta* vero, ob quam bellare non licet.

Juſtum

Juſtum nimirum hic vocatur, quod juri tuo convenit, ſeu eidem non repugnat. Hinc idiomate patrio cauſa juſta vocatur eine rechtmäßige Urſache. Injuſta cauſa vero non modo ea eſt, quæ juri tuo non convenit, ſed etiam quæ juri alterius adverſatur: Hinc in ſermone vernaculo in caſu priori dicimus keine rechtmäßige Urſache; in poſteriori autem eine ungerechte Urſache.

§. 1109.

Juſta belli cauſa quænam ſit.

Juſta belli cauſa non eſt niſi injuria facta vel facienda. Jus enim belli tibi non competit niſi adverſus eum, qui jus tuum perfectum tibi tribuere non vult (§ 1104.), conſequenter qui quod fecit, facit, vel molitur adverſus jus tuum (§. 921.). Quamobrem bellare non licet niſi adverſus eum, qui quid contra jus tuum perfectum fecit, facit vel molitur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quicquid fit contra jus tuum perfectum injuria eſt (§. 859.). Bellare igitur non licet niſi ob injuriam tibi factam vel faciendam. Cauſa belli juſta eſt, ob quam bellare licet (§. 1108.). Juſta igitur belli cauſa non eſt, niſi injuria vel facta, vel facienda

Habemus adeo principium, ex quo cauſæ bellorum dijudicandæ, utrum juſtæ ſint, nec ne, non modo in ſtatu mere naturali, ubi bellum nonniſi privatum eſt; verum etiam introductis civitatibus, ubi bellum fit publicum, quemadmodum ſuo loco conſtabit. Bellum enim publicum formam & menſuram ſuam recipit a privato, quod geritur a ſingulis in ſtatu mere naturali. Quæ igitur hic demonſtrantur, in uſum futurum probe notanda ſunt. Ita demum plena lux affunditur argumento momentoſo in Jure naturali.

§. 1110.

Belli juſti & injuſti differentia.

Bellum juſtum eſt, quod juſtam habet cauſam: *Injuſtum* vero, cujus cauſa juſta non eſt, ſeu injuſta.

Vernaculo ſermone bellum juſtum dicimus einen rechtmäßigen Krieg; injuſtum einen unrechtmäßigen, item einen ungerechten Krieg. Ratio differentiæ duplicis denominationis belli injuſti in ſermone patrio patet ex ante dictis (*not.* §. 1108.). Definimus hic bellum juſtum & injuſtum, quale eſt jure naturali, cur enim jure gentium ſignificatus immutandus fuerit, ſuo docebitur loco.

§. 1111.

Quodnam bellum ſit licitum.

Bellum nonniſi juſtum licitum eſt, injuſtum vero illicitum. Etenim bellum juſtum juſtam habet cauſam (§. 1110.). Quamobrem cum ob cauſam juſtam bellare liceat (§. 1108.); bellum juſtum licitum eſt. Ex adverſo bellum injuſtum non habet cauſam juſtam, ſed injuſtam (§. 1110.). Cum itaque ob cauſam injuſtam bellare non liceat (§. 1108.); bellum injuſtum illicitum eſt. Quoniam præter bellum juſtum & injuſtum non datur aliud (§. 1110. *Jur. nat.* & §. 53. *Ontol.*), bellum autem injuſtum illicitum, juſtum vero licitum eſt *per demonſtrata*; ideo patet nonniſi bellum juſtum licitum eſſe.

§. 1112.

An licita ſint, quæ in bello injuſto fiunt.

Quicquid in bello injuſto fit, illicitum eſt. Etenim bellum injuſtum illicitum eſt (§. 1111.), conſequenter ei ad bellandum jus nullum competit, qui bellum injuſtum gerit (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quicquid igitur facit, nullo jure facit, adeoque ad id omittendum obligatur (§. 156. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum illicitum ſit, ad quod omittendum quis obligatur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quicquid in bello injuſto fit, illicitum eſt.

Non ſpectamus hic actiones hominum, niſi quales in ſe ſunt, cum hic de intrinſeca earum moralitate agatur, quæ immutabilis eſt & in foro conſcientiæ conſtanter attendenda: ſit ita quod in foro externo attendi minime poſſit, quemadmodum ſuo loco oſtendemus, ubi Jus Gentium explicaturi ſumus. Quod vero hoc non obſtante, quod jure Gentium quædam permittenda, quæ jure naturali non licent; Juris tamen naturalis adhuc ſit uſus, immo indiſpenſabilis neceſſitas, ibidem quoque demonſtraturi ſumus. Talia vero hic præmoneri conſultum ducimus, ne ſcioli doctrinam bonam & ſolidam, quam etſi non novam ignorant tamen, juris naturæ & gentium quippe imperiti ſugillent.

§. 1113.

Quid licitum illicitumve ſit in bello juſto.

Sine quo in bello juſto alterum adigere nequis, ut jus tuum tibi tribuat, id licitum eſt, quod vero ad hunc finem conſequendum fieri neceſſe non eſt, illicitum. Etenim jus belli, quod tibi competit (§. 1104.), non datur niſi eo fine, ut alterum vi adigas ad jus tuum tibi tribuendum, quod tribuere non vult (§. 1103.). Enimvero in eum, qui jus tuum tibi tribuere non vult, non plus licet, quam quod ſufficit, ut eum adigas ad ipſum tibi tribuendum (§. 1106.). Quamobrem in bello juſto non licet niſi hoc, ſine quo alterum adigere nequis, ut jus tuum tibi tribuat, conſequenter quod hujus finis conſequendi gratia non neceſſe eſt fieri illicitum.

Habemus adeo principium, unde deducenda quæ in bello licite fiant, quænam vero illicite fiant.

§. 1114.

Quando defenſio ſui ſit bellum & quid pœnæ exactio bellum ſit.

Qui ſe vi defendit & pœnam ab eo, qui ipſum læſit, ſumit, bellum gerit. Qui enim ſe defendit, læſionem intentanti reſiſtit, ut eandem, quantum in ſe eſt, avertat (§. 972.). Quamobrem cum tibi competat jus perfectum non patiendi, ut alius te lædat (§. 913.), atque adeo qui læſionem intentat, hoc faciat contra jus tuum, conſequenter jus tuum perfectum tibi tribuere nolit (§. 921.); qui ſe vi defendit, vi perſequitur jus ſuum adverſus alterum. Quoniam itaque bellum gerit, qui jus ſuum vi perſequitur adverſus alterum (§. 1102.); qui vi ſe defendit, bellum gerit. *Quod erat unum.*

Porro qui pœnam exigit ab eo, qui ipſum læſit, vi avertere conatur periculum læſionis futuræ ſive ab eodem, ſive ab aliis exemplum ejus ſecuturis ex præterita imminens (§. 1059. 1060.), adeoque vi perſequitur jus ſecuritatis (§. 917.), quod ipſi competit (§. 918) adverſus eum, qui prodidit animum jus ſuum alteri non tribuendi & cauſam præbet aliis, ut idem tribuere nolint. Enimvero qui vi perſequitur jus ſuum adverſus alterum, bellum gerit (§. 1102.). Quamobrem qui pœnam ſumit ab eo, qui ipſum læſit, bellum gerit. *Quod erat alterum.*

Defenſionem ſui violentam recte referri ad bellum, vix eſt qui dubitet. Enimvero quod etiam ad bellum referri debeat, ſi quis nocentem punit, abſonum forſan videbitur haud paucis. Sed hi erunt, qui non ea notionibus diſtinctis de rebus ſtatuunt, & confuſam belli publici ideam, quod obtinet inter gentes, civitatibus introductis, cum notione belli in genere confundunt. Alia longe fuit perſpicacis *Grotii*, qui pœnas capitales a jure belli non ſeparat, ſed potius ab illis ad hoc argumentum petit.

§. 1115.

An bellum injuſtum gerenti opem ferre liceat.

Quicquid alius quicunque in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit, facit, id licitum non eſt, ſed injuſtum, & hoc ipſo illi injuriam facit, ex cujus parte juſtum eſt bellum. Qui enim bellum juſtum gerit, jure ſuo utitur (§. 1104. 1110.), conſequenter quicquid alius quicunque in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit,

gerit, adeoque nil licite facit (§. 1112.), ullo modo faciat, illum impedire conatur quo minus jure ſuo utatur. Quamobrem cum ipſi non competat jus illum impediendi, quo minus jure ſuo utatur (§. 180 *part. 1. Phil. pract. univ.*); quicquid facit, id nullo ſuo jure facit. Ad quod vero agendum jus ipſi nullum eſt, id licitum non eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quicquid ergo alius quicunque in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit, facit, id licitum non eſt. *Quod erat primum.*

Si quid alius in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit, facit, bellum juſtum gerentem in uſu ſui juris impedire conatur *per demonſtrata*. Quicquid igitur facit, id fit contra jus tuum perfectum (§ 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque injuſtum eſt (§. *cit.*). Injuſtum igitur eſt, quicquid alius quicunque in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit, facit. *Quod erat ſecundum.*

Denique quicquid alius quicunque in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit, facit, id omne fit contra jus perfectum tuum *per demonſtrata*. Enimvero injuriam alteri facit, qui, quod contra jus ipſius perfectum eſt, facit (§. 859.). Quamobrem ſi quid alius quicunque in gratiam ejus, qui bellum injuſtum gerit facit; injuriam alteri facit, ex cujus parte bellum juſtum eſt. *Quod erat tertium.*

Patet hinc, quandonam alteri, qui bello implicitus eſt, opem ferre non liceat ſine injuria partis alterius.

§. 1116.

Bellum juſtum gerenti opem ferre licet, immo qui poteſt, ad ferendam opem obligatur eadem indigenti. Quicquid enim bellum juſtum gerenti ſeſe opponens pars adverſa facit, contra jus perfectum ipſius eſt (§. 1104. 1110.), conſequenter eo ipſo eundem lædit (§. 920.). Quamobrem cum quilibet obligetur ad impediendum, ne quis lædatur ab aliis, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 988.); quilibet obligatur ad ferendam opem ei, qui bellum juſtum gerit, ſi eadem indiget (§. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *Quando bellanti opem ferre liceat.*

Competit vero unicuique natura jus ad eos actus, quibus impedire poteſt, ne quis lædatur ab alio (§. 989.). Quamobrem porro patet, quod unicuique ſit jus bellum juſtum gerenti opem ferendi, conſequenter quod ferre liceat (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Longe diſpar adeo ratio eſt ejus, penes quem ſtat juſtitia belli, & alterius, qui bellum injuſtum gerit.

§. 1117.

Si alio modo alterum permovere poſſis, ut jus tuum tibi tribuat; a bello abſtinendum. Etenim cum voluntas hominis determinanda ſit per motiva (§. 889 *Pſych. empir.*), ſi alio modo alterum permovere poſſis, ut jus tuum tibi tribuat, quam bellum eidem inferendo, dici haud quaquam poteſt, quod jus tuum tibi tribuere nolit. Quamobrem cum tibi non liceat jus tuum vi perſequi, niſi quando alter id tibi tribuere non vult (§. 1101.); vi idem perſequi non licet, ſi alio modo alterum permovere poſſis, ut hoc faciat. Enimvero bellum infertur alteri, ubi jus tuum adverſus eum vi perſequeris (§. 1102.). A bello igitur abſtinendum, ſi alio modo alterum permovere poſſis, ut jus tuum tibi tribuat. *Quando a bello abſtinendum.*

Etſi adeo bellum in abſtracto juſtum ſit, cujus cauſa juſta eſt (§. 1110.), injuria nempe facta vel facienda (§. 1109.); non tamen licet ad bellum advolare, quamdiu nondum tentaveris, utrum ob injuriam factam tibi ſatisfacere, aut a facienda abſtinere voluerit pars adverſa. Alibi autem docebimus, quænam ſint ea, quæ ante tentanda, quam bello concedatur locus.

§. 1118.

An denegatio officii humanitatis ſit juſta belli cauſa.

Si quis tibi denegat officium humanitatis, id juſta belli cauſa non eſt. Nemo enim hominum habet jus ad officia humanitatis alterum cogendi (§. 658.). Quamobrem ubi quis tibi officium humanitatis denegat, eum vi adigere non licet, ut id ipſum præſtet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec jus imperfectum ad officium humanitatis ab altero præſtandum vi perſequi, adeoque nec propter hoc denegatum bellare licet (§. 1102.). Quoniam igitur belli cauſa juſta non eſt, ob quam bellare non licet (§. 1108.); ſi quis officium humanitatis tibi denegat, belli juſta cauſa hoc non eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam nemini competit jus ad officia humanitatis alterum cogendi (§. 658.), quoad officia humanitatis non tibi competit jus perfectum (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui tibi denegat officium humanitatis, nil facit contra jus tuum perfectum (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nullam tibi facit injuriam (§. 859.). Enimvero juſta belli cauſa non eſt niſi injuria (§. 1109.). Ergo ſi quis tibi denegat officium humanitatis, id juſta belli cauſa non eſt.

Si bellum eſſet licitum ob denegatum officium humanitatis, non modo continua forent bella; verum etiam plurima forent injuſta. Cum enim nemo ad præſtandum officium humanitatis obligetur niſi auxilio alieno indigenti, & ubi præſtatio ejus in poteſtate ipſius eſt (§. 608.); jure tibi denegat iſtud officium, ſi ipſemet facere potes, quod petis, aut ſi id præſtare minime valet. Quamobrem ſi alterum ad hoc cogere velles, ipſi injuriam faceres, foretque bellum, quod ei inferis, injuſtum.

§. 1119.

Quomodo bellum gerendum.

Bellum geri poteſt ac debet abſque odio partis adverſæ. Etenim in bello vi perſequimur jus noſtrum adverſus eum, quis idem nobis tribuere non vult (§. 1102.). Cum adeo vis, quam adhibemus, ſpectanda ſit tanquam medium id conſequendi, cujus gratia bellum geritur (§. 937. *Ontol.*); quicquid mali in bello parti adverſæ inferendum, velle poſſumus qua medium conſequendi id, cujus gratia bellum geritur, non autem qua malum illius. Quoniam itaque bellum geri poteſt non appetendo malum, conſequenter tædium alterius (§. 569. *Pſych. empir.*), bellum quoque geri poteſt abſque odio partis adverſæ (§. 669. *Pſych. empir.*). *Quod erat unum*.

Quoniam neminem odio habere debemus (§. 624.), bellum autem geri poteſt abſque odio partis adverſæ *per demonſtrata*; abſque odio partis adverſæ etiam gerendum. *Quod erat alterum*.

Patet adeo bellum non exigere odium partis adverſæ, ut malum, quod abeſſe nequit, gerenti voluptati ſit. Sane ubi odio in partem adverſam bellum geritur, facile admittuntur, quæ licite non fiunt, nec fieri debebant, quemadmodum in punitione ac defenſione ſui. Ceterum hæc propoſitio probe notanda, non modo ob uſum in praxi, ſed etiam in theoria ad refellendos eos, qui bellum in ſe illicitum venditant.

§. 1120.

An bellum repugnet amori inimicorum.

Bellum in ſe amori inimicorum non repugnat. Geri enim poteſt ac debet abſque odio partis adverſæ (§. 1119.). Quamobrem cum odium ſit diſpoſitio animæ ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate (§. 661. *Pſych. empir.*); belligerantis animus diſpoſitus non neceſſario eſt, immo nec eſſe debet ad voluptatem percipiendam ex partis adverſæ infelicitate, conſequenter bellum minime obſtat, quo minus diſpoſitus ſit ad voluptatem ex ejuſdem felicitate percipiendam. In diſpoſitione ad voluptatem ex alterius felicitate percipiendam

dam conſiſtit amor (§. 633. *Pſych. empir.*). Bellum adeo in ſe amori inimicorum non repugnat.

Qui opinantur, conſiſtere minime poſſe, ut quis ex alterius felicitate voluptatem percipiat, & tamen faciat, quæ ipſum infelicem reddunt; hi non perpendunt, quod aliquoties in anterioribus jam clare ſatis ac diſtincte expoſuimus, malum, quo alter redditur infelix, non intendi qua malum, ſed qua medium unicum finem licitum conſequendi. Unde in volente duo ſunt contrarii voluntatis ac averſationis actus. Si id quod faciendum conſiderat tanquam actum, quo alteri infertur malum, id non vult; ſi conſiderat tanquam actum, ſine quo finem, quem intendit, conſequi nequit, idem vult. Quoniam tamen finem proſequi neceſſe eſt, voluntas vincit noluntatem, ſed ita ut mallet non facere, ſi fieri poſſet, adeoque in actu volitionis adhuc ſuperſit aliquid actus nolitionis contrarii. Non hic finguntur, quemadmodum hebetioribus videri poterat, quæ a veritate aliena ſunt, ad defendendam ſententiam, quæ incommodo quodam inſuperabili premitur: videbimus enim deinceps, idem obtinere in ipſo Deo, & ipſi Theologi non alia ratione bonitatem Dei ſummam & amorem ejus univerſalem hominum omnium tuentur, nec tueri aliter poſſunt ac debent. Non nego in bello publico majorem videri difficultatem, cum in eo pati videantur innocentes. Sed de eo diſpiciemus ſuo loco: neque enim hic ſuppetunt principia, quorum vi nebulæ diſpelluntur.

C A P U T IV.

De Officiis hominis erga Deum & juribus cum iiſdem connexis.

§. 1121.

D*Eus vult ab hominibus coli*. Vult enim Deus, ut homo dirigat actiones ſuas liberas ad manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 918. *part.* 1. *Theol. nat.*), conſequenter ut attributa ſua ſint motiva actionum humanarum (§. 919. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque vult, ut certas edamus actiones, quia ipſum eſſe agnoſcimus, eas non edituri, ſi ipſum non agnoſceremus, aut ſi nullus daretur Deus; & ut actiones quaſvis liberas ſic determinemus, quia datur Deus, eas hoc pacto non determinaturi, ſi Deus non daretur. Enimvero qui hoc facit, Deum colit (§. 511. *part.* 2. *Theol. nat.*). Vult igitur Deus ab hominibus coli. *Deum velle ab hominibus coli.*

Qui ſibi perſuadent, Deum parum curare, utrum ab hominibus colatur, nec ne; diſtinctis cultus divini notionibus deſtituuntur. Hinc non modo cultum divinum ex alienis actionibus æſtimant, verum etiam de voluntate Dei judicaturi ad rationes extrinſecas delabuntur, quæ ſi rite expendantur, nil probant. Deum comparant cum Rege ambitioſo ac faſtuoſo, & cultum divinum cum honore, qui eidem exhibetur ab hominibus abjectæ conditionis. Quemadmodum adeo Rex faſtuoſus parum curat honorem ab hominibus abjectis ſibi exhibitum; ita quoque Deus parum curare ipſis videtur, utrum ab hominibus colatur, nec ne. Enimvero quanto intervallo diſtent iſtiuſmodi opiniones a veritate, ex ſequentibus eluceſcet.

§. 1122.

Homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad colendum Deum. Etenim per ipſam eſſentiam & naturam ſuam obligatur ad actiones ſuas omnes dirigendum ad manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 250. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & ad eas determinandum per motiva ab attributis divinis deſumpta (§. 251. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ad certas edendas actiones, quas edere non tenebatur, ſiquidem Deus nullus eſſet, & ad actiones quaſvi ſic determinandas, non aliter, quia datur Deus, eas hoc pacto non determinaturus, ſi Deus non daretur. Quoniam itaque qui hoc facit, Deum colit (§. 511. *part.* 2. *Theol. nat.*); homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad colendum Deum. *Obligatio naturalis Deum colendi.*

Con-

Digitized by Google

Conſtat ex parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis obligationem naturalem, quæ ex ipſa eſſentia atque natura hominis reſultat, diſtinguendam eſſe ab ea, quæ venit a voluntate divina. Etſi enim Deus auctor ſit legis naturæ (§. 275. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ac hominem ad legem naturæ ſervandam obliget (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non tamen hoc obſtat, quo minus lex naturæ & obligatio naturalis, ſine qua illa concipi nequit, rationem ſufficientem in ipſa natura & eſſentia hominis agnoſcat, ita ut homo ſe obligatum agnoſcere debeat ad legem naturæ ſervandam, etiamſi per impoſſibile ponatur, Deum parum curare, utrum eam ſervemus, nec ne. Quamvis adeo verum eſſet, quod verum non eſſe modo oſtendimus (§. 1121.) Deum parum curare, utrum ab hominibus colatur, nec ne; nondum tamen hinc inferri poterat, Deum non eſſe colendum, aut perinde eſſe, ſive homo Deum colat, ſive minus. Per hoc enim nondum tolleretur obligatio naturalis Deum colendi, utpote prorſus neceſſaria ac immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Videmus adeo, quantum deficiat acumen illorum, quo ſe ceteris præſtare ſibi videntur cultum divinum inter ea referentes quæ ſuperflua ſunt (*not.* §. 1121.).

§. 1123.

Cultus divinus lege naturali præceptus. *Deum cole, præceptum legis naturalis eſt.* Etenim homo obligatur lege naturali ad directionem actionum ſuarum ad gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 254. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ad determinandum actiones ſuas liberas quaſcunque per attributa divina tanquam per motiva (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum Deum colat, qui hoc facit (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*); Deum cole, eſt lex naturæ. Quoniam vero lex naturæ, quæ nos obligat ad aliquid agendum, præceptum eſt (§. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*); Deum cole, præceptum legis naturalis eſt.

Diximus ſuperius (*not* §. 969.), recte ab *Ulpiano* tria ſtatui juris præcepta (ſumit enim vocabulum præcepti in ſignificatu latiori, quo etiam comprehenditur quilibet alius legis actus, conſequenter quoque prohibitio & permiſſio *l. 7. ff. de LL. &c*), ſcilicet honeſte vivere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere, quibus omnes continentur hominum obligationes iisdemque reſpondentia jura quoad ſe atque alios. His igitur addendum quartum: Deum colere, niſi id ipſum ſub primo honeſte vivere velis eſſe comprehenſum: id quod non invita veritate fieri poſſe patet (§. 968. 1121.), quamvis *Ulpianus* huc non reſpexiſſe videatur, cum illi tantummodo propoſitum ſit indicare principia ad dijudicandum obligationes externas hominum erga ſe invicem, iisdemque reſpondentia jura.

§. 1124.

Deus in omni actione colendus. *Deus in omnibus actionibus colendus.* Etenim actio omnis, ad quam lege naturali obligamur, determinari poteſt per motiva ab attributis divinis deſumpta (§. 253. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & homo obligatur ad eam ſic determinandam (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ad hanc determinationem non omittendam (§. 252. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deum colat, qui hoc facit (§. 511. *part. 2. Phil. pract. univ.*); Deus in omni actione colendus.

Videas adeo, quam late pateat cultus divinus: id quod pauci agnoſcunt, etſi hanc obligationem urgeat Apoſtolus 1. Cor. X. 31. Sive manducatis, inquit, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, cum non intelligant, quomodo in gloriam Dei manducare, bibere aut aliud quidvis facere poſſis. Ipſe ſane *Hammondus*, Anglus, cujus in Novum Teſtamentum Paraphraſis tantopere celebratur ac commendatur, hoc non pervidit, utpote qui verba Pauli paraphraſi ſua ita reddit: Diligenter cavendum eſt, ut nihil comedamus, nihilve agamus, quod Dei honori officere poſſit, aut fratrem offendere.

§. 1125.

Quomodo actiones ſuas deter- *Qui Deum colere vult, actiones ſuas omnes determinare debet per motiva ab attributis divinis deſumta & contra.* Qui enim Deum colere vult, actiones certas edere tenetur ſolius Dei gratia, eas non editurus, ſi non daretur (§. 511. *part. 2.*

Digitized by Google

part.2.Theol.nat.), conſequenter cum Deum colere debeat in omnibus actionibus (§.1122.), hoc autem aliter fieri non poſſit, quam ſi eas dirigat ad gloriæ divinæ manifeſtationem (§.918.*part.1.Theol.nat.*), conſequenter ſi eaſdem determinet per attributa divina tanquam per motiva (§.919.*part.1.Theol.nat.*); qui Deum colere vult, actiones ſuas omnes determinare debet per motiva ab attributis divinis deſumta. *Quod erat unum.*

...minare debeat, qui Deum colere vult.

Quod vero is, qui actiones ſuas omnes determinat per motiva ab attributis divinis deſumta, Deum colat; jam oſtendimus in demonſtratione anteriori (§.1122.). *Quod erat alterum.*

Noſtrum jam non eſt oſtendere, quomodo attributa divina per modum motivorum influere poſſint in determinationem unius cujuſque actionis quoad particulares determinationes: id enim nimis foret prolixum, nec propriè hujus eſt loci. Motiva enim ad praxin moralem ſpectant. Hinc generalia tradidimus in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis (§.405 & *ſeqq.*), ſpecialia autem trademus in Philoſophia morali. Hinc tantummodo oſtendendum erat pertinere hanc determinationem actionum ad cultum divinum.

§. 1126.

Si quis actionem aliquam lege naturali præceptam non determinat per motiva ab attributis divinis deſumta; peccat. Etenim homo obligatur ad non omittendum determinationem actionum per motiva ab attributis divinis deſumtam (§.252.*part.1.Phil.pract.univ.*). Quamobrem etſi actio ſit lege naturali præcepta, in eo tamen adhuc contrariatur eidem, ſi non determinetur per motiva ab attributis divinis deſumta. Quamobrem cum actio legi naturæ contraria peccatum ſit (§.440.*part.1.Phil.pract.univ.*); ſi quis actionem aliquam lege naturali præceptam non determinet per motiva ab attributis divinis deſumta, peccat.

Peccatum in actione bona edenda commiſſum.

Nemo exiſtimet, me eſſe nimis rigidum actionum humanarum cenſorem, quaſi peccato contaminare velim bonas aliorum actiones. Nihil enim affirmo, niſi quod ex principiis manifeſtis ſua veluti ſponte conſequitur, non negandum, niſi qui principia negare auſit. Neque alio fine peccatum bonis etiam actionibus adhærens & labe quadam eaſdem inficiens hic demonſtramus, quam ut cultum divinum integritati ſuæ reſtituamus (§.1125.1124.). Quomodo vero præcaveri poſſit, ne hac labe inficiantur actiones noſtræ, etſi continuo attributa divina, quæ per modum motivorum in determinationem earundem influunt, diſtincte non perpendantur, ſuo docebimus loco in Philoſophia morali.

§. 1127.

Pius Deum colit in omnibus ſuis actionibus & contra. Pius enim omnes actiones ſuas legi naturali conformat vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum (§.339.*part.1.Phil.pract.univ.*). Sed qui hoc facit Deum colit in omnibus actionibus ſuis (§.1125.). Ergo pius Deum in omnibus ſuis actionibus colit. *Quod erat unum.*

Pius quinam ſit.

Qui Deum colit in omnibus actionibus ſuis, is eaſdem determinat per motiva ab attributis divinis deſumta (§.1125.), conſequenter cum actio omnis lege naturali præcepta, omniſque actio privativa legi naturali prohibitivæ reſpondens ſit determinabilis per motiva ab attributis divinis deſumenda (§.233.*part.1.Phil.pract.univ.*), per motiva ab attributis divinis deſumta actiones ſuas legi naturali conformat. Enimvero qui hoc facit pius eſt (§.339.*part.1.Phil.pract.univ.*). Ergo qui Deum colit in omnibus actionibus ſuis pius eſt. *Quod erat alterum.*

Patet hinc, quænam ad pietatem requirantur, nimirum ſollicita legis naturalis cuſtodia in actionibus omnibus tam poſitivis, quam privativis, ad quam voluntas & noluntas per vi-

vim

Digitized by Google

vam Dei agnitionem determinatur. Etſi autem hodie pietatis pompoſæ affectatores pietatis indolem ignorent; ex ipſis tamen principiis rationis perſpicitur, quomodo agnitio Dei v. in omnes omnino hominum actiones influant.

§. 1128.

Pietas lege naturali præcepta.

Quilibet homo pius eſſe debet. Unuſquiſque enim Deum colere debet in omnibus actionibus ſuis (§. 1124.). Sed qui Deum colit in omnibus actionibus ſuis pius eſt (§. 1127.). Ergo homo quilibet pius eſſe debet.

Videmus adeo hominem natura obligari ad pietatem colendam. Quod vero pagani hanc virtutem ignoraverint, non aliunde eſt, quam quod a vera Dei cognitione fuerint alieni.

§. 1129.

Obligatio Deum agnoſcendi.

Quilibet homo Deum agnoſcere debet. Homo enim per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad determinandum actiones liberas quaſcunque per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 251. 253. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero fieri non poteſt, ut hoc faciat, niſi norit dari Deum, & quænam ſint ejus attributa. Quamobrem obligatur ad exiſtentiam Dei ejuſque attributa cognoſcendum, conſequenter ad Deum agnoſcendum.

Primum omnino officium eſt, quod homo Deo debet, agnitio Dei. Neque enim ullum Deo præſtabit officium, niſi eundem agnoſcat, & ubi eum circa Dei agnitionem a vero aberrare contingit, cetera quoque officia aut nulla erunt, aut vitium contrahent, aut Deo ſe debere arbitrabitur, quod is ab ipſo minime exigit, immo quod Deum parum decet.

§. 1130.

Neglectus agnitionis divinæ prohibitus.

Quoniam ad Deum agnoſcendum obligamur (§. 1129.), lex autem naturæ præceptiva eſt ſimul prohibitiva contrarii (§. 722.); *neglectus agnitionis divinæ lege naturali prohibitus.*

Noxium omnino præjudicium eſt, quod plurimorum animos occupavit, quaſi uberior & exaſciata magis Dei cognitio ad Theologos pertineat, ceteris vero ſufficiat rudior, ut adeo tuto acquieſcere poſſint in iis, quæ in pueritia animis ipſorum inſtillata fuerunt de Deo, quaſi ſeſe alieno negotio immiſceat, qui exactam & certam Dei cognitionem conſequi ſtudet, cum non ſit Theologus.

§. 1131.

Cognitio Dei ex creaturis præcepta.

Homo Deum ex contemplatione hujus univerſi & eorum, quæ in eodem ſunt, cognoſcere debet. Etenim Deus hoc univerſum, ſeu mundum adſpectabilem & omnia, quæ in eo ſunt, eo fine condidit, ut ſummam perfectionem pateſaceret (§. 629. *part.* 1. *Theol. nat.*) & totum hoc univerſum, non modo corpora, quæ in eo ſunt, verum etiam animæ omnes ſunt ſpecula perfectionum divinarum (§. 786. *part.* 1. *Theol. nat.*). Deus igitur condidit hoc univerſum & omnia, quæ in eo ſunt, ut per ea, quæ ipſis inſunt, colligi poſſit, qualis ſit Deus (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum homo quilibet Deum agnoſcere teneatur (§. 1129.); quilibet etiam Deum ex contemplatione hujus univerſi & eorum, quæ in eodem ſunt, cognoſcere debet.

Quomodo mundus integer & quicquid in eodem exiſtit, ſit ſpeculum attributorum divinorum, ita ut ex cognitione illius perveniatur ad horum cognitionem diſtincte expoſuimus (§ 799. & *ſeqq. Theol nat.*): quæ principia generalia ad rem quamlibet naturalem applicari

el poſſunt ac debent: Quid hoc conferat ad pietatem, in Philoſophia morali rectius docebitur. Hæc autem argumentatio, quam principia iſta dirigunt, ut eidem inſit vis concludendi a creaturis ad creatorem eum *Bellarmino* appellari poteſt *Aſcenſus mentis in Deum*.

§. 1132.

Quoniam Deum ex contemplatione hujus univerſi & eorum, quæ in eodem ſunt, cognoſcere debemus (§. 1131), hoc autem fieri nequit, niſi ante cognoſcamus, qualis ſit hic mundus adſpectabilis & qualia ſint, quæ in eodem exiſtunt (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*); *homo etiam obligatur ad contemplandum hoc univerſum & ea, quæ in eodem exiſtunt, & ad cognoſcendum, qualia ſint.*

Obligatio ad contemplationem mundi & cognitionem rerum naturalium.

Videmus adeo cognitionem rerum naturalium eſſe præceptam, & eam perperam inter curioſitates referri, quæ otioſis ingeniis negotium faceſſunt. Dolendum itaque eſt Theologiam, cujus prima lineamenta duximus in parte ſecunda Phyſicæ patrio ſermone edita de finibus rerum naturalium & in parte tertia de uſu partium, adeo negligi. Quodſi vero nobis licuerit eſſe tam felicibus, ut in operibus Latinis edendis ordo nos deducat ad Theologiam, eam magis excultam & exaſciatam dabimus. Quamvis enim a cenſendis aliis maxime ſimus alieni; veritas tamen jubet, ut profiteamur, in iis, quæ hactenus data a nonnullis, & magno applauſu excepta ſunt ab aliis, plerumque deſiderari vim argumentationis, etſi ad convincendum atheos propoſita dicantur. Quodſi ea perpendere volueris, quæ evidenter demonſtravimus de mundo & iis, quæ in eodem exiſtunt, quomodo Deum repræſentent (§. 799. & *part. 1. Theol. nat.*); citra injuriam hæc dicta eſſe ultro confiteberis. Quoniam vero non omnis rerum naturalium cognitio ad captum omnium eſt; ideo in Philoſophia morali docebimus, quomodo eadem ad Deum agnoſcendum & per agnitionem Dei pietatem promovendam ſit utendum. Neque enim ſaltu, ſed lento paſſu in via veritatis progrediendum, ſi non modo a lapſu immunis eſſe, verum etiam ad veritatem liquidam pertingere volueris. In veritatis tramite lente feſtinandum: quod cum non faciant, qui ex Matheſi hoc perſpicere poterant, tanto minus hoc condonandum ipſis videtur, quanto magis nocet eorum autoritas. Non injuſtæ igitur cenſeri debent querelæ noſtræ, quod Matheſis ſibi, non vero ad recte philoſophandum addiſcatur, ut adeo ſubtilitates geometricæ videantur crepundia ad oſtentationem ſublimitatis ingenii compoſita.

§. 1133.

Quoniam homo obligatur ad contemplandum hoc univerſum & ea, quæ in eodem exiſtunt (§. 1132.), in uſum agnitionis Dei (§. 1131.), conſequenter etiam obligatur ad hanc contemplationem eo fine non omittendam (§. 722.); *neglectus contemplationis hujus univerſi & eorum, quæ in eodem exiſtunt, in uſum agnitionis Numinis lege naturali prohibitus* (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque *qui eandem negligit, peccat* (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Neglectus contemplationis univerſi & eorum, quæ in eo ſunt, lege naturæ prohibitus.

Non dico, quæ a mente Sac. Script. aliena. Sane *Iſaias* c. V. 12. peccatum a Deo graviter punitum urget, quod homines rebus naturalibus non utantur niſi ad ſenſus delectandos, eam vero earundem contemplationem negligant, quæ ad Numinis agnitionem facit alis longe voluptate mentem paſcens. Cithara, inquit, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. Idem etiam inculcat Apoſtolus *Rom.* I. 18. & *ſeqq.* Sed ſurdis narratur fabula, ubi modus colendi Deum in omnibus actionibus ſuis & adjumentum, quod ad pietatem affert agnitio Numinis ex operibus ejus, diſtincte non fuerint perſpecta. Hinc videas Phyſicam tanquam inutilem contemni etiam ab aliis, qui ceteris Philoſophiæ partibus ſuum ſtatuunt pretium.

§. 1134.

Operam dare debemus, ut apti evadamus ad perfectionem Dei ſummam repræſentandam, ſeu natura obligamur ad acquirendam aptitudinem repræſentandi perfectionem Dei ſummam. Omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur (§. 173.).

Obligatio naturalis ad Deum repræſentandum.

Perfectio hominis conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam (§. 917. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem operam dare debemus, ut apti evadamus ad perfectionem Dei ſummam repræſentandam.

Non dubito fore haud paucos, quibus vel Cimmeriis tenebris obſcuriora loqui videar, propterea quod in anterioribus Philoſophiæ noſtræ partibus non ſatis fuere verſati. Quodſi vero legerint demonſtrationem de perfectione hominis in ea aptitudine conſiſtente (§. 917. *p.* 1. *Theol. nat.*) & quæ de directione actionum liberarum ad perfectionem totius univerſi annotavimus (*not.* §. 920. *part.* 1. *Theol. nat.*); nullus dubito fore, quin obſcuritas illa evaneſcat, & quomodo diſpellantur nebulæ, quas poſt ſe adhuc relinquit, penitus intelligatur, ut in plena luce verſentur.

§. 1135.

Obligatio agnoſcendi Deum ex ſeipſo.

Homo obligatur ad Deum ex ſeipſo agnoſcendum. Obligatur enim ad Deum agnoſcendum ex iis, quæ ſunt in hoc univerſo (§. 1131.). Quoniam itaque homo etiam in numero eorum eſt, quæ in hoc univerſo exiſtunt, adeoque perinde ac entia cetera omnia Deum eſſentialiter repræſentet (§. 818. *part.* 1. *Theol. nat.*), ac præterea operam dare debet, ut eam quoque acquirat aptitudinem, qua eundem accidentaliter repræſentat (§. 1134.); per hoc autem, quod ens aliquod Deum repræſentet, ſeu, quod perinde eſt, ſpeculum perfectionum divinarum ſit, fieri poteſt, ut per ipſius cognitionem ad cognitionem Dei perveniatur (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*): quin homo obligetur ad Deum ex ſeipſo agnoſcendum dubitandum non eſt.

Huic obligationi ad Deum ex ſeipſo agnoſcendum adeſt aliquid ſingulare, de quo, ut dicamus, par eſt. Nimirum obligamur ad acquirendam aptitudinem repræſentandi perfectionem Dei ſummam (§. 1134.); obligamur etiam ad Deum ex nobiſmetipſis agnoſcendum (§. 1135.). Quo magis ens aliquod Deum repræſentat; eo luculentior eſt Dei inde derivata cognitio. Aptitudo eſſentialis repræſentandi Deum cedit accidentali ſive acquiſitæ: de quo nemo dubitabit, qui novit differentiam inter habitum & diſpoſitionem naturalem intercedentem, atque animo comprehendit, quæ de ſeipſo perficiendo demonſtravimus, cum officia erga ſeipſum explicaremus. Obligamur itaque ad acquirendam aptitudinem repræſentandi Deum, ut eundem ex nobiſmetipſis tanto luculentius agnoſcere queamus. Atque ita perfectionem noſtram Deo conſecramus &, dum noſtri gratia agere videmur, propter Deum agimus. Ac ideo ſtudium perficiendi ſemetipſum, ut luculentior ſit Dei ex nobiſmetipſis derivanda cognitio, pars quædam cultus divini eſt (§. 511. *part.* 2. *Theol. nat.*) in omnibus actionibus noſtris obſervandi (§. 1124.). Nec hic cultus a vera in Deum pietate abeſſe poteſt (§. 1127.), nec debet (§. 1128.). Videant adeo Neo-Phariſæi pietate pomposa ſuperbientes, quantum prodant ſe a vera in Deum pietate procul *adhuc diſtare*, dum actionum directionem ad ſummam ſui ipſius, quam conſequi datur, perfectionem damnant & conviciantur.

§. 1136.

Jus hominis in res naturales.

Jus homini eſt in res naturales quoad omnem uſum, qui ad earum cognitionem facit: Obligamur enim ad res naturales cognoſcendas, quales ſint (§. 1132.). Enimvero lex naturæ homini dat jus ad ea omnia, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo etiam homini dat jus in res naturales quoad omnem uſum, qui ad earum cognitionem facit.

Equidem nemo eſt, qui ſibi religioni ducat eum rebus naturalibus agendi, quod ipſi viſum fuerit, ubi id ad earum cognitionem facere arbitratur; non tamen ideo ſuperfluum eſt ut demonſtretur, jure noſtro nos hoc facere, neque adeo opus eſſe, ut idem facere ſibi quis religioni ducat, cum licite fiat (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sunt ſubinde qui miſericordia ducti miſerentur brutorum, quoties in experimentando eos excruciari arbitrantur, quaſi hoc ſit illicitum. Quamobrem non rectius redarguuntur erroris ſui, quam ubi oſtenderis jus hoc in bruta nobis competens ex ipſa obligatione erga Deum tanquam ex fonte ſuo derivari. Ceterum non negandum eſt, quatenus rerum naturalium cognitione etiam ad conſervationem noſtram vitæ

Digitized by Google

vitæque commoditatem ac jucunditatem opus habemus; idem jus ex hac quoque obligatione erga noſmetipſos atque alios deſcendere. Sed hoc per ſuperiora jam patet; & alibi uberius exponetur.

§. 1137.

Jus conficiendi inſtrumenta ad obſervandum & experimentandum.

Quoniam homini jus eſt in res naturales quoad uſum, qui ad earum cognitionem facit (§. 1136.), inſtrumenta autem ad obſervationes & experimenta requiſita inſerviunt rerum naturalium cognitioni acquirendæ, quemadmodum a poſteriori novimus; ***homini quoque jus eſt ex rebus naturalibus tanquam materia apta conficiendi inſtrumenta in uſum obſervationum & experimentorum.***

Erunt forſitan, qui ſuperfluum exiſtimabunt ea demonſtrari, de quibus nemo dubitat. Enimvero non ſufficit communem hominum eſſe opinionem, quod talia fieri poſſint, ſed quæritur, num homines hoc faciant jure ſuo, & num hoc jus ſit ipſis a natura datum. Hoc omnino oſtendendum, ubi de jure agitur, quod homini natura competit.

§. 1138.

Jus ad actus, quibus promovetur cognitio rerum naturalium.

Homini natura competit jus ad omnes actus, quibus rerum naturalium cognitio promovetur. Homo enim obligatur ad res naturales & mundum hunc adſpectabilem cognoſcendum (§. 1132.). Quoniam itaque lex naturæ eidem dat jus ad actus omnes, ſine quibus obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); eidem quoque dat jus ad omnes actus, quibus rerum naturalium cognitio promovetur, adeoque jus ad hoſce actus eidem natura competit.

Videmus adeo; minus recte *Plinium* reprehendiſſe *Hipparchum*, quod occaſione ſtellæ novæ ipſius ævo apparentis condidiſſet catalogum fixarum, ut poſteris obſervare liceret, num fixæ quædam diſpareant, novæ autem appareant, quaſi auſus ſit rem Deo hominibuſque improbam poſteris annumerans ſtellas. Quam injuſta ſit hæc cenſura tanto magis liquet, quod jus, quo hoc fecit *Hipparchus*, ex ipſa obligatione colendi Deum deſcendat, quemadmodum ſeries noſtrarum demonſtrationum patefacit. Hoc ipſum exemplum docet non inanem eſſe de hoc jure diſquiſitionem.

§. 1139.

Qualis eſſe debeat cognitio Dei.

Homo operam dare debet, ut vivam Dei cognitionem acquirat. Per ipſam enim eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad determinandum actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deum agnoſcere teneatur (§. 1129.); talis eſſe debet cognitio, quæ ſit motivum voluntatis. Enimvero viva eſt cognitio, quæ voluntatis motivum fit (§. 224. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Operam igitur dare debet, ut vivam Dei cognitionem acquirat.

§. 1140.

Idem porro expenditur.

Quoniam certitudo cognitionem vivam efficit (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *homo* autem operam dare debet, ut vivam Dei cognitionem acquirat (§. 1139.); idem ***operam dare debet, ut certa ſit Dei, quam habet, cognitio.***

* Obligationi huic contrariatur, qui demonſtrationes in Theologia naturali atro carbone notant, ſine quibus tamen certam cognitionem Dei naturalem acquiri minime poſſe nemo eſt qui ignorat, niſi hoſpes in veriori Logica, & vim demonſtrationum nondum expertus. Etſi autem hebetioribus certa videantur, quæ non ſunt, ut cognitio in ſe minime certa vivæ æqui-

parandа videatur; ea tamen non ſatisfacit acutis, nec in ipſis hebetioribus immota deprehenditur, quippe quibus facile dubia & ſuſpecta redditur. Quomodo vero hebetioribus conſulatur, qui demonſtrationum vim capere minime poſſunt, cum hoc ad praxin pietatis ſpectet, non eſt hujus loci.

§. 1141.

Ad agnitionem Dei alios adducendi obligatio.

Quilibet homo alios etiam ad agnitionem Dei perducere debet, quantum in poteſtate ſua eſt. Ipſe enim Deum agnoſcere debet (§. 1129.). Quoniam itaque alteri cuicunque homini debet quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum alteri hoc præſtare poteſt (§. 608.); quin etiam debeat alios ad agnitionem Dei perducere, quantum in poteſtate ſua eſt, dubitare haud quaquam licet.

Quodſi ergo certam conſecutus fueris cognitionem Dei, ut ad eandem quoque alios perducas, qui in eadem fluctuant, nec per ſe ad certam pervenire poſſunt, obligaris, ut adeo pecces, ſi non feceris (§. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quicquid ergo alii, qui hoc ferre nolunt, contra te moliantur; id deterrere te minime debet, ne facias.

§. 1142.

Alterum ab agnitione Dei avocare aut ad errores ſeducere illicitum.

Quoniam obligamur ad Dei cognitionem perducere alios, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 1141.), lex autem præceptiva eſt ſimul prohibitiva contrarii (§. 722.); *Nemo alterum ab agnitione Dei avocare, nec erroneas de Deo opiniones animo ejus inſtillare; multo minus ad negandum exiſtentiam Dei* ſeu *atheiſmum* (§. 411. *part.* 2. *Theol. nat.*), *nec ad Deiſmum* (§. 529. *part.* 2. *Theol. nat.*) *ſeducere debet.*

Etſi hoc principium admodum evidens videatur, propter ſuum tamen, quem in demonſtrandis aliis alibi præbebit uſum, hic omittendum minime erat, ſed probe potius inculcandum.

§. 1143.

Generalis determinatio voluntatis qualis eſſe debeat.

Voluntas hominis generaliter determinari debet ad agendum, quod Deus vult. Homo enim pius eſſe debet (§. 1128.). Enimvero qui pius eſt, actiones legi naturæ conformes committit, quia Deus eas committi vult, ſeu actionum committendarum motivum a voluntate Dei deſumere debet (§. 341. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo homo actionum committendarum motivum a voluntate Dei deſumere debet. Voluntas divina agendi motivum eſt ei, cui eſt voluntas agendi, quæ Deus vult, conſequenter cujus voluntas generaliter determinata eſt ad agendum, quod Deus vult (§. 378. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Hominis igitur voluntas generaliter determinari debet ad agendum, quod Deus vult.

Sine hac voluntatis determinatione generali nemo eſſe poteſt pius: non tamen ſufficit, ut ſis pius. Cum enim judicium definitivum practicum hoc nitatur ſyllogiſmo catholico:

Quicquid Deus vult, illud eſt faciendum,
Atqui Deus hoc vult;
Ergo hoc eſt faciendum.

evidens eſt, in caſu particulari conſtare debere, quid Deus velit, ut per voluntatem Dei tanquam per motivum determines voluntatem tuam. Quamobrem cum conſtet, quod Deus hominem obliget ad legem naturæ ſervandam (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ex convenientia cum lege naturæ colligitur, quid ſit voluntati divinæ conforme. Hinc porro intelligitur pietatem non inutilem reddere legem naturæ, ut voluntas divina ejus vicem ſuppleat, quatenus influit in generalem voluntatis noſtræ determinationem. Stante enim generali hac determinatione facere potes, quæ voluntati divinæ adverſantur; quemadmodum generalis determinatio voluntatis ad bonum non obſtat, quo minus appetas malum ſub ratione boni. Præterea pietas plus requirit, quam ut voluntas divina ſit actionis committendæ motivum: dantur enim adhuc alia attributa divina, quæ in actiones particulares non uno modo in voluntatis humanæ determinationem influere poſſunt

ſunt

Digitized by Google

ſunt ac debent (§. 339. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Sed de his apertius dicemus in Philoſophia morali, in qua oſtenſuri ſumus, quomodo pietas cum virtutibus ceteris conjungenda, quas non tollit, ſed perficit, perinde ac a Theologis gratia naturam non evertere, ſed perficere dicitur. Determinatio generalis voluntatis ad ſervandam naturæ legem cum determinatione generali ad agendum, quod Deus vult, conjungenda, ut hinc reſultet determinatio generalis voluntatis ad ſervandam naturæ legem, quia Deus eandem a nobis ſervari vult.

§. 1144.

Generalis determinatio noluntatis qualis eſſe debeat.

Noluntas hominis generaliter determinari debet ad non agendum, quod Deus non vult. Homo enim pius eſſe debet (§. 1128.). Enimvero qui pius eſt, actiones legi naturæ difformes omittit, quia Deus has omitti vult, ſeu actionum omittendarum motivum a noluntate Dei deſumit (§. 341. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo homo actionum omittendarum motivum a noluntate Dei deſumere debet. Sed noluntas divina non agendi motivum eſt ei, cui noluntas agendi, quæ Deus non vult (§. 379. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter cujus noluntas generaliter determinata eſt ad non agendum, quod Deus non vult. Noluntas igitur hominis generaliter determinari debet ad non agendum, quod Deus non vult.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, mutatis mutandis ad præſentem etiam facile applicantur, ut adeo plura eam in rem dici non ſit opus.

§. 1145.

Qualis homini eſſe debeat voluntas.

Homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas non agendi niſi quod Deus vult, & conſtans ac perpetua noluntas agendi, quod Deus non vult. Voluntas hominis generaliter determinari debet ad agendum, quod Deus vult (§. 1143.). Quotieſcunque igitur actio aliqua edenda, nonniſi ideo eam edere velit neceſſe eſt, quam quia Deus vult, ut edat, cumque pius eſſe debeat (§. 1128.), adeoque nullam omittere actionem, quam Deus committi vult (§. 341. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nulla ratione a propoſito agendi, quod Deus vult, ſe dimovere pati debet. Enimvero conſtans eſt voluntas, quæ immutabilis eſt in dato caſu, & perpetua, quæ in omni caſu eadem (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*); homini adeo conſtans & perpetua eſſe debet voluntas non agendi niſi quod Deus vult. *Quod erat unum.*

Quoniam noluntas hominis generaliter determinari debet ad non agendum, quod Deus non vult (§. 1144.) & noluntas conſtans ac perpetua dicenda ſit eodem ſenſu, quo voluntatem perpetuam ac conſtantem appellamus (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*); eodem modo etiam patet, homini eſſe debere conſtantem ac perpetuam noluntatem agendi, quod Deus non vult. *Quod erat alterum.*

Sunt qui ſibi perſuadent, conſtantiam & perpetuitatem voluntatis non agendi niſi quod Deus vult, atque conſtantiam & perpetuitatem noluntatis agendi quod Deus non vult, eſſe ſummum pietatis gradum. Enimvero quantum aberrent a vero non modo ex ipſa definitione pietatis colligitur (§. 339 *p. 1. Phil. pract. univ.*); verum etiam ex iis intelligitur, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 1143.). Et ſi vel maxime demus, pietatem omnem non niſi in eo conſiſtere, quod nolis niſi voluntati divinæ conformia; ſolam tamen conſtantiam & perpetuitatem voluntatis non agendi niſi quæ Deus vult ad pietatem ſufficere non poſſe, vel hoc modo intelligitur. Voluntas per naturam generaliter determinata eſt ad bonum, & hæc voluntas conſtans atque perpetua eſt. Non obſtante tamen conſtantia & perpetuitate voluntatis homines appetunt, quæ mala ſunt, propterea quod ipſis mala videntur. Ad conſtantiam ideo & perpetuitatem voluntatis accedere debet rectum de actione in caſu dato judicium.

§. 1146.

§. 1146.

Abnegatio voluntatis propriæ præcepta.

Quoniam adeo *homo* nil velle debet, niſi quia Deus vult, ut hoc velit, nec nolle, niſi quia Deus vult, ut hoc nolit (§. 1145.); *in agendo non ſuam, ſed Dei ſequi debet voluntatem*, conſequenter *voluntas divina loco propriæ voluntatis ipſi eſſe debet*. Cumque abnegatio voluntatis propriæ in firmo propoſito nil quicquam agendi, niſi quod voluntati divinæ conforme, conſiſtat (*not.* §. 971. *part.* 1. *Theol. nat.*); *homo propriam voluntatem abnegare debet*.

Abnegatio adeo propriæ voluntatis pars pietatis eſt, ita ut ſine ea nemo pius dici poſſit. Non eſt quod excipias hoc pacto hominem non fore liberum, quia actiones ejus ſubjiceent voluntati alterius, quaſi propria deſtitueretur. Etenim jus libertatis, de quo ſupra diximus, homini competit reſpectu hominum aliorum (§. 153.), non vero reſpectu Dei. Hinc oſtendimus hominem eſſe ſervum Dei (§ 968 *p.* 1. *Theol. nat.*), adeoque in dominio Dei (§. 967. *part.* 1. *Theol. nat.*), conſequenter reſpectu Dei non ſui juris (§. 959. *part.* 1. *Theol. nat.*). Non tamen hinc ſequitur, quod ſit alieno juri ſubjectus reſpectu hominum (§. 134. 135.). Ac inde eſt, quod neque libertas, neque ſervitus tollit obligationem naturalem (§ 138. 142.), qua nititur ſervitus reſpectu Dei nos ad alia non obligantis, niſi quæ legi naturæ conſentanea ſunt (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), a qua venit obligatio naturalis (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1147.

Quomodo Deum a nobis agnoſci declarare debeamus.

Homo verbis & factis teſtari debet, ſe agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam, ſeu attributa ipſius, & pro certo habere, quod illa perfectio, ſeu hæc attributa eidem conveniant. Etenim Deum, conſequenter ſummam ipſius perfectionem ſeu attributa agnoſcere (§. 1129.) & eundem in omnibus actionibus ſuis colere (§. 1124.), adeoque per motiva ab attributis divinis deſumta eaſdem determinare debet (§. 1125.): operam vero dare debet, ut certa ſit Dei, quam habet, cognitio (§. 1140.). Ad eandem vero Dei agnitionem alios perducere debet, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 1141.). Quoniam itaque ad agnitionem Dei alios perducimus, ſi verbis & factis teſtamur, nos agnoſcere attributa ejus, & pro certo habere, quod eadem ipſi conveniant; homo quilibet verbis & factis teſtari debet, ſe agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam, ſeu attributa ipſius, & pro certo habere, quod illa perfectio, ſeu hæc attributa eidem conveniant.

Si homini perinde eſſe deberet, ſive alii Deum agnoſcant, ſive minus; abunde ſufficeret, ſi ipſemet ſibi conſcius eſſet, ſe actiones ſuas per motiva ab attributis divinis deſumta determinare, nec opus eſſet, ut hoc innoteſceret aliis. Enimvero eum nihil quoque eorum prætermittere debeat, quæ huc faciunt, ut Deus ab aliis agnoſcatur; non ſufficit, ut ipſe tacite colat Deum in omnibus actionibus ſuis, ſed exemplo quoque ſuo docere ac incitare debet alios. Quid igitur de Deo ſentias, verbis eloquendum, & quod idem pro certo habeas, factis comprobandum.

§. 1148.

Obligatio promovendi gloriam divinam.

Gloriam divinam homo promovere debet. Debet enim verbis & factis teſtari, ſe agnoſcere attributa divina, & pro certo habere, quod ea ipſi conveniant (§. 1147.). Enimvero qui hoc facit gloriam divinam promovet (§. 610. *part.* 1. *Theol. nat.*). Ergo homo gloriam divinam promovere debet.

Convenit hoc intentioni divinæ. Etenim Deus non alio fine decrevit exiſtentiam mundi, quam ut gloriam ſuam manifeſtaret (§. 611. *part.* 1. *Theol. nat.*), conſequenter ut attributa ſua hominibus revelaret (§. 610. *part.* 1. *Theol. nat.*). Vult igitur, ut ab hominibus agnoſcatur, atque adeo intentioni ipſius conforme eſt, ut unus alios ad cognitionem attributorum ipſius perducat, conſequenter ut gloria ſua inter homines promoveatur (§. *cit.*).

§. 1149.

Digitized by Google

§. 1149.

Qui actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult, *impius* dicitur; Ut adeo *Impietas* ſit vitium, quo quis actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult.

Impietas quid ſit.

Impietas opponitur pietati tanquam vitium virtuti. Vitium eſt habitus habitui, in quo virtus conſiſtit, contrarius (§. 321. 322. *part. 2. Phil. pract. univ.*), adeoque non in nuda abſentia virtutis conſiſtit. Pietas conſiſtit in habitu conformandi actiones legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis actiones ſuas legi naturæ conformat, motiva vero omittit ab attributis divinis & providentia divina deſumta; is quidem pius non eſt, impius tamen nondum dici poteſt. Requiritur adeo in impio actus poſitivus, qui contrariatur actui poſitivo, quo actio pii pia efficitur. Nolitio opponitur volitioni tanquam actus poſitivus poſitivo contrarius (§. 884. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque pius committere vult hanc actionem, quia Deus eam committi vult, non vero vult committere iſtam, quia Deus vult, ut eam omittat, in agendo non ſuam, ſed Dei ſecuturus voluntatem (§. 1146.): recte omnino impius is dicendus, qui actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult, ut adeo voluntas Dei etſi agnita non ſit motivum voluntatis ſuæ. Hæc probe perpendenda ſunt, ne ob quemlibet pietatis defectum alios impiorum numero accenſeas non modo contra communem loquendi uſum, verum etiam non ſine omni injuria.

§. 1150.

Quoniam impius actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult (§. 1149.), Deus autem vult, ut homo actiones ſuas legi naturæ convenienter determinet (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *impius actiones ſuas ad legem naturæ componere non vult*, conſequenter *ſi qua actio externa cum lege naturæ conſentit, id nonniſi ex accidente eſt.*

Impius num legem naturæ normam actionum ſuarum agnoſcat.

Nimirum impius actiones ſuas determinat per motiva non ab intrinſeca actionum moralitate deſumta, nec per voluntatem Dei tanquam motivum, ſed deſumta aliunde a bono nimirum jucundo vel utili. Quodſi ergo contingat bonum jucundum ac utile ſimul eſſe honeſtum, actio externa legi naturæ convenit, atque adeo hæc convenientia nonniſi ex accidente eſt. Hinc eſt, quod nemo dicatur adeo malus, qui non ſubinde agat, quod bonum eſt, ſi ſcilicet ſaltem actus externi rationem habeas. Si enim actus interni quoque habenda eſt ratio, quemadmodum fieri debet per ea, quæ de rectitudine actionum humanarum demonſtravimus (§. 80. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ad quam lege naturali obligamur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), dicendum eſt cum Scholaſticis, bonum non eſſe niſi ex integra cauſa.

§. 1151.

Quia impius actiones ſuas ad legem naturæ componere non vult (§. 1150.), multo minus eas per motiva ab attributis divinis deſumta conformare vult. Atque adeo patet, *impium actiones ſuas legi naturali vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum conformare nolle*, conſequenter *Deum in omnibus ſuis actionibus colere nolle* (§. 1125.).

Impius num Deum colat.

Tollitur hinc dubium, quod contra definitionem impietatis moveri poterat. Cum enim pietas conſiſtat in habitu conformandi actiones ſuas legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); impietas definienda videbatur per habitum non conformandi actiones ſuas legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum; quod tamen non ſufficere ad notionem impietatis determinandam, niſi uſui loquendi vim inferre velis, oſtendimus (*not.* §. 1149.). Etenim per propoſitionem præſentem patet, quod qui actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult, is nec eas conformare velit legi naturali vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum; non tamen convertere illam licet, propterea quod quis vi motivorum ab honeſtate ac turpitudine intrinſeca actionum illi con-

conformare poſſit, etiamſi eas non vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum eidem conformet, cum ex adverſo impius nequidem ad legem naturæ actiones ſuas componere velit (§. 1150.).

§. 1152.

Impietas lege naturali prohibita.

Impietas lege naturali prohibetur. Lex enim naturæ præcipit, ut pii ſimus (§. 1128.), conſequenter ut actiones noſtras legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum conformemus (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex præceptiva ſimul ſit prohibitiva contrarii (§. 722.); nolle actiones ſuas legi naturali vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum conformare prohibetur. Quoniam itaque hoc facit impius (§. 1151.); impietas lege naturali prohibita.

Oſtenditur etiam hoc modo. Homini conſtans & perpetua eſſe debet voluntas non agendi, niſi quod Deus vult, & conſtans ac perpetua nolunras agendi, quod Deus non vult (§. 1145.). Quoniam itaque lex præceptiva ſimul eſt prohibitiva contrarii (§. 722.); actiones ſuas ad voluntatem Dei componere nolle lege naturali prohibetur. Enimvero qui actiones ſuas ad voluntatem Dei componere non vult, impius eſt (§. 1149.). Impietas igitur lege naturali prohibita.

Hinc patet impietatem recte inter vitia referri (§. 322. *part. 1 Philoſ. pract. univ.*).

§. 1153.

Obſcuratio gloriæ divinæ quid ſit.

Gloriam Dei obſcurare dicitur, qui verbis factiſque teſtatur, ſe Deum habere pro ente imperfectionibus inſtructo, quæ ſummæ ejus perfectioni repugnant.

Opponitur nimirum illuſtrationi ſeu promotioni gloriæ divinæ. Exemplo autem ſunt pagani, qui cum Deo tribuant realitates limitatas (§. 651. *part. 2. Theol. nat.*), ſummæ ejus perfectioni derogantes gloriam ejus obſcurant. Omnis error de Deo ſummæ ejus perfectioni contrarius gloriam ejus obſcurat; alius tamen magis, alius minus. Unde plurimi dantur obſcurationis gloriæ divinæ gradus, in quos prolixe inquirere non eſt hujus loci.

§. 1154.

Quod ſit lege naturæ prohibita.

Gloriam Dei obſcurare lege naturali prohibitum. Etenim lege naturali præcipitur, ut homo verbis & factis teſtetur, ſe Deum habere pro ente abſolute perfectiſſimo (§. 1147.), conſequenter prohibetur ne iiſdem teſtemur, nos eum habere pro ente imperfectionibus inſtructo, quæ ſummæ ejus perfectioni repugnant (§. 722.). Quamobrem cum gloriam Dei obſcuret, qui verbis & factis declarat, ſe Deum habere pro ente imperfectionibus inſtructo, quæ ſummæ ejus perfectioni repugnant (§. 1153.); gloriam Dei obſcurare lege naturali prohibitum.

Pagani adeo gloriam divinam obſcurantes (*not.* §. 1153.) contra legem naturæ peccarunt: aſt Sinæ veteres qui nullam Dei diſtinctam notionem habebant eumque ignorabant, illam neque illuſtrarunt ſeu promoverunt, neque obſcurarunt. Peccarunt itaque hi omittendo, quod fieri debebat (§. 1148.); illi autem committendo, quod fieri non debebat (*vi præſ.*).

§. 1155.

Deum nolle gloriam ſuam obſcurari ab hominibus.

Quoniam obſcuratio gloriæ divinæ lege naturali prohibita (§. 1154.), lex autem naturæ voluntati divinæ convenit (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Deus non vult gloriam ſuam obſcurari ab hominibus*. Ex adverſo autem cum illuſtratio

ſtratio gloriæ divinæ ſeu ejuſdem promotio lege naturali præcipiatur (§. 1148.); *Deus vult gloriam ſuam illuſtrari ſeu promoveri ab hominibus* (§. 284. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Qui gloriam divinam illuſtrat, honorem ipſi debitum exhibet; qui non illuſtrat, ſed illuſtrationem negligit, eum honore non proſequitur; qui obſcurat, ejus honori detrahit. Eadem adeo hic differentia eſt, quæ in officiis erga alios deprehenditur; quando unus alteri meritum exhibet honorem, alter eundem non exhibet, alius vero ipſum ignominia afficit & ei infamiam adſpergit: quæ quantum differant, ex ſuperioribus liquet.

§. 1156.

Deum blaſphemari dicitur, qui quid dicit vel facit in contemtum ſeu contumeliam Dei. Unde *blaſphemia* eſt dictum vel factum quodcunque in contemtum vel contumeliam Dei vergens. *Blaſphemia quid ſit.*

Sequimur hic D. *Thomam*, quem communiter ſequi etiam Doctores in Criminalibus *part.* 1. *quæſt.* 45. §. 26. obſervat *Carpzovius*.

§. 1157.

Quoniam qui alterum contemnit, actibus externis, ſeu verbis & factis declarat, eum eſſe honore ac laude indignum (§. 787.), & qui contumelia afficit, iisdem declarat, quod merito habeatur pro eo, cui hæ vel iſtæ imperfectiones conveniunt (§. 811. 812.), conſequenter qui nihili fiat ſeu parvi pendatur (§. 845.); qui vero Deum blaſphematur, ea dicit vel facit, quæ in contemtum vel contumeliam Dei vergunt (§. 1156.); *blaſphemiæ ſunt verba & facta, quibus Deo tribuuntur imperfectiones perfectioni ſummæ repugnantes, vel negatur, quod eidem conveniant attributa ipſi tribuenda, eo animo, ut detrahatur ejus honori, vel is vilipendatur, ac nihili fiat.* *Quales ſint blaſphemiæ.*

Habemus adeo principium, vi cujus facile blaſphemiæ ab alia obſcuratione gloriæ divinæ diſcernuntur: id quod inprimis opus eſt, ubi blaſphemiarum malitia intrinſeca æſtimanda.

§. 1158.

Qui adeo *Deum blaſphematur*, cum gloriam Dei obſcuret, qui verbis factisque teſtatur, ſe Deum habere pro ente imperfectionibus inſtructo, quæ ſummæ ejus perfectioni repugnant (§. 1153.), *gloriam ejus obſcurat omnium maxime* (§. 1157.), conſequenter cum obſcuratio gloriæ divinæ lege naturali prohibeatur (§. 1154.), *blaſphemiæ omnium maxime lege naturali prohibitæ ſunt.* *Blaſphemia lege naturali prohibitio.*

Agimus vero hic tantummodo de blaſphemiis, quatenus ex principiis rationis fluit. Etenim ſi religionem revelatam naturali contradiſtinctam ſupponis, notio blaſphemiæ extenditur ad dicta & facta, quæ in religione naturali non attenduntur. Noſtrum vero jam non eſt dicere de iis, quæ nos minime tangunt. Neque enim philoſophiam miſcemus cum Theologia. Immo cum non eædem ſint Theologorum quoad religionem Chriſtianam ſententiæ; quorundam judicio facta quædam pro blaſphemiis habentur, quæ aliorum judicio ad eas non pertinent. Sed de iis judicent, quorum cauſa agitur.

§. 1159.

Homini natura non competit jus puniendi obſcurationem gloriæ divinæ & blaſphemias. Natura enim homini non competit jus puniendi niſi eum, qui ipſum læſit (§. 1061.). Enimvero qui gloriam Dei obſcurat vel Deum blaſphematur ipſum *An homini natura competat jus puniendi*

obſcurationem gloriæ divinæ & blaſphemias.

ipſum non lædit (§. 1153. 1156. 669.). Ergo natura homini non competit jus puniendi obſcurationem gloriæ divinæ & blaſphemias.

Oſtenditur etiam hoc modo. Natura homines omnes liberi ſunt (§. 146.), adeoque conſcientiæ cujuſvis relinquendum, quid agat (§. 157.), quamdiu nihil facit contra jus tuum (§. 158.). Quamobrem cum gloriam Dei obſcurans, vel Deum blaſphemans nihil faciat contra jus tuum (§. 1153. *b. Jur. nat.* & §. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); natura quoque conſcientiæ ejus relinquendum, quod gloriam divinam obſcuret Deumque blaſphemetur, conſequenter propterea tibi nullum in eum jus competit, quod hoc fecit (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec jus puniendi obſcurationem gloriæ divinæ & blaſphemias homini natura competit.

Non tamen hinc infertur, juri naturali minime convenire, ut in civitate puniantur blaſphemiæ. Contrarium enim oſtendetur ſuo loco. Dantur enim jura naturalia hypothetica, quibus in ſtatu quidem civili locus eſt, non vero in naturali, præſertim originario, ad quem ſpectat jus libertatis, contra quod natura ſine ullo interveniente facto humano, quo jus libertatis limitatur, non dare poteſt jus contrarium. Per ſe autem patet, negato jure puniendi obſcurationem gloriæ divinæ & blaſphemias in ſtatu naturali ſingulis competente non negari quod graviter peccet, qui gloriam Dei obſcurat eumque prorſus blaſphematur.

§. 1160.

Quale jus in eum competat, qui gloriam Dei obſcurat vel blaſphematur.

Homini natura competit jus ad eos actus, quibus alterum, qui gloriam Dei obſcurat vel ipſum blaſphematur, peccati ſui convincere poteſt. Quilibet enim homo alterum ad agnitionem Dei perducere debet, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 1141.). Quamobrem cum is, qui gloriam Dei obſcurat, verbis factiſque teſtetur, ſe eum habere pro ente imperfectionibus inſtructo, quæ ſummæ ejus perfectioni repugnant (§. 1153.), & qui eundem blaſphematur, ea dicit vel facit, quæ pugnant cum ſumma Dei perfectione, ſeu attributis ipſius, eo animo, ut honori ejus detrahatur, vel is vilipendatur aut nihili fiat (§. 1157.); ut illum erroris ſui peccatique ſui convincat, operam dare debet, quantum in poteſtate ſua poſitum eſt. Quoniam itaque naturæ lex homini dat jus ad eos actus, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); homini natura competit jus ad eos actus, quibus alterum, qui gloriam Dei obſcurat vel ipſum blaſphematur, peccati ſui convincere poteſt.

Quando adeo alterum doces, quando admones, quando dehortaris, quando ei contradicis, quando dicta improbas, quando deteſtaris & quæcunque his gemina ſunt; id omne facis jure tuo, neque alter injuriam interpretari poteſt, ubi feceris. Quamdiu enim vim ipſi non infers, nihil facis, quod ſit contra jus libertatis.

§. 1161.

Hypocriſis quid ſit.

Hypocrita dicitur, qui actibus externis, præſertim verbis, voce, vultu ac geſtu, pietatem ſimulat. Unde *Hypocriſis* eſt vitium, quo pietas, actibus quibuſdam externis, præſertim verbis, voce, vultu ac geſtu ſimulatur, a qua tamen actus interni procul abſunt.

Græcis hypocriſis dicebatur alienæ perſonæ ſimulatio, quam adeo haud poſtremam artis Oratoriæ partem fecit *Demoſthenes*. Enimvero apud ſcriptores Eccleſiaſticos pro pietate fucata ſumitur, in quo ſignificatu vocabulum hic adhibemus, ubi de pietate agitur: utut is paulo reſtrictior ſit, cum nobis hic tantummodo ſermo ſit de pietate philoſophica, cui in religione naturali locus eſt. Neque enim philoſophi ultra limites religionis naturalis progreditur; ſed intra cancellos hoſce continetur.

§. 1162.

Digitized by Google

§. 1162.

Quomodo Deus ſit colendus.

In colendo Deo homo facere debet omnem facultatum ſuarum uſum, & operam dare debet, ut plenus ſit uſus omnium conſenſus, nullus vero diſſenſus. Omnem enim tenemur facere facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172.), ac obligamur ad conſenſum uſus omnium facultatum conſequendum (§. 204.), vitandum vero diſſenſum (§. 205.). Quoniam itaque Deum colere præceptum legis naturalis eſt (§. 1123.), in colendo Deo omnem facere debemus facultatum noſtrarum uſum, operamque dare tenemur, ut uſus facultatum omnium in colendo Deo plenus ſit conſenſus, nullus autem prorſus diſſenſus.

Equidem quod hic urgemus non modo de cultu divino, verum etiam de qualibet actione lege naturali præcepta vel prohibita valet, cum abſque hoc conſenſu uſus facultatum omnium nulla actionum humanarum ſuam habeat rectitudinem (§ 203.); de cultu tamen divino id in ſpecie oſtendendum erat, propterea quod abſque eo non intelligatur intrinſeca hypocriſeos turpitudo. Videri enim volunt hypocritæ, quaſi præ aliis Deum colant, ac ideo actus externos affectant, quibus credulis hoc perſuadeant. Ne igitur tibi imponi patiaris, & ne tibimetipſi imponas, quomodo Deus vere colatur demonſtrandum erat.

§. 1163.

Hypocriſis legi naturali adverſa.

Hypocriſis legi naturali adverſa. Etenim hypocrita actibus externis, verbis præſertim, voce, vultu ac geſtu pietatem ſimulat (§. 1161.), conſequenter cum actus externi ab actibus internis mentis diſſentiant (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), pius autem per motiva ab attributis divinis, conſequenter etiam a voluntate divina deſumtis actiones ſuas determinet (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), videri vult, quaſi hoc modo determinet actiones ſuas, cum tamen longe aliis motivis utatur. Enimvero lege naturali obligamur ad actiones noſtras per attributa divina determinandas (. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & vi ejuſdem voluntas noſtra generaliter determinata eſſe debet ad agendum, quod Deus vult (§. 1143.), noluntas autem ad non agendum, quod Deus non vult (§. 1144.), verbis autem & factis teſtari tenemur, nos agnoſcere attributa divina, ac pro certo habere, quod ea Deo conveniant (§. 1147.), ut inter actus externos atque internos nulla ex parte ſit aliquis diſſenſus, ſed plenarius potius conſenſus. Quamobrem patet hypocriſin legi naturali eſſe adverſam.

Quod hypocriſis damnetur a Chriſto ac principiis Chriſtianiſmi ſit adverſa, nemo eſt qui dubitat. Noſtrum vero fuit oſtendere, quod eadem quoque improbanda ſit vi legis naturalis quoad religionem naturalem, adeoque recte in numerum vitiorum referatur (§. 322. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*), ut conſtet, quantum ſibi ab eodem cavere debeat, qui pius eſſe vult, ac caſta mente Deum colere in omnibus actionibus ſuis, quemadmodum debet (§. 1127.).

§. 1164.

Obedientia quid ſit.

Obedire dicitur, qui prompte facit, quod qui imperandi jus habet vult, & non facit, quod non vult. Unde *Obedientia* eſt promptitudo faciendi, quod vult, & non faciendi, quod non vult qui imperandi jus habet.

Ita Deo obedit, qui prompte facit, quod Deus vult, & promptus eſt ad omittendum ea, quæ Deus non vult. Obedientia vero ab aliis obſequium dicitur, quamvis præſtaret obedientiam ab obſequio diſtingui, quemadmodum in vernaculo ſermone gehorſam ſeyn diſtinguimus a folgen. Poſterius nempe dicitur de eo, qui prompte facit, quæ alter facienda eſſe dicit, etſi non obligatus ſit ad faciendum, quod vult alter: prius autem uſurpatur de eo, qui prompte facit, quod vult alter, quia obligatus eſt ad faciendum ea, quæ jubet. Nos ſane non utemur vocabulo obedientiæ niſi eo caſu, ubi quis eandem debet alteri.

§. 1165.

§. 1165.

Obedientia Deo debita. *Homo Deo obedire debet, ſeu obedientia Deo a nobis debita.* Etenim voluntas hominis generaliter determinata eſſe debet ad agendum, quod Deus vult (§. 1143.), & noluntas ad non agendum, quod Deus non vult (§. 1144.), conſequenter prompti eſſe debemus ad faciendum, quæ Deus vult, & ad non faciendum, quæ idem non vult. Enimvero Deus tanquam Dominus (§. 966. *part.* 1. *Theol. nat.*) jus habet hominem obligandi, ut faciat, quod ipſe vult (§. 959. 970. *p.* 1. *Theol. nat.*) adeoque qui promptus eſt ad faciendum, quæ Deus vult, & ad non faciendum, quæ non vult, ipſi obedit (§. 1164.). Deo igitur obedire debemus, conſequenter obedientia Deo a nobis debita.

Videmus itaque hominem natura obligari ad obedientiam Deo præſtandam. Urget nimirum eandem ipſa lex naturæ, quatenus ex eſſentia & natura hominis derivatur, quemadmodum ex ſerie demonſtrationum liquet, ſiquidem demonſtrationem propoſitionis præſentis eo modo reſolvere volueris in ſua principia, quemadmodum fieri debere conſtat (§. 992. *Log.*).

§. 1166.

An Deus eandem a nobis exigat. Quoniam lex naturæ injungit obedientiam Deo præſtandam (§. 1165.), Deus vero nos obligat ad ſervandum naturæ legem (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ad faciendum, ad quod faciendum hæc nos obligat (§. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *Deus vult, ut ipſi obediamus, & ad obedientiam ipſi præſtandam nos obligat*, conſequenter *eandem a nobis exigit*.

Hinc propoſitionem anteriori a nobis jungi neceſſe eſt. Quoniam enim nos obligationem naturalem, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), ex ipſa eſſentia atque natura hominis derivamus (§. 129. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); excipi forſan à nonnullis poterat, etſi natura obligati ſimus ad obedientiam Deo præſtandam, nondum tamen hinc ſequi, quod Deus eandem a nobis exigat. Quidni enim, quam exigere poterat, remittat? Huic itaque exceptioni erat occurrendum.

§. 1167.

Cur lex naturæ ſervanda. *Legem naturæ ſervare debemus, ut obedientiam Deo debitam præſtemus.* Etenim Deus nos obligat ad ſervandam naturæ legem (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), eaque voluntati ipſius conveniens (§. 284. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Deo obediamus, ſi legem naturæ ſervamus, quia eandem a nobis ſervari vult (§. 1164.), obedientiam vero eidem præſtare debemus (§. 1165.); legem naturæ ſervare debemus, ut obedientiam Deo debitam præſtemus.

Non adeo ſufficit ſervare naturæ legem, ut obligationi naturali ſatisfiat; verum etiam requiritur, ut eam ſervando nos Deo obedientes præſtare velimus. Ad hanc obedientiam in omni actione debitam animam advertere debemus, ſi nihil in eadem deſiderari debet.

§. 1168.

Inobedientia quid ſit. *Inobediens* dicitur, qui facere non vult, quod debet, ſeu quod vult alter, cui jus eſt ipſum ad hoc faciendum obligandi, & ex adverſo facit, quod facere non debet, ſeu quod non vult alter, cui jus eſt ipſum ad hoc non faciendum obligandi. Unde *Inobedientia* eſt vitium, quo quis non facere vult, quod debet ſeu quod vult alter, qui imperandi jus habet, & ex adverſo facit, quod facere non debet, ſeu quod alter non vult, cui jus eſt imperandi.

Jus nimirum imperandi conſiſtit in eo, quod alteri præſcribere valeamus, quomodo actiones ſuas determinare debeat. Cum natura homines omnes liberi ſint (§. 146.), nemo quoque jus habet exigendi ab altero, ut ad voluntatem ſuam componat actiones, ſeu faciat, quod ſibi, non ipſi videtur. Quamobrem ſuo demum loco oſtendemus, undenam homo ſibi acquirat aliquod jus in actiones alterius. Deo autem jus iſtiuſmodi competere evicimus in Theologia naturali, dum eum Dominum omnium hominum, qua animam & corpus, demonſtravimus (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*). Hinc Deo inobediens eſt, qui facere non vult, quod Deus ab eo fieri vult, ſed ex adverſo facere mavult, quod Deus fieri non vult.

§. 1169.

Inobedientia erga Deum probibita lege naturali. Etenim lege naturali præcipitur, ut Deo obediamus (§. 1165.). Quoniam itaque lex præceptiva ſimul eſt prohibitiva contrarii (§. 722.), inobedientia autem contrarietur obedientiæ (§. 1164. 1168.); inobedientia erga Deum lege naturali prohibita. *Inobedientia erga Deum probibita.*

Probe notandum eſt, non ſtatim inobedientem eſſe, qui obediens non eſt. Etenim nil obſtat, quo minus obedientiam denegemus ei, qui non facit, quod facere debet, ubi ignorat, quod is, cui imperandi jus eſt, hoc fieri velit. Quando enim obedientia, quæ adeſſe debebat, abeſt quacunque de cauſa; neganda utique venit de eo, de quo affirmanda erat, ſi nullus in actionibus ejus eſſet defectus. Nondum tamen ideo dici poteſt, quod ſit inobediens, quia ad inobedientiam requiritur actus poſitivus nolitionis, qui non in nuda volitionis omiſſione conſiſtit (§. 884. *Pſych. empir.*), adeoque ſupponitur, voluntatem ejus, qui imperandi jus habet, agenti eſſe perſpectam. Hinc Sinæ veteres, qui ignorarunt Deum, dici nequeunt præſtitiſſe obedientiam Deo debitam, etſi, cum omnem operam ſumerent in actionibus legi naturali conformandis, facerent quæ voluntati Dei conſentanea ſunt (§. 284. *p. 1. Phil. pract. univ.*), ignari licet, quod hoc modo ſatisfaciant voluntati entis ſupremi, rerum omnium autoris ac domini. Non tamen dici poteſt, quod fuerint inobedientes erga Deum, cum fecerint, quæ Deus vult, etſi non quia Deus vult, prompte facturi etiam quia Deus vult, quamprimum eum & voluntatem ejus agnoviſſent.

§. 1170.

Si ex perfectione Dei ſumma voluptatem percipimus, eum ſupra omnia amamus. Etenim ſi ex perfectione Dei ſumma voluptatem percipimus, ea quoque nobis placet, cumque non detur ens aliud, ex quo tantundem voluptatis percipi poſſit, ſumma Dei perfectio nobis placet ſupra omnia (§. 542. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ex eo, quod quid in altero obſervamus, quod nobis placet, amor oritur (§. 649. *Pſych. empir.*); Deum utique ſupra omnia amat, qui ex ſumma ejus perfectione voluptatem percipit. *Quando Deum amemus.*

Quemadmodum res inanimatas amamus, quatenus in iis quidpiam deprehendimus, quod nobis multam affert voluptatem, pro gradu iſtius voluptatis (§. 654. *Pſych. empir.*); ita non abſonum videri debet, quod Deus dicatur amari, dum ex perfectione ejus ſumma voluptatem percipimus, ſeu eadem delectamur, & amari ſupra omnia, dum ex re nulla alia tantam percipimus voluptatem, quantam ex Dei perfectione percipimus, ſeu re nulla alia tantopere delectamur, quantum nos delectat perfectio Dei ſumma. Cur aliquo modo amor Dei accedere videatur ad amorem rerum inanimatarum, ratio hæc eſt. Res inanimatæ cum ſint felicitatis incapaces, nil a nobis ad earum felicitatem conferri poteſt, quo tendit amor, quo homines proſequimur, Deus cum ſit ens feliciſſimum, cujus felicitati nihil a nobis accedere poteſt; amor quoque, quo eundem proſequimur, tendere nequit ad felicitatem ejus amplificandam. Quamobrem ſicuti amor rerum inanimatarum terminatur in voluptate, quam ex iis percipimus; ita quoque amor Dei terminandus eſt in voluptate omnium maxima, quam ex ſumma ejus perfectione percipimus. Hactenus aliquid analogi eſt inter amorem Dei noſtra ope ad perfectionem & felicitatem ſuam non indigentis, & inter amorem rerum inanimatarum, quas felices reddere haud valemus. Hanc autem analogiam ideo urgemus, ni videamur vim inferre ſignificatui vocabuli, dum ad hoc eundem reſtringimus, quod maximam omnium ex Dei perfectione ſumma percipimus voluptatem.

§. 1171.

Amor Dei quid ſit.

Amor itaque *Dei* eſt diſpoſitio animæ ex ſumma ejus perfectione voluptatem maximam percipiendi. Dicitur autem *Amor complacentiæ*, qui in ſola voluptatis perceptione ſeu delectatione ex perfectione alterius terminatur. Atque adeo patet, *amorem Dei eſſe amorem complacentiæ*.

Alio nimirum amore homo Deum proſequi nequit: cum enim ſibimetipſi ſufficientiſſimus ſit (§. 76. *part. 2. Theol. nat.*), nec ente quodam alio, nec re quadam alia extra ſe indigeat ad ſui conſervationem (§ 77. *p. 2. Theol. nat.*), vel voluptatis percipiendæ gratia (§. 426. *p. 1. Theol. nat.*); nihil eſt quod ab homine ipſi ſuperaccedere poſſit. Atque adeo appetitus ad nihil tendere poteſt, quo conſervetur & augeatur ſumma illa, qua Deus fruitur, voluptas (§. 1084. *part. 1. Theol. nat.*). Ceterum non eſt quod dicas, nos hic recedere a ſignificatu, quem vocabulo tribuimus (§. 633. *Pſych. empir.*). Diximus ibidem, amorem eſſe diſpoſitionem animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate. Quoniam felicitas alterius in ſtatu conſiſtit, quo vera voluptas perdurat (§. 630. *Pſych. empir.*), conſequenter quo ea adſunt, ex quibus voluptatem percipit; qui ex alterius felicitate voluptatem percipere debet; is voluptatem percipit ex eo, quo alteri voluptas creatur. Quamobrem cum Deus ſumma fruatur voluptate (§ 1084 *part. 1. Theol. nat.*) quatenus ſummæ perfectionis ſuæ ſibi conſcius eſt (§. 511. *Pſych. empir.*); dum maximam, quæ in hominem cadit, voluptatem capimus ex ſumma Dei perfectione, ex eo utique voluptatem percipimus, quod Deo ipſi ſummam voluptatem creat. Non aliud itaque hic obtinet, quam quod in amore deprehenditur, quo homines alios proſequimur & noſmetipſos, niſi quod appetitus præterea tendat ad id, ex quo incrementum capit voluptas alterius vel propria, quod vero ob rationem modo dictam in Deo locum minime habet: Amamus adeo Deum, quatenus delectamur perfectione ipſius ſumma, dum ejuſdem nobis conſcii ſumus.

§. 1172.

Deum eſſe amandum ſupra omnia.

Deus ſupra omnia amandus eſt. Etenim Deum agnoſcere (§. 1129.), ac operam dare debemus, ut certa nobis ſit Dei cognitio (§. 1140.). Cum Deus ſit ens perfectiſſimum, abſolute tale (§. 14. *part. 2. Theol. nat.*); qui Deum agnoſcit ſummæ ejuſdem perfectionis ſibi conſcius eſt, conſequenter ex ea tanto majorem percipit voluptatem, quo certior eſt ea cognitio (§. 517. *Pſych. empir.*) & quo major perfectio (§. 516. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque Deum ſuper omnia amat, qui ex perfectione ejus ſumma voluptatem percipit (§. 1170.); *Deus* ſuper omnia amandus eſt.

Fluit nimirum amor Dei neceſſario ex cognitione ejus, modo certa ſit, adeoque viva cognitio. Quamobrem cum obligemur ad Deum agnoſcendum, ab ejus autem cognitione viva amor Dei ſeparari nequeat; neceſſe omnino eſt, ut etiam obligemur ad eum amandum. Agnitio Dei certa & amor ejus indivulſo nexu cohærent, ita ut illa poſita ponatur etiam hic, hoc vero ſublato tollatur etiam iſta. Mendax adeo dicendus, qui dicit ſe noſſe Deum eumque non amat. Quæ forſitan hic moveri a nonnullis poterant dubia, ea removebimus ſuo tempore in Philoſophia morali.

§. 1173.

An Deus ſit amandus quia bonus in nos.

Deus etiam amandus eſt, quia bonus in nos. Deus ſumme bonus eſt in nos, ita ut major bonitas concipi nequeat (§. 699. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem qui Deum agnoſcit, ille etiam bonitatem ejus abſolute ſummam agnoſcit, conſequenter quod Deus in nos tantundem confert boni, quantum patitur conditio noſtra (§. 696. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero ſi perpendimus bona ab altero in nos conferri, id nobis placere nemo non ex ſeipſo intelligit. Quamobrem cum amor ex eo oriatur, quod quid in altero obſervamus, quod nobis placet (§. 649. *Pſych. empir.*); ubi Dei in nos bonitatem certo agnoſcimus, eum quoque amamus. Quoniam itaque ad bonitatem Dei ſummam erga nos agno-

ſcen-

Digitized by Google

ſcendam obligamur (§. 1129.), operamque dare tenemur, ut certa nobis ſit bonitatis divinæ cognitio (§. 1140.); quin Deus etiam amandus ſit, quia bonus in nos eſt, dubitari haud quaquam poteſt.

Agnitio bonitatis divinæ per ea, quæ in nos a benigniſſimo Numine conferuntur, bona & amor ejuſdem indivulſo nexu cohærent, ut a ſe invicem ſeparari minime poſſint. Quodſi ergo Deus non eſſet amandus, quia in nos bonus eſt, ſed tantummodo quia bonus in ſe, ſeu ſumma perfectione gaudet; bonitatem ejus agnoſcere non deberemus, immo eandem a nobis cognoſci nefas foret: quod nemo ſanus dixerit. Nulla igitur fuit controverſia, quæ ſuperiori ſæculo in Gallia agitata fuit, num Deum amare liceat, quia bonus in nos, cum *Penelon* amorem hunc *intereſſatum* appellaret, & nonniſi purum urgeret, quo Deum proſequimur, quia bonus in ſe: ut adeo opus non ſit plura eam in rem addi.

§. 1174.

An Deus amandus, quia nos amat.

Quoniam Deus amandus, quia in nos bonus eſt (§. 1173.), quia vero in nos bonus eſt, ideo nos amat (§. 700. *part.* 1. *Theol. nat.*); *Deus amandus eſt, quia nos amat.*

Qui amorem Dei purum urgent, & tanquam intereſſatum rejiciunt, quo Deum propter ſuam in nos bonitatem proſequimur; illi etiam rejicere debent amorem, quo Deum complectimur, quia nos prior amavit, cum tamen hunc exigat Ioannes 1. *Epiſt.* II. 19. diſertis verbis. Naturam humanam ignorant, qui ejuſmodi amoris puritatem deſiderant, quæ eidem adverſatur.

§. 1175.

Quænam in agendo ſollicitudo tenea t amantem.

Qui alterum amat, nil facit quod eidem diſplicet. Qui enim alterum amat, quenam in tædium ejus averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id diſpliceat, ex quo tædium percipitur (§. 542. *Pſych. empir.*); nil facit, quod ei, quem amat, diſplicet.

Nemo non in ſemetipſo hoc experitur, modo amor, quo alterum proſequitur, ſit ſincerus, nec adſit affectus fortior in contrarium, qui amorem vincit.

§. 1176.

Idem porro expenditur.

Quoniam alteri placet, ſi faciamus, quod a nobis fieri vult, aut non faciamus, quod fieri non vult, prouti obvia experientia conſtat; qui vero alterum amat, nil facit quod diſplicet (§. 1175.); *qui alterum amat, facere non vult, quod voluntati illius adverſum*, conſequenter *ea animum ejus tenet ſollicitudo, ne quid faciat, quod alter a ſe fieri non vult, vel etiam non faciat, quod fieri vult.*

Quo magis quis alterum amat, eo major etiam deprehenditur hæc ſollicitudo, nec ea ab amore ſincero ſeparari poteſt.

§. 1177.

Timor filialis quid ſit.

Sollicitudo animi nil faciendi, quod voluntati alterius adverſum, ſeu ne quid faciat quod alter a ſe fieri non vult, & ne facere omittat, quod fieri vult, *Timor filialis* dicitur.

Vocatur timor filialis, quia deprehenditur in liberis parentes ſincere amantibus. Docet enim experientia, quod, quamdiu ignorant, utrum hoc a ſe fieri parentes velint, nec ne, ſibi ut faciant perſuadere minime patiantur, non aliam reddentes rationem, quam quod ignorent, num ſit voluntas parentum, ut faciant.

§. 1178.

Digitized by Google

§. 1178.

Timor ſervilis quinam ſit.

Opponitur timori filiali *Timor ſervilis*, ſi quis metu pœnæ adactus facit, quod vult alter, vel non facit, quod is a ſe fieri non vult.

Vocatur is timor ſervilis, quia ſervorum eſſe ſolet, qui metu pœnæ ad obedientiam domino præſtandam compellendi, alias non facturi, quod a ſe fieri vult dominus; vel commiſſuri quod ab ipſis fieri non vult.

§. 1179.

Timor filialis præceptus.

Deus eſt timendus timore filiali. Eſt enim amandus (§. 1172.). Enimvero qui Deum amat, is ſollicite veretur, ne quid faciat, quod Deus a ſe fieri non vult, nec omittat, quod vult fieri (§. 1167.). Quoniam itaque ſollicitudo animi nil faciendi, quod voluntati Numinis adverſum, timor filialis eſt (§. 1177.); Deus timendus eſt timore filiali.

Oſtenditur etiam hoc modo independenter ab amore Dei. Voluntas noſtra generaliter determinata eſſe debet ad faciendum, quod Deus vult, & noluntas ad non faciendum, quod Deus a nobis fieri non vult (§. 1143. 1144.). Enimvero ſi voluntas noſtra & noluntas hoc modo determinata fuerit, data quacunque occaſione agendi, ea ſemper cura nos tanget, ne quid faciamus quod voluntati Numinis adverſum. Quamobrem ſemper ſolliciti eſſe debemus, ne quid a nobis fiat, quod voluntati Numinis adverſum. Hæc ſollicitudo cum timor filialis ſit (§. 1177.); Deum timendum eſſe timore filiali patet.

Demonſtratio prior præferenda eſt poſteriori, quia oſtendit fontem timoris filialis, qui eſt amor Dei. Ab amore enim filialis timor ſejungi nequit, ſed cum eo ſemper conjunctus eſt. Hinc timorem hunc tanto majorem eſſe deprehendimus, quanto major eſt amor. Quoniam vero timor filialis ſufficit ad actiones noſtras legi naturali conformandas, is autem una adeſt, ubi Deum amamus; ſi quis Deum amat, is timore ſervili opus non habet, actiones ſuas ad voluntatem Numinis compoſiturus, etiamſi nullæ ipſi metuendæ eſſent pœnæ, ſi ſecus faceret: Quamvis adeo a virtute adhuc alienus ſit, qui actionem externam legi naturæ conformem metu pœnæ edit (§. 347. *part. 1. Phil. pract. univ.*); virtuti tamen minime contrariatur timor filialis, quin potius adeſſe debet in omni virtute, quatenus pietas philoſophica per omnem diffunditur.

§. 1180.

An timor ſervilis lege naturali præcipiatur.

Timor ſervilis lege naturali non præcipitur ſeu *non eſt officium erga Deum*. Qui enim timore ſervili percellitur, metu pœnæ facit, quod Deus vult, vel non facit, quod ab hominibus fieri non vult (§. 1178.). Enimvero actio recta non eſt, quæ metu pœnarum extorquetur (§. 349. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ præcipiat actionis rectitudinem (§. 189. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*); timor ſervilis eadem non præcipitur, conſequenter non eſt officium erga Deum (§. 224. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Timor ſervilis non eſt officium erga Deum, ſed medium cohibendi voluntatem malam, ne in actus externos erumpat, quemadmodum metus ſuſpendii non eſt officium boni civis, ſed medium cohibendi appetitum furandi, ne qui furari velit, actu furtum committat. Quinam adeo uſui ſit timoris ſervilis in praxi morali, ſuo docebitur loco. Nec eſt quod excipias, juſtitiam vindicativam eſſe attributum Dei (§. 1081. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter qui metu pœnæ actionem ſuam legi naturæ conformat; ope attributi divini eandem legi naturali conformare (§. 1080 *part. 1. Theol. nat.*): quod cum ſit pietatis (§. 339. *p. 1. Phil. pract. univ.*), lege naturali præceptæ (§. 1128.), timorem ſervilem utique eſſe officium erga Deum (§. 1178. *h.* & §. 226. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Etenim juſtitia Dei vindicativa non influit in determinationem noluntatis & voluntatis piorum, niſi quatenus ex ea colligitur, quam feria ſit

Dei

Dei voluntas, ut hoc faciamus, & noluntas, ne iſtud faciamus, conſequenter timorem filialem intendit. Sed de hiſce diſertius dicendum in Philoſophia morali. Attributa divina ita influere debent in determinationem voluntatis & noluntatis humanæ, ne ullus in hoc influxu notetur diſſenſus, ſed pulcherrime potius conſenſus.

§. 1181.

Obligatio Deum maximi faciendi.

Homo Deum maximi facere, idque verbis ac factis, ſeu actibus externis quibuſcunque ſignificare debet. Homo enim Deum agnoſcere tenetur (§. 1129.) & operam dare debet, ut certa ſit cognitio (§. 1140.). Quoniam itaque Deo competit omnis realitas in gradu abſolute ſummo (§. 93. *part. 2. Theol. nat.*), nullum datur ens, quod eidem æquiparari poſſit, ſed omnia potius entia, quorum realitates admodum limitatæ ſunt, immenſo intervallo a perfectione Dei abſolute ſumma diſtant, prouti ex omni Theologia naturali abunde liquet, conſequenter qui Deum agnoſcit, aliter judicare nequit, quam ipſum enti cuicunque alteri præferendum eſſe. Qui Deum ob perfectionem ſummam enti cuicunque alteri præferendum eſſe judicat, eum maximi facit (§. 839.). Deum itaque maximi facere debemus. *Quod erat primum.*

Enimvero omnem tenemur facere facultatum noſtrarum, conſequenter etiam facultatis locomotivæ, a qua pendent omnes actus externi (§. 66. *part. 1. Phil. pract. univ.*), uſum, qui ad ſervandam legem naturæ, conſequenter etiam ad Deum maximi faciendum *per demonſtrata*, requiritur (§. 172.), ac præterea aliis exempla bona præbere debemus (§. 930.). Quamobrem non ſufficit, ut tacite Deum maximi faciamus; verum etiam verbis ac factis, ſeu actibus externis quibuſcunque id ſignificare debemus. *Quod erat ſecundum.*

Oſtendimus jam ſuperius quod verbis & factis teſtari debeamus nos agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam, & pro certo habere, quod ea ipſi competat (§. 1147.); non tamen hoc idem eſt cum propoſitione præſente, quæ verbis & factis ſignificari jubet, quod Deum maximi faciamus. Aliter enim attributa divina influunt in actiones noſtras, ubi ea conſideramus, qualia ſint; aliter vero ſi tantummodo magnitudinem eorum reſpicimus comparatam cum magnitudine perfectionum, quæ in creaturas cadunt. Differentia hæc clarius eluceſcet per univerſam Philoſophiam moralem, quando omnem influxum attributorum divinorum in omnem virtutem declaraturi ſumus, ut manifeſtum fiat, quomodo pietas perficiat virtutem omnem reliquam.

§. 1182.

Reverentia Dei quid ſit.

Magnificatio Dei actibus externis declarata *Reverentia* dicitur.

Magnificatio Dei reſpondet exiſtimationi hominum; reverentia vero honori, quem iisdem exhibemus ad illam ſignificandum. Vernaculo ſermone magnificationem dicimus Hochachtung; reverentiam vero Ehrerbietigkeit, ſubinde etiam Ehrfurcht.

§. 1183.

Reverentia Deo debita

Ad reverentiam erga Deum obligamur. Deum enim maximi facere ſeu magnificare atque hanc magnificationem verbis ac factis, ſeu actibus externis quibuſcunque declarare debemus (§. 1181.). Enimvero magnificatio Dei actibus externis declarata reverentia eſt (§. 1182.). Ad reverentiam itaque erga Deum obligamur.

Quoniam Deus omnipræſens eſt (§. 1055. *part. 1. Theol. nat.*); idem quoque ubivis reverenter habendus, ut adeo omnia veluti in conſpectu Numinis agamus.

§. 1184.

Applicatio providentiæ divinæ ad ſe præcepta.

Pro certo habere debemus, Deum providentia ſua tantundem boni in nos collaturum & tantundem a nobis mali averſurum, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, & , ſi qua nobis obventura ſint mala, in bonum finem directurum. Deum enim agnoſcere (§. 1129.), &, ut certa nobis ſit cognitio, operam dare debemus (§. 1140.). Enimvero Deus providentia ſua enti cuicunque tantundem confert boni (§. 933. *part. 1. Theol. nat.*) & ab eodem tantundem arcet mali, quantum ſalva ipſius ſapientia fieri poteſt (§. 934. *part. 1. Theol. nat.*) & mala tam phyſica, quam moralia dirigit in bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*). Pro certo igitur habere debemus, Deum providentia ſua tantundem boni in nos collaturum & tantundem a nobis mali averſurum, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, &, ſi qua nobis eventura ſint mala, in bonum finem directurum.

Conſiſtit hoc officium in applicatione eorum, quæ de providentia divina cognoſcuntur, ad ſeipſum, ut ita argumentemur. Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt. Ergo etiam mihi tantundem boni conferet, quantum ſalva ſapientia ſua fieri poteſt. Porro Deus ab ente quocunque tantundem arcet mali, quantum ſalva ſapientia ſua fieri poteſt. Ergo etiam a me tantundem mali arcebit. Denique Deus in hoc univerſo mala phyſica & moralia diriget in bonum finem. Applicatio hæc fieri nequit abſque actu voluntatis. Atque adeo non nudus cognitionis actus eſt, ſed in determinationem quoque voluntatis influit cognitio, ut adeo officium & intellectus, & voluntatis actu abſolvatur. Aliud nimirum eſt nuda veritatis in univerſali cognitio; aliud ejuſdem in individuo ad ſe applicatio. Illa ſeipſa terminatur, hæc vero ad actus ulteriores tendit, quæ per naturam animæ inde conſequi poſſunt. Manifeſtiora hæc evadent in philoſophia morali, quando praxin officiorum erga Deum expoſituri ſumus.

§. 1185.

Quod homo ſe & res ſuas providentiæ divinæ committere debeat.

Nos totos reſque noſtras omnes providentiæ divinæ committere debemus. Etenim pro certo habere debemus, Deum providentia ſua tantundem boni in nos collaturum & tantundem a nobis mali averſurum, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, &, ſi qua nobis obventura ſunt mala, in bonum finem directurum (§. 1184.). Quamobrem cum non minus certi eſſe debeamus, Deum velle felicitatem noſtram (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), nec infelicitatem velle poſſe (§. 707. *part. 1. Theol. nat.*); nec alia appetere debemus bona, niſi providentia divina in nos conferenda, nec alia averſari mala, niſi providentia divina arcenda, ceterorum, ſi qua nobis eveniant, uſum ſalutarem facturi. Nos igitur totos reſque noſtras omnes providentiæ divinæ committere debemus.

Ecce tibi effectum applicationis veritatum univerſalium ad nos & ſtatum noſtrum, de qua agitur in propoſitione præcedente. Quando ex philoſophia morali conſtabit, quænam hinc ulterius conſequantur, & quamnam mutationem ſubeant facultates animæ ſuperiores in inferiores quoque redundantem; non habebis, quod de eo dubites, quod paulo ante (*not.* §. 1184.) monuimus, officium, quod urget propoſitio præcedens, ad ulteriora tendere. Quæ enim ad alium locum pertinent, ea anticipando huc referre nolumus.

§. 1186.

Fiducia in Deo quid ſit.

Deo confidere dicitur qui, cum pro certo habeat, eum providentia ſua tantundem boni in ſe collaturum, & tantundem mali a ſe averſurum, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, & ſi qua ipſi obventura ſint mala in bonum finem directurum, ſe totum reſque ſuas providentiæ divinæ committit. Unde *Fiducia in Deo* virtus eſt, qua homo meliora ſperans ſe totum reſque ſuas providentiæ committit.

Ni-

Nimirum qui Deo confidit, certus eſt, quomodocunque in poſterum cadant res ſuæ, ſemper eventurum, quod ex parte ſua melius. Hinc dubius rerum eventus nunquam eum ſollicitat angitque, nec periculum, quod imminere videtur, animum ejus perturbat. Neque enim vult, ut aliter eveniant futura, quam Deus pro ſua ſapientia ſua inexhauſta & bonitate ſumma decrevit. Sed de hiſce plura ſuo loco in Philoſophia morali, ubi characterem Deo confidentis delineaturi ſumus.

§. 1187.

Deo confidere debemus, ſeu fiducia in Deo præcepta. Etenim pro certo habere debemus, Deum providentia ſua tantundem boni in nos collaturum, & tantundem a nobis mali averſurum, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, & ſi qua nobis eventura ſunt mala, in bonum finem directurum (§. 1184.), ac nos totos reſque noſtras providentiæ divinæ committere tenemur (§. 1185.). Enimvero qui hoc facit, Deo confidit, & fiducia in Deo eſt, qua homo meliora ſperans ſe totum reſque ſuas providentiæ divinæ committit (§. 1186.). Ergo Deo confidere debemus & fiducia in Deo præcepta (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Fiducia in Deo præcepta.

Ex iis, quæ de fiducia in Deo demonſtravimus, haud obſcure intelligitur, hominem obligari ad adverſa toleranda, conſequenter ad patientiam, quemadmodum ſupra monuimus (*not.* §. 593.). In Philoſophia autem morali videbimus, quantum ad patientiam conferat fiducia in Deo, & quantum eandem facilitet, cum alias difficillima ſit. Raritas itaque hujus virtutis defectum fiduciæ in Deo arguit.

§. 1188.

Fortuna adverſa meliora deſperare non debemus. Pro certo enim habere debemus, ſi qua nobis eveniunt mala, conſequenter ſi fortuna adverſa utamur (§. 540. *part.* 1. *Theol. nat.*), Deum ea in bonum finem directurum (§. 1184.), ut nempe ſit medium boni obtinendi (§. 679. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem fortuna adverſa meliora deſperare non debemus.

Fortuna adverſa cur meliora deſperare non debeamus.

Propoſitionem hanc equidem jam demonſtravimus in ſuperioribus (§. 589.); non tamen ſuperfluum exiſtimari debet, eam adhuc aliter demonſtrari. Etenim abſque providentia divina demonſtratio deſtituitur ea evidentia, quæ aſſenſum prorſus immotum reddit adverſus ſcrupulos, qui fortunam adverſam expertis ſuboriuntur, nec obligatio ad vitandam deſperationem meliorum, ſeu ad ſpem meliorum adeo clare eluceſcit, quam ubi ex obligatione ad Deum agnoſcendum deducitur, quemadmodum hic factum eſſe vides.

§. 1189.

Deo diffidere dicitur, qui cum pro certo habere nolit, fore ut Deus providentia ſua tantundem boni in ſe conferat, & tantundem mali a ſe arceat, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, & ut mala, quæ ipſi eveniunt, dirigat in bonum finem, providentiæ divinæ ſe totum reſque ſuas committere recuſat. Unde *diffidentia* in Deo eſt vitium, quo homo meliora deſperans ſe totum reſque ſuas committere vult providentiæ divinæ.

Diffidentia in Deo quid ſit.

Opponitur adeo Diffidentia in Deo fiduciæ in eodem, cum vero ſupponat actum noluntatis, non in nuda abſentia fiduciæ conſiſtit. Qui Deo confidit, veritates generales de Deo providentia ſua enti cuicunque tantundem boni conferente, tantundemque mali ab eodem arcente, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, ac mala, quæ eveniunt, in bonum finem dirigente, ad ſe applicat: qui autem Deo diffidit, eas ad ſe applicari poſſe negat, aut ſaltem num applicari poſſint dubitat. Aliud itaque eſt Deo diffidere, aliud non confidere aut a fiducia in Deo vacuum poſſidere animum. Diſcrimen hoc probe notandum eſt ob uſum in praxi morali.

Digitized by Google

§. 1190.

Diffidentia prohibita.

Nemo Deo diffidere debet, ſeu diffidentia in Deo prohibita. Quoniam enim lege naturali præcipitur, ut pro certo habeamus, Deum providentia ſua tantundem boni in nos collaturum, tantundemque mali a nobis averſurum eſſe, quantum ſalva ipſius ſapientia fieri poteſt, &, ſi qua nobis eveniant mala, in bonum finem directurum (§. 1184.), ac ut ideo nos totos reſque noſtras providentiæ divinæ committamus (§. 1185.), ne contra faciamus prohibet (§. 722.). Quamobrem cum Deo diffidat, qui, cum illud pro certo habere nolit, ſe totum reſque ſuas providentiæ divinæ committere recuſat, & in hoc ipſo diffidentia in Deo conſiſtat (§. 1189.); nemo Deo diffidere debet, ſeu diffidentia in Deo prohibita.

Mirum videri non debet, urgeri hic obligationem ad vitandam diffidentiam in Deo. Quemadmodum enim fiducia in Deum is glorificatur; ita diffidentia in eo gloria ejus obſcuratur: id quod facile oſtendi poterat, niſi demonſtratio potius reſervanda eſſet philoſophiæ moraſi. Nihil autem difficultatis habet obligatio ad gloriam Dei non obſcurandam (§. 1154.). Quamobrem ſi qua ſuboritur circa obligationem ad vitandam diffidentiam in Deo; ea per hanc tota tollitur.

§. 1191.

Eventus dubius quinam dicatur & ſit.

Eventus dubius dicitur, quem prævidere non licet, qualis ſit futurus. Quoniam itaque eventus præviderі nequit ob concurſum cauſarum, quem prævidere non datur; *eventus dubius a fortuna* (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*) *& caſu* (§. 460. *part. 2, Theol. nat.*) *pendet* (§. 851. *Ontol.*).

In pleriſque negotiis humanis eventus dubius eſt. Agricola colit agrum & ſemen fœcundum eidem committit. Sed cum ad vegetationem ſegetis concurrat tempeſtas, quæ qualis futura ſit, prævideri nequit; meſſis a caſu dependet. Pone enim lætam ſegetem uberrimam polliceri meſſem; aſt grandine obrui. Caſu fruſtratur, qui jam ſperabatur, eventus. Similiter patronus ſibi promiſit munus proxime vacaturum, a cujus voluntate unice pendet, cui conferatur; ſed antequam vacet, moritur, atque adeo ſpe, quæ certiſſima videbatur, excidit. Eventus adeo a fortuna dependet. In utroque caſu dubium eſt, quid eventurum ſit.

§. 1192.

Eventus dubius Deo committendus.

Eventus dubius Deo ſeu providentiæ divinæ totus committendus. Pendet enim eventus dubii a fortuna & caſu (§. 1191.). Enimvero ex parte Dei fortuna nulla (§. 542. *part. 1. Theol. nat.*), ſed ad providentiam divinam pertinet (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*). Nec ex parte Dei caſus ullus eſt (§. 462. *part. 2. Theol. nat.*), ſed quæ eidem tribuuntur, providentiæ divinæ tribuenda ſunt (§. 464. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem cum homo ſe totum, reſque ſuas omnes providentiæ divinæ committere debeat (§. 1185.); eventum quoque dubium Deo ſeu providentiæ divinæ totum committere debet.

Nemo adeo velle debet, ut talis ſit eventus, qualem fore optaret: ſed Deo in totum committat, qualem is eſſe velit.

§. 1193.

Nimia de Deo confidentia quid ſit.

Deo nimium confidere dicitur is, qui ſibi perſuadet ſe citra uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum conſecuturum tantundem boni, & evitaturum tantundem mali, quantum boni Deus in eum conferre & quantum mali ab eo

Digitized by Google

eo arcere decreverit. Ut adeo *nimia de Deo confidentia* dicatur ſeparatio uſus facultatum ſuarum aliorumque mediorum a fiducia in Deo.

Sunt equidem qui ſibi perſuadent, cum Deum ſuper omnia eſſe colendum, intelligant, in officiis erga Deum non locum habere exceſſum: ſed quantum fallantur, ipſa experientia docet, quæ realitatem definitionis nimiæ de Deo confidentiæ loquitur. Eam autem ſpuriam eſſe fiduciam in Deo, ſeu nonniſi apparentem, minime veram, mox demonſtrabimus (§. 1194.).

§. 1194.

Quod lege naturali prohibita.

Qui Deo confidit, uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum in bonis conſequendis & malis evitandis negligere non debet, ſeu nimia de Deo confidentia lege naturali prohibita. Qui enim Deo confidit, ſe totum reſque ſuas Deo committere debet, quod certus ſit, eum providentia ſua tantundem boni in ſe collaturum & tantundem mali a ſe averſurum, quantum ſalva ſapientia ſua fieri poteſt (§. 1186.), ut adeo fiducia in Deo tota pendeat a providentia divina (§. 851. *Ontol.*), neque adeo ultra eandem ſit extendenda. Enimvero Deus rebus providet per nexum rerum in hoc univerſo (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum nexus ſucceſſivorum in dependentia cauſati a cauſa, & finis a medio & actione cauſæ efficientis ſimul conſiſtat (§. 665. *part. 1. Theol. nat.*); providentia divina non excludit actionem cauſarum ſecundarum & uſum mediorum, ſed potius requirit, adeoque in bonis ab homine conſequendis & malis evitandis exigit uſum facultatum noſtrarum & mediorum aliorum. Atque adeo patet, quod qui Deo confidit, quemadmodum præcipit lex naturæ (§. 1187.), uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum in bonis conſequendis & malis evitandis negligere non debeat, conſequenter cum nimia de Deo confidentia a fiducia in eodem ſeparet uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum (§. 1193.), nimia confidentia de Deo prohibita eſt lege naturali (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Fiducia in Deo oritur ex certa providentiæ divinæ agnitione; nimia autem de Deo confidentia ex errore de providentia divina, quo ea cum cæco fato confunditur, vel tota miraculis adſcribitur, quaſi Deus in regno naturæ æternum decretum ſuum non exequeretur per cauſas ſecundas, ut finis obtineatur mediorum uſu, ſed temporaria decreta, quæ ut caſus tulerit, demum formata, immediato ſuo concurſu exequeretur, ſeu potentia abſoluta. Quam enim hæc opinio a veritate aliena ſit, ex demonſtrationibus Theologiæ naturalis abunde liquet. Exemplum nimiæ de Deo confidentiæ præbent Turcæ, qui loca contagioſa non vitant, propterea quod ſibi perſuadent, ſi Deus ipſos mori hoc tempore decreverit, morituros etiam ſe eſſe in loco minime contagioſo; ſin minus, ſe ſuperſtites fore etiamſi in loco contagioſo permanſerint, & qui, referente *Turneforſio* in Itinere orientali, arbores in hortis ſibi permittunt, earumdemque culturam negligunt non abſimili de æterno ac immutabili decreto divino perſuaſione. In eundem cenſum veniunt hypocritæ moderni, quos Neo-Phariſæos vocamus, nimia de Deo confidentia omnem animæ culturam abjicientes, quaſi ſolis precibus obtineatur virtus omnis & intellectualis, & moralis, immo ipſum verborum ſcripturæ ſenſum litteralem per enthuſiaſmi quandam ſpeciem a Deo expectantes, ut alia taceamus, quæ ad nimiam de Deo confidentiam referenda. Dedit Deus homini facultates, ut iiſdem utatur, cauſas ſecundas inſtruxit viribus, & ſuas unicuique tribuit determinationes eſſentiales, ut finibus a ſe intentis & ab homine intendendis convenienter agant. Unde in ipſo rerum nexu, quo providet rebus omnibus Deus (§ 927. *part. 1. Theol. nat.*), continentur etiam, quemadmodum dudum monuit *Auguſtinus*, ipſæ hominum voluntates, a quibus uſus facultatum iiſdem conceſſarum dependet; continentur quoque actiones omnes cauſarum ſecundarum. Ceterum vitium in exceſſu fiduciæ in Deo oppoſitum conſulto dicitur nimia de Deo, non autem in Deo confidentia. Nimia enim de Deo confidentia vult Deum facere, quod ſalva ſapientia ſua abſolute ſumma ut velit fieri nequit, adeoque ſapientiæ ipſius detrahit. Quidni quod & voluntatem divinam voluntati humanæ ſubjicere velit? Sed de his uberior dicendi locus erit in Philoſophia morali. Ex iis autem, quæ modo diximus, abunde perſpicitur, quam neceſſaria ſit exaſciata Dei cognitio, niſi officiis erga ipſum labem adſpergere velis. Recte omnino de Deo ſentire debet, qui eum rite colere voluerit. Error omnis in praxin influit, ſollicite adeo vitandus, ut idcirco denuo cenſuram incurrant Neo-Phariſæi, qui virtutes morales ab intellectualibus ſeparant.

§. 1195.

§. 1195.

Nimia de ſe vel hominibus & rebus aliis confidentia. *Sibi nimium confidere* dicitur, qui ſolo uſu facultatum rerumque ſuarum bona futura ſe conſequi, mala vero avertere poſſe ſibi perſuadet, nihil prorſus providentiæ divinæ relinquens. Unde intelligitur, quid ſit *nimium confidere hominibus vel rebus aliis*. Quamobrem *Nimia confidentia de ſe, hominibus vel rebus aliis* eſt vitium, quo quis ſolo uſu facultatum ſuarum rerumque ac hominum auxilio bona futura ſe conſequi, aut mala arcere poſſe ſibi perſuadet, quaſi nullæ ſint in illo conſequendo, in hoc arcendo providentiæ divinæ partes.

Nimia de Deo confidentia in expectatione futurorum a providentia divina ſeparat uſum facultatum rerumque ſuarum atque auxilii hominum (§. 1193.); nimia de ſe & hominibus atque rebus aliis confidentia in expectatione futurorum omnes tribuit partes uſui facultatum rerumque ſuarum atque auxilio hominum, nullas vero providentiæ divinæ relinquit: aſt qui Deo confidit, & providentiæ, & uſus facultatum & rerum ſuarum auxiliique humani rationem ſimul habet (§. 1186. 1194). Nimia igitur tam de Deo, quam de ſe, ac hominibus rebuſque aliis confidentiis ſeparantur, quæ fiduciæ in Deo conjunguntur. Ceterum nimiæ de ſe & rebus ſuis confidentiæ exemplum habes in eo, qui vi armorum ſuorum ſe vincere poſſe hoſtem ſibi certo perſuadet, quaſi providentiæ divinæ nullæ ſint in victoria partes. Similiter nimium in divitiis ſuis confidit, qui earum ope ſe omnia obtinere poſſe ſibi perſuadet, nihil reliqui faciens providentiæ divinæ. Nimium vero in prudentia ſua confidit, qui ea ſola ſe negotium quoddam conficere poſſe ſibi perſuadet, quaſi providentiæ divinæ nil committi ſit opus.

§. 1196.

Quod ea ſit lege naturali prohibita. *Nemo hominum ſibi rebuſque ſuis atque hominibus nimium confidere debet, ſeu nimia de ſe rebuſque ſuis atque hominibus confidentia lege naturali prohibita.* Cum enim homo Deo confidere debeat (§. 1187.), uſum equidem facere debet facultatum ſuarum aliorumque mediorum in bonis conſequendis & malis avertendis (§. 1194.); quatenus tamen eventus prævideri nequit, qualis ſit futurus, adeoque dubius eſt (§. 1191.), in totum is providentiæ divinæ committendus (§. 1192.). Lege adeo naturali prohibetur, ne quis ſolo uſu facultatum rerumque ſuarum bona futura certo conſequi, mala vero avertere velit, quaſi nullæ hic ſint providentiæ divinæ partes (§. 722.). Quamobrem cum hoc faciat, qui ſibi ac hominibus rebuſque aliis nimium confidit (§. 1195.); nemo hominum ſibi rebuſque ſuis atque hominibus nimium confidere debet, conſequenter nimia de ſe rebuſque ſuis ac hominibus confidentia lege naturali prohibita (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nimia hæc confidentia damnatur a Prophetis tanquam gloriæ divinæ adverſa. Unde plurima in ſcriptura ſacra occurrunt exempla particularia. Nimirum qui vitio huic indulget, ſibi, hominibus, vel creaturis aliis tribuit, quod tribuendum erat Deo, rerumque omnium ut conditori, ita etiam conſervatori ac gubernatori. Honorem adeo, qui Deo debetur, eidem aufert, & creaturæ tribuit, cui non debetur. Urgent autem maximopere Prophetæ, quod Deus honorem ſibi debitum enti cuidam alteri tribui nolit. Sane qui hoc facit, gloriam Dei obſcurat, nec Deum tanquam rerum omnium autorem, conſervatorem ac gubernatorem colit: id quod pietati e diametro adverſum per ſuperiora intelligitur.

§. 1197.

Qualis eſſe debeat animus hominis in expectatione futurorum. *Homo minime angi debet propter futura, ac curam omnem, quomodo res in poſterum caſuræ, abjicere tenetur.* Etenim homo eventus dubios providentiæ divinæ in totum committere debet (§. 1192.), modo non neglexerit ea, quæ in poteſtate ſua fuerant (§. 1194.). Quamobrem angi minime debet propter futura, nec curæ facere locum, quomodo res in poſterum ſit caſura, conſequenter curam hanc omnem abjicere tenetur.

Ma-

Maximus hic fructus eſt, quem fert agnitio providentiæ divinæ, & quo ſe privant, qui eandem negant, vel de ea dubitant, vel eam in negotiis ſuis, quorum eventus a fortuna pendet, non attendunt.

§. 1198.

Quod homo ſorte ſua contentus eſſe debeat.

Quilibet ſorte ſua contentus eſſe debet. Etenim pro certo habere debet, Deum providentia ſua tantundem boni in ſe collaturum, & tantundem mali a ſe averſurum, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, &, ſi qua ei eveniant mala, in bonum finem directurum (§. 1184.). Non igitur appetere debet præter ea, quæ providentia divina ipſi tribuuntur, neque conqueri de fortuna adverſa, quæ eadem providentia ipſi cedit. Quamobrem cum ſorte ſua contentus ſit, qui hoc facit; quilibet ſorte ſua contentus eſſe debet.

Videmus adeo, quod ſorte ſua contentum eſſe ſit officium erga Deum, cum animus ſorte ſua non contentus repugnet agnitioni providentiæ divinæ.

§. 1199.

Acquieſcentia in providentia divina.

In providentia divina acquieſcere dicitur, qui, quicquid a Deo fit, vel permittitur in hoc univerſo, id recte ab eo fieri pro certo habet, huicque judicio convenienter appetitum & averſationem moderatur. Unde *Acquieſcentia in providentia divina* eſt virtus, qua appetitum & averſationem moderamur ex ſenſu certitudinis de rectitudine actionum divinarum in gubernatione hujus univerſi tam poſitivarum, quam privativarum.

Ita qui in providentia divina acquieſcit, nunquam accuſat tempeſtatem ſibi minime faventem, nec conqueritur de meliori ſorte aliorum, ſed de modica etiam, quæ ſibi eſt, lætatur. Influit acquieſcentia in providentia divina in omnes propemodum virtutes & pendentes hinc actiones, quemadmodum ſuo loco videbimus in Philoſophia morali. Vernaculo ſermone dicitur die Zufriedenheit mit Gott adeoque vi vocis ſignificat animum providentia divina contentum, quæ definitionis nominalis loco eſſe poterat.

§. 1200.

Quo animo eſſe debeamus in providentiam divinam.

Homo pro certo habere debet, quicquid a Deo fit vel permittitur in hoc univerſo, id recte ab eo fieri, huicque judicio convenienter appetitum & averſationem moderari tenetur. Deum enim agnoſcere (§. 1129.) & ut certa ſit ejus cognitio operam dare debet (§. 1140.). Quamobrem cum Deus ſanctiſſimum ſe probet in conſervatione & gubernatione rerum (§. 1066. *part. 1. Theol. nat.*), adeoque providentia ſua (§. 922. *part. 1. Theol. nat.*), ſanctitas vero ſit conſtans & perpetua voluntas non faciendi niſi quod rectum eſt (§. 1063. *part. 1. Theol. nat.*); pro certo utique habere debet, quicquid Deus facit vel permittit in hoc univerſo, id recte ab eo fieri. *Quod erat unum.*

Enimvero operam quoque dare debet, ut cognitio Dei, quam acquirit, viva ſit (§. 1139.). Quamobrem cum cognitio viva ſit motivum voluntatis & noluntatis (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*), per motiva autem voluntas & noluntas determinanda ſit (§. 889. *Pſych. empir.*), cum qua appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ad conſenſum reduci debet (§. 267.); judicio quoque iſti, quod, quicquid Deus facit vel permittit in hoc univerſo, id recte ab eo fiat, convenienter appetitum & averſationem moderari tenetur. *Quod erat alterum.*

Ex parte adeo Dei probantur omnia, quæcunque in hoc mundo fiunt, nec ulla de re unquam ejus reſpectu querelas movimus. Abſonum vero eſt hinc inferre, quemadmodum facere, qui internecino in nos flagrant odio, quod approbare debeamus nefanda quævis hominum ſcelera ac peccatis hominum delectari. Alius enim eſt actus humanus, alius divinus.

Hu-

Digitized by Google

Humanum improbamus & deteſtamur; aſt divinum, qui in permiſſione conſiſtit, rectum eſſe judicamus, & in eo ſanctitatem Dei veneramur, ſi vel maxime non capiamus rationes, cur Deus hoc permittere voluerit, adeoque rectitudinem actus divini in concreto non comprehendamus. Rationes enim generales, quæ ad officium præſens determinandum ſufficiunt, in parte prima Theologiæ naturalis ſatis luculenter expoſuimus.

§. 1201.

Acquieſcentia in providentia divina præcepta. Quoniam homo pro certo habere debet, quicquid a Deo fit vel permittitur in hoc univerſo, id recte ab eo fieri, & huic judicio convenienter appetitum ac averſationem moderari tenetur (§. 1200.), qui vero hoc facit, in providentia divina acquieſcit (§. 1199.); *homo quilibet in providentia divina acquieſcere tenetur*, conſequenter *acquieſcentia in providentia divina lege naturali præcepta* (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Fiduciæ in Deo & acquieſcentiæ in providentia ipſius fructus eſt ars ſemper gaudendi, de qua egregium opus conſcripſit *Antonius Saraſa*, quemadmodum ſuo tempore in Philoſophia morali clarius expoſituri ſumus. Unde hæc duo erga Deum officia felicitatem hominis veram maxime provehunt, ut adeo eidem infeſtus cenſendus ſit, qui ea parum curat, immo ſtudio negligit.

§. 1202.

An licitum ſit offendi, ſi bonis mala, malis bona eveniant. *Homo minime offendi debet, ſi bonis mala, malis bona eveniant.* Etenim homo pro certo habere debet, quicquid a Deo fit vel permittitur in hoc univerſo, id recte ab eo fieri, & huic judicio convenienter appetitum ac averſationem moderari tenetur (§. 1200.). Quodſi ergo videt bonis mala, malis bona evenire; id ipſum tanquam minus rectum improbare haud quaquam debet, nec ex eo tædium ullum percipere tenetur. Quoniam itaque facto alterius offenditur, qui ex eo tædium ſive moleſtiam animi percipit (§. 936.); homo minime offendi debet, ſi bonis mala, malis bona eveniant.

Facile patet ex iis, quæ modo demonſtravimus, qui offenditur, ſi bonis mala, malis bona eveniant, eum in ſanctitatem Dei injurium eſſe, unde intrinſeca vitii hujus turpitudo innoteſcit, quod tanto magis nocet, ubi in odium ipſius Dei degenerat. Sed hæc ſuo loco in Philoſophia morali uberius exponenda.

§. 1203.

Quo animo ferenda mala. *Si qua nobis eveniunt mala, ea animo tranquillo ferre debemus.* Quoniam enim providentia divina ſeſe extendit ad omnia, quæ ſunt ac fiunt in hoc univerſo, nec quicquam judicari debet adeo abjectum, ad quod ea ſeſe non extendat (§. 925. *part.* 1. *Theol. nat.*); ſi qua nobis eveniunt mala, certi eſſe debemus, id non fieri niſi Deo providente (§. 1139. 1140.). Quamobrem cum pro certo habere debeamus, quicquid Deus facit vel permittit in hoc univerſo, id recte ab eo fieri, ac huic judicio convenienter moderari tenemur appetitum & averſationem (§. 1200.); de providentia divina nullæ movendæ ſunt querelæ. Quoniam vero præterea pro certo habere debemus, ſi qua nobis eveniunt mala, Deum ea directurum in bonum finem (§. 1184.); hæc autem mali in bonum finem directio ſit bonitatis divinæ (§. 733. *part.* 1. *Theol. nat.*); ex eo, quod Deus mala phyſica nobis immittit, vel ab aliis mala inferri permittit, bonitatem in nos divinam agnoſcere debemus, conſequenter cum Deus etiam amandus ſit, quia bonus in nos (§. 1173.), ob mala, quæ Deo providente nobis eveniunt, amor Dei non remitti, ſed potius inflammari debet. Cumque ob directionem eorundem ad bonum finem certi ſimus de bono a Deo nobis conferen-

ferendo, ſpem ejus obtinendi animo concipere debemus (§. 800. *Pſych. empir.*). Nulla igitur ratio eſt, cur animus noſter affectu quodam moleſto perturbetur (§. 609. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi qua nobis eveniunt mala, ea animo tranquillo ferre debemus.

Nihil in hac demonſtratione ſumitur, quod naturæ humanæ repugnet, modo viva Dei cognitio præſupponatur, quemadmodum in Philoſophia morali expreſſius docebimus. Nihil etiam ſumitur, quod principiis ſcripturæ ſacræ non adamuſſim conveniat. Sit ita quod vulgo aliud videatur hominibus, qui intimiore cognitione Dei deſtituuntur, nec ſollicite cavent, ne appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva in aſſenſum influant, & ne nebulas menti affundant. Ex hactenus dictis abunde jam perſpicitur, quantum interſit, ut de providentia divina certi ſimus eamque diſtincte cognoſcamus. Idem tamen adhuc clarius eluceſcet ex Philoſophia morali, ubi media officiorum erga Deum & remedia adverſus impedimenta, quæ eorum præſtationi objiciuntur, demonſtraturi ſumus. Tum enim demum clariſſime intelligetur, quomodo agnitio Dei viva immutet animum noſtrum, ut alius prorſus prodeat ſtatus, quam abſque ea ſperari poterat.

§. 1204.

Celebratio nominis divini quid ſit.

Deum ſeu nomen divinum celebrare dicitur, qui attributa divina & opera ejus prædicat. Unde intelligitur, quid ſit *celebratio nominis divini*.

Non igitur ad celebrationem nominis divini ſufficit, ut attributa ejus commemores, & opus creationis ac providentiam divinam hucque ſpectantia facta enarres, verum etiam quanta illa ſint, & quantum boni vi providentiæ in creaturas redundet oſtendas. Exempla celebrationis nominis divini occurrunt in Pſalmis, & huc etiam pertinet hymnus B. Virginis, quæ vulgo *Magnificat* dici ſolet a verbo, quo incipit, more Eccleſiaſtico, quem loquuntur nomina Dominicarum Paſchatis feſtum præcedentium & ſequentium.

§. 1205.

Quod lege naturali præcepta.

Homo obligatur ad nomen divinum celebrandum, ſeu celebratio nominis divini lege naturali præcepta. Homo enim verbis teſtari debet, ſe agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam ſeu attributa ipſius, & pro certo habere quod illa perfectio, ſeu hæc attributa eidem conveniant (§. 1147.), conſequenter etiam cognoſcere, quod ſit creator omnium & autor ordinis naturæ (§. 763. *part. 1. Theol. nat.*), autor naturæ (§. 822. *part. 1. Theol. nat.*), conſervator omnium (§. 843. *part. 1. Theol. nat.*), & gubernator (§. 902. *part. 1. Theol. nat.*), rebus omnibus in hoc univerſo providens, ut nihil judicari debeat tam abjectum, ad quod ſeſe non extendat providentia ipſius (§. 923. 925. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero qui attributa & opera divina prædicat, nomen Dei celebrat (§. 1204.). Homo igitur obligatur ad nomen divinum celebrandum, conſequenter celebratio nominis divini lege naturali præcepta (§. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Facit nominis divini celebratio ad agnitionem Dei amplificandam inter homines. Quamobrem cum alios etiam ad agnitionem Dei perducere debeamus, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 1141.); hinc quoque patet obligatio ad nomen divinum celebrandum. Quoniam in celebratione nominis divini etiam exprimuntur affectus in appetitu & averſatione, nec non actus voluntatis & noluntatis, qui a cognitione Dei viva in nobis pendent; quantum hoc officium conferat ad ſatisfaciendum alteri de aliis ad cognitionem vivam Dei perducendis dici vix poteſt, ac in Philoſophia morali diſertius exponetur.

§. 1206.

Quomodo effectus naturæ in celebrando no-

In celebrando nomine divino effectus naturæ tribuendi ſunt Deo tanquam cauſæ primæ. Etenim nomen divinum celebramus, dum attributa & opera divina prædicamus (§. 1204.). Quamobrem cum Deum ex contemplatione hujus univerſi & eorum, quæ in eodem ſunt, cognoſcere debeamus (§. 1131.), Deus

Digitized by Google

mine divino conſiderandi.

autem ſit rerum omnium cauſa prima, creaturæ autem ſint cauſæ ſecundæ, dependenter a prima operantes (§. 1120. *part.* 1. *Theol. nat.*) & propter fines a Deo intentos ita agentes, ac ſi ipſæmet eos intenderent (§. 661. *part.* 1. *Theol. nat.*), ita ut, quæ ex natura & eſſentia rerum materialium conſequuntur, ſint fines a Deo intenti, eſſentiæ vero & natura rerum media, quibus fines iſtos conſequitur (§. 645. *part.* 1. *Theol. nat.*), & non modo omnes rerum naturalium uſus ſint in numero iſtorum finium (§. 648. *part.* 1. *Theol. nat.*), verum etiam uſus rerum omnium artificialium (§. 649. *part.* 1. *Theol. nat.*) & omnes fortunæ adverſæ pariter ac ſecundæ effectus in eundem cenſum veniant referendi (§. 651. *part.* 1. *Theol. nat.*); in celebrando nomine divino omnes omnino effectus naturæ tribuendi ſunt Deo tanquam cauſæ primæ.

Convenit hoc ſcripturæ ſacræ: in ea enim a viris divinis effectus naturæ ubivis tribuuntur Deo, non attentis cauſis ſecundis, & rerum naturalium uſus explicantur per fines a Deo intentos. Fit hoc non modo, quando præmia & pœnas divinas urgent, verum etiam quoties nomen divinum celebrant, & ad idem celebrandum nos adhortantur. Nemo autem miretur, nos hic hunc morem referre inter officia naturalia. Ecquis enim eſt, qui neſciat, religionem naturalem a Moſe ac Prophetis maximo ſtudio inculcari cum revelata ſororio vinculo copulandam &, poſtquam a Pharisæis corrupta fuerat, a Chriſto integritati ſuæ fuiſſe reſtitutam ex legis naturæ genuina interpretatione? Religio revelata non tollit naturalem, ſed defectus ejus ſupplet eandemque perficit. Quamobrem cum naturalis religio ex principiis rationis ſeu iis, quæ in Theologia naturali de Deo docentur, deducatur (§. 512. p. 2. *Theol. nat.*); ſi veritatem attingimus via demonſtrationis, nullus dari poteſt inter ſcripturam ſacram & Philoſophiam diſſenſus. Ceterum non leve argumentum hinc petitur ad tuendam ſcripturæ ſacræ autoritatem adverſus Antiſcripturarios, quod, quæ de religione naturali illa docet, demonſtrationibus in Philoſophia rigidentur (§. 467. *part.* 1. *Theol. nat.*). Per propoſitionem autem præſentem in ruborem dantur Antiſcripturarii contendentes, quaſi Scriptura ſacra cum vulgo in ſcientia naturali hoſpite ac peregrino effectuum naturæ rationem redditura eam quærat in Deo tanquam cauſa proxima & immediata, Deo tribuens, quod cauſis ſecundis erat tribuendum, quemadmodum ſi Jupiter tonare ac pluere fingitur a paganis. Jubet religio naturalis, ne in cauſis ſecundis ſubſiſtamus, ſed ut ab iis in Deum, tanquam cauſam primam, mens noſtra ſemper aſcendat, ut Deo tribuatur, quod ſuum eſt, idemque a nobis glorificetur.

§. 1207.

Quomodo Deus & quæ præter eum exiſtunt in celebratione nominis divini ſpectari debeant.

Quoniam in celebrando nomine divino effectus naturæ tribuendi ſunt Deo tanquam cauſæ primæ (§. 1206.), Deus autem creator mundi eſt & autor ordinis naturæ (§. 763. *part.* 1. *Theol. nat.*), omniumque, quæ in eo ſunt corporum (§. 779. *part.* 1. *Theol. nat.*) & animarum (§. 780. 783. *part.* 1. *Theol. nat.*), conſervator mundi & ordinis naturæ omniumque, quæ in eo ſunt corporum (§. 847. *part.* 1. *Theol. nat.*) & animarum (§. 857. 858. *part.* 1. *Theol. nat.*) & univerſi hujus gubernator (§. 900. *part.* 1. *Theol. nat.*); corpora autem etiam hodienum genita (§. 779. *part.* 1. *Theol. nat.*) & animæ tam humanæ (§. 781. *part.* 1. *Theol. nat.*), quam brutorum (§. 783. *part.* 1. *Theol. nat.*), totuſque adeo homo quoad animam atque corpus ſunt creaturæ Dei (§. 782. *part.* 1. *Theol. nat.*), Deus autem ipſis largitus vires agendi (§. 876. *part.* 1. *Theol. nat.*), & tota rerum natura agit propter fines a Deo intentos, ac ſi ipſamet eos intenderet (§. 661. *part.* 1. *Theol. nat.*), ſecundum leges in prima rerum creatione eidem præſcriptas (§. 826. 827. *part.* 1. *Theol. nat.*) voluntatem divinam exequendo (§. 969. *part.* 1. *Theol. nat.*), homo autem obligatur ad actiones liberas non ex ſuo arbitrariu, ſed ſecundum voluntatem Dei determinandas (§. 974. *part.* 1. *Theol. nat.*) tanquam ſervus Dei (§. 968. *part.* 1. *Theol. nat.*), Domini non modo ſui (§. 966. *part.* 1. *Theol. nat.*), ſed totius mundi & omnium, quæ hodienum in eodem generantur, aut quomodocunque a natura producuntur, ac ipſius naturæ (§. 965 *part.* 1. *Theol. nat.*), Deus vero actiones illius malas, quæ quod malæ ſint, ab homine habent (§. 883. *part.* 1. *Theol. nat.*, ad bonos fines dirigit (§. 680. *part.* 1. *Theol. nat.*); *in celebrando nomine divino Deus ſpectari debet tanquam creator, conſer-*

Digitized by Google

conſervator & gubernator atque dominus mundi eorumque, quæ in eo ſunt, qui rebus omnibus dat vires agendi & præſcribit leges, juxta quas agant, autor & dominus totius naturæ; ex adverſo autem omnia, quæ in mundo ſunt, ipſe etiam homo tanquam creaturæ a Deo in eſſe ſuo totæ pendentes, & ſecundum leges a Deo præſcriptas ob fines ab ipſo intentos agendo voluntatem ejus exequentes; homo autem quoad actiones liberas tanquam ſervus, qui ad nutum Domini ſui eaſdem determinare debet, Deo tamen, ubi ſecus fecerit, malas quoque actiones ejuſdem in bonum finem dirigente, ne excidat fine ultimo a ſe per creationem intento.

Conſona hæc per omnia ſunt ſcripturæ ſacræ, ita ut, ſi ea notaveris, ſemper rationem reddere potueris, cur in ea ad celebrandum nomen divinum hæc potiſſimum in medium proferantur, non alia. Et qui nomen divinum celebrare voluerit, hinc diſcet, undenam ſit petenda laudis divinæ materia, ut pateat, quomodo Deus attributa ſua nobis demonſtret per opera ſua. Videmus itaque quam conſona ſit philoſophia noſtra ſcripturæ ſacræ, & quantum faveat ſincero Numinis ſupremi cultui atque infucatæ in Deum pietati. Judicent vero hinc alii, quid ſentiendum ſit de iis, qui malevolo in nos animo, immo internecino odio dogmata noſtra impietatis poſtulant, per quæ doloſo animo latæ atheiſmo fores pandantur, & omnis religio ac virtus ſubvertatur. Judicent etiam, annon recte fecerim, qui ipſorum calumniis manifeſtis nihil repoſui.

§. 1208.

Obligatio omnia bona Deo accepta ferendi.

Quicquid homo natura habet boni, & quicquid quomodocunque acquirit; id omne Deo datori acceptum referre debet. Etenim per Deum omnia poſſibilia ſunt, nec eo ſublato quicquam poſſibile (§. 174. *part.* 2. *Theol. nat.*); actualitas vero rerum omnium a voluntate Dei dependet (§. 377. *part.* 2. *Theol. nat.*), & quicquid præter eum exiſtit, id omne a Deo creatum eſt (§. 379. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quoniam itaque quod natura habet homo, id ipſi per eſſentiam & naturam ſuam competit (§. 32.); quicquid boni natura habet, id omne a Deo habet. Porro bonitati divinæ acceptum ferendum, ſi homo ponitur in iis circumſtantiis, ſub quibus bonorum tam phyſicorum, quam moralium fit compos (§. 737. *part.* 1. *Theol. nat.*) & quibus mala phyſica & moralia, quibus ſub aliis circumſtantiis obnoxius fieri poterat, avertuntur (§. 736. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem quicquid præterea quomodocunque acquirit boni, id denuo in Deo acceptum referendum. Quoniam itaque Deum agnoſcere debet (§. 1129.), immo ad eundem ex ſeipſo agnoſcendum obligatur (§. 1135.); nullum ſupereſſe poteſt dubium, quin etiam Deum tanquam fontem omnis boni agnoſcere debeat, conſequenter quod homo nihil habeat boni ſive natura, ſive quomodocunque acquiſitum, quod non Deo datori acceptum ferendum ſit, conſequenter cum certa unicuique eſſe debeat Dei cognitio (§. 1140.), quilibet omnino homo, quicquid vel natura habet boni, vel quomodocunque acquirit, id omne Deo acceptum ferre debet.

Officium hoc requirit, ut veritatem univerſalem quilibet ad ſe in individuo applicet, quemadmodum ſupra in caſu ſimili oſtendimus (*not.* §. 1184.). Qui notione entis in genere, quam admodum diſtincte explicavimus in Ontologia, & determinationis actus contingentium, quam expoſuimus in Coſmologia, tanquam notionibus directricibus utitur; is luculenter Deum ſibi tanquam datorem omnis boni repræſentabit. Sed de hoc diſertius dicendum in Philoſophia morali, quando praxin hujus declaraturi ſumus.

§. 1209.

Officium hominis ob bona a Deo accepta.

Homo Deum ob bona ſibi aliiſque collata celebrare & ſe ipſi ad quævis officia præſtanda obligatum agnoſcere debet. Quicquid enim habet boni & quicquid quomodocunque acquirit, id omne Deo acceptum ferre debet (§. 1208.). Quamobrem cum Deum celebrare (§. 1205.) conſequenter attributa divina & opera, ſeu quicquid Deus facit, prædicare debeat (§. 1204.); quin etiam bona ſi-

vis officia præſtanda nos obligatos agnoſcere tenemur (§. 1209. 1210.). Sed qui hoc facit, Deo gratias agit (§. 1211.). Ergo Deo gratias agere debemus.

In gratiarum adeo actione recenſentur beneficia divina, ſive in boni collatione, ſive in mali depulſione conſiſtant. Prædicatur Deus, qui utrumque fecit, & ſpondemus promptam officiorum præſtationem.

§. 1213.

Gratitudo erga Deum eſt virtus, qua ob bona nobis collata vel mala depulſa præſtatione officiorum prompta eidem placere ſtudemus. *Gratitudo quid ſit.*

Nimirum quemadmodum ad quamlibet virtutem requiritur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita etiam animus in Deum gratus conſiſtit in conſtante ac perpetua voluntate faciendi, quæ Deo placent, ob beneficia ab eodem accepta, quæ partim in boni collatione, partim in liberatione a malo conſiſtunt. Quamobrem cum alium ratio non novit modum; quo Deo placere poſſimus, quam promptam officiorum præſtationem, componendo actiones noſtras ad voluntatem ipſius; ideo quoque gratitudo ſeſe exerit prompta officiorum præſtatione, ut ſcilicet, quemadmodum paulo ante notatum eſt (*not.* §. 1209.), cum gaudio & ex amore in Deum faciamus, quod debemus.

§. 1214.

Homo erga Deum gratus eſſe debet. Etenim propterea quod Deus bona nobis contulit & mala a nobis depellit, nos eidem ad quævis officia præſtanda obligatos agnoſcere debemus (§. 1209.), conſequenter cum lex naturæ ſit voluntati divinæ conformis (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Deus etiam vult, ut hoc faciamus. Enimvero Deo obedire (§. 1165.), conſequenter quod vult prompte facere debemus (§. 1164.). Quamobrem ob bona ab eodem nobis collata ac mala a nobis depulſa prompti eſſe debemus ad præſtanda quævis officia. Quoniam itaque qui hoc facit, gratus erga Deum eſt (§. 1213.): erga Deum grati eſſe debemus. *Grati erga Deum eſſe debemus.*

Gratitudo equidem tendit ad beneficia beneficiis rependenda, quemadmodum ſuo loco videbimus; ubi tamen non habes, quod des aut facias alteri, voluntate terminatur. Ubi enim deſunt vires, ibi ſufficit voluntas. Quicquid homo boni habet, id omne Deo acceptum ferre tenetur (§. 1208.), Deus vero ſibimetipſi ſufficientiſſimus (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*) adeoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget (§. 427. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ab homine nullum in Deum bonum conferri poteſt. Nihil adeo eſt, quo gratum in eum animum teſtari valeamus, quam prompta obedientia ex amore profecta, cum gratitudo qua affectus in amore conſiſtat (§. 784. *Pſych. empir.*) & beneficiis divinis agnitis primo omnium oriatur (§. 789. *Pſych. empir.*), antequam de modo, quo te Deo gratum præſtare volueris, diſtincte cogitare poſſis.

§. 1215.

Ingratitudo erga Deum eſt vitium, quo homo bonitatem divinam agnoſcere non vult, aut ea non obſtante pro ſuo potius arbitratu, quam juxta voluntatem Numinis actiones ſuas determinare mavult. *Ingratitudo quid ſit.*

Opponitur hoc vitium gratitudini ſeu animo grato tanquam ens poſitivum poſitivo, ut adeo non nudam gratitudinis abſentiam denotet. Sed hæc manifeſtiora evadent ſuo tempore in Philoſophia morali.

§. 1216.

Digitized by Google

§. 1216.

Quod lege naturali prohibita.

Ingratitudo erga Deum lege naturali prohibita. Etenim quicquid habemus natura boni, vel quomodocunque acquirimus, id omne Deo datori acceptum referri debet (§. 1208.) ac propterea Deum celebrare, ac ad quævis officia præſtanda nos obligatos agnoſcere tenemur (§. 1209.). Quoniam hoc non facit, qui ingratus erga Deum eſt, ſed bonitatem potius divinam agnoſcere non vult, aut ea non obſtante pro ſuo potius arbitratu, quam juxta voluntatem Numinis actiones ſuas determinare mavult (§. 1215.); ingratitudo erga Deum lege naturali prohibita (§. 722.).

Conjungi poſſunt cum ingratitudine vitia alia pietati contraria, veluti ſi quis propter adverſa, quæ experitur, bonitatem Dei blaſphematur: ſed de his hic dici non eſt opus, cum ex anterioribus jam conſtet, quod ab iis quam maxime alieni eſſe debeamus.

§. 1217.

Deſiderium quid hic dicatur.

Per *deſiderium* intelligimus actum voluntatis, quo vehementer volumus, ut quid fiat.

Non loquimur hic de affectu, qui deſiderii nomine venit, utpote actu appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ. Huic tamen reſpondet actus appetitus rationalis, quem eodem nomine indigitamus, nimirum ſi actus ille ad actum appetitus rationalis reducitur diſtincta boni cognitione, hic prodit. Etenim ſi bonum quoddam ſperamus idemque valde cupimus, ex mora tædium percipitur, & ſic actu averſationis ſenſitivæ & actu appetitus ſenſitivi, in quibus ſpes & cupiditas conſiſtunt, deſiderium oritur (§. 853. *Pſych empir.*). Quodſi ergo actum voluntatis ſeu appetitus rationalis affectui ſubſtituere velis; non alius prodit, quam quem in definitione expreſſimus. Neque a ſignificatu, quem vocabulo tribuimus, abhorret uſus loquendi. Legi hic merentur, quæ diximus, alibi (§. 273. *part. 2. Theol. nat.*), cum oſtenderemus, quo ſenſu deſiderium Deo tribuatur. Quando enim Deo tribuuntur affectus, actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ reducuntur ad actus rationalis.

§. 1218.

Quænam homo a Deo deſiderare debeat.

Homo deſiderare debet, ut Deus bona ſibi aliiſque præſentia conſervet, plura, quibus indigemus, in poſterum nobis conferat & mala a nobis avertat aut, ſi quid nobis mali accidere debeat, in bonum finem id dirigat. Etenim homo quicquid natura habet boni, & quicquid ejus quomodocunque acquirit, id omne Deo acceptum ferre debet (§. 1208.), conſequenter Deum datorem omnis boni agnoſcere tenetur. Et quoniam abſentia mali quoque bonum eſt (§. 756.) & malum, quatenus dirigitur in bonum finem, ob effectum bonis accenſetur (§. 679. *part. 1. Theol. nat.*); ſi Deum datorem omnis boni agnoſcit, certus quoque eſſe debet, eum mala ab hominibus depellere &, ſi qua iis eveniant, in bonum finem dirigere. Quoniam itaque quid volumus, quam primum id nobis tanquam bonum diſtincte repræſentamus (§. 891. *Pſych. empir.*); quin homo deſiderare debeat, ut Deus bona ſibi aliiſque præſentia conſervet, plura, quibus indigemus, in poſterum nobis conferat, mala autem a nobis avertat, aut, ſi qua nobis accidere debeant, vel præſentia ſint, in bonum finem dirigat, dubitandum non eſt (§. 1217.).

Poteramus hoc etiam deducere ex obligatione ad determinandum actus voluntatis per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi enim hoc fiat quoad conſervationem boni præſentis & collationem futuri, malique eventu poſſibilis declinationem; aut nobis obtingentis in bonum finem directionem; prodibit actus iſte voluntatis, qui in propoſitione præſente præcipitur.

§. 1219.

Digitized by Google

§. 1219.

Invocatio Numinis quid ſit.

Deſiderium boni præſentis a Deo conſervandi & futuri ab eodem conferendi malique depellendi, aut in finem bonum dirigendi vocatur *Invocatio Numinis*. Quidam *Invocationem mentalem* appellant.

Quando itaque in adverſis invocamus Deum, ab eo deſideramus, ut malo præſente nos liberet, vel quod imminere videtur, avertat, aut, niſi hoc ſalva ſapientia ipſius fieri poſſit, in bonum tamen finem dirigat.

§. 1220.

Quod lege naturali præcepta.

Deum invocare debemus, ſeu Invocatio Dei lege naturali præcepta. Deſiderare enim debemus, ut Deus bona nobis aliiſque præſentia conſervet, plura, quibus indigemus, in poſterum nobis conferat, & mala a nobis avertat, aut, ſi quid nobis mali accidere debet, in bonum finem dirigat [§. 1218.]. Enimvero in hoc deſiderio invocatio Numinis conſiſtit [§. 1219.]. Deum igitur invocare debemus, adeoque invocatio Numinis lege naturali præcepta [§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*].

Sunt qui invocationem Numinis ſuperfluam exiſtimant, propterea quod Deus omnium optime norit, quibus bonis homo indigeat & quænam ipſi mala ſalutaria, quæ nam notus eſſe poſſint vi omniſcientiæ ſuæ (§. 301. 302. *part.* 1. *Theol. nat.*), & æterno ſuo decreto, quod providentiam appellamus (§. 922. *p.* 1. *Theol. nat.*), jam determinaverit, quantum boni eidem conferre, quantum mali ab eodem avertere, & quomodo mala, in quæ eum ruere ſinit, in bonum finem dirigere velit (§. 525. *p.* 1. *Theol. nat.*). Enimvero hi non perpendunt, eam ex agnitione Dei, quam neceſſariam eſſe in dubium revocare non audent, modo viva fuerit, ſeu certa, per naturam hominis neceſſario fluere, ut, ſalva natura humana, tolli nequeat invocatio, niſi obligatione ad vivam Dei agnitionem ſimul ſublata.

§. 1221.

An Deus invocari velit.

Quoniam invocatio Numinis lege naturali præcepta [§. 1220.], quod vero lege naturali præcipitur, id Deus ab homine fieri vult (§. 284. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *Deus* quoque *vult, ut ab hominibus invocetur*.

Quoniam non deſunt, qui exiſtimant, cum Dei parum interſit, utrum ab hominibus invocetur, nec ne, eum invocationem ſui parum curare; noſtrum omnino fuit oſtendere, quod Deus ab hominibus invocari velit, ne rationi adverſum videatur, quod urget ſcriptura ſacra, quemadmodum mallent Antiſcripturarii.

§. 1222.

Oratio quid ſit.

Oratio dicitur ſermo, quo ea, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes cogitamus, verbis ore prolatis ſignificamus, vel quo internum animæ ſtatum in invocatione Numinis ac gratiarum actione verbis exprimimus. Dicimus etiam Orationem *Preces*.

Oratio adeo vel nos tangit, vel alios, & agit vel de bonis præſentibus conſervandis ac futuris obtinendis, vel de malo depellendo, vel denique de bonis præteritis aut jam collatis, ac de liberatione a malo facta vel periculo declinato. Hinc quatuor diſtinguit Apoſtolus 1. *Tim.* II. 1. ejus ſpecies, quarum prima eſt de bonis obtinendis, ſecunda de malis avertendis, tertia de gratiis pro acceptis beneficiis agendis, quarta pro aliis hominibus intercedit. Ex verſione *Caſtalionis* dicuntur *Supplicationes*, *Preces*, *Gratiarum actiones*, & *Interpellationes*. Sed in præſenti non opus eſt, ut ſpecies haſce a ſe invicem diſtinguamus, ubi nonniſi obligationem ad orandum declarare nobis propoſitum. Cetera enim ad Philoſophiam moralem ſpectant, adeoque ſuo loco reſervanda.

Digitized by Google

§. 1223.

Obligatio orandi.

Ad orandum obligamur, ſeu oratio lege naturali præcepta. Deum enim invocare (§. 1220.) eidemque gratias agere debemus (§. 1212.). Enimvero actio humana ex actionibus intellectus, voluntatis vel noluntatis, atque facultatis locomotivæ conſiſtit [§. 70. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*]. Quamobrem cum non ſola anima, ſed integer homo Deum colere debeat [§. 1147.]; neceſſe eſt, ut, quæ in invocatione ac gratiarum actione mentali animo concipiuntur verba, ipſo etiam ore proferantur. Quoniam itaque ſermo hic oratio eſt [§. 1222.]; ad orandum quoque obligamur, conſequenter oratio lege naturali præcepta (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Sunt qui orationem, quatenus contradiſtinguitur invocationi Numinis & gratiarum actioni mentali, ſuperfluam exiſtimant, propterea quod Deus cognoſcat omnia, quæ cognitu poſſibilia ſunt (§. 154. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque hominum quoque cogitationes, quas jam ab æternopræſcivit (§ 524. *part.* 1. *Theol. nat.*). Eccur enim verbis Deum demum docere debes, quæ jam ſatis novit. Enimvero qui ita ſentiunt, non perpendunt, non animam tantummodo hominis, ſed integrum hominem obligari ad Deum colendum, atque adeo non modo facultates animæ, verum etiam omnes corporis vires impendendas eſſe in cultum divinum, ita ut nulla detur actio humana; ad quam non modo facultates cognoſcitivæ ac appetitivæ, verum etiam locomotiva, quatenus in corpore ſpectatur, concurrunt. Sane in ceteris quoque officiis erga Deum deeſſe minime debent actus externi tum requiſiti, de quibus in Philoſophia morali diſertius dicemus: ubi etiam expoſituri ſumus utilitatem orationis, ne quicquam in ipſa invocatione & gratiarum actione mentali deſideretur. Neque enim ex utilitate hæc naſcitur obligatio, ſed ex ipſa eſſentia & natura humana, ad quam non minus corpus, quam anima ſpectat.

§. 1224.

Quod oratio noſtra aliis exemplo eſſe debeat.

Quoniam ad exempla bona aliis præbenda obligamur (§. 930.), invocatio autem mentalis & gratiarum actio itidem mentalis nemini hominum innoteſcit; *orando* quoque *aliis exemplo eſſe debemus*. Unde alia adhuc ratione patet, *quod ſaltem aliquo in caſu orare debeamus*.

Quænam ſit vis exemplorum in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis abunde docuimus, & quantum valeant exempla orantium in ſpecie oſtendemus in Philoſophia morali. Aliud vero eſt orare, ut videaris hominibus, quidam ſis, aliud vero, ut exemplo tuo eos doceas, quod & quomodo orandum ſit, & eos ad orandum excites. Etſi adeo prius reprobet Chriſtus ab hypocriſi Pharifæis familiari ſuos avocaturus; non tamen rejicit poſterius. *Velle enim* hoc Deum eodem modo patet quo Deum velle adſtruximus, ut ab hominibus invocetur (§. 1221.).

§. 1225.

Garritus quid ſit in genere & quid in Oratione.

Garrire dicitur, qui multa verba inania profert. Hinc *oraturus garrit, ſi verba, quæ profert, non intelligit, vel ad ea non affert attentionem, quæ ad eorundem intellectum ſufficit vel etiam de veritate eorum, quæ iiſdem ſignificantur, quoad ſe convictus non eſt.*

Sumimus vocabulum in propriiſſimo ſuo ſignificatu. Recte enim *Donatus*: Garrire eſt, inquit, tanquam avis inaniter loqui, quemadmodum vel ex ſolis *Ciceronis* verbis patet, quando *lib.* 2. *de Orat. c.* 21. ait, ſeculis multis ante gymnaſia inventa eſſe, quam in his Philoſophi garrire cœperint. Inaniter garriunt aves; quia proferunt ſine mente ſonos, quales ſunt termini inanes, quibus nulla notio reſpondet (§. 38. *Log.*). Quodſi ergo in mente orantis verbis, quæ profert, nulla reſpondet notio, vel deeſt convictio veritatis quoad ſe, quo in caſu deeſt notio verbis reſpondens in concreto; recte omnino garrire dicitur. Per garritum interpretatur *Caſtalio* prohibitam a Chriſto in orando *Battologiam*, Judæis in ſynagogis uſitatam *Matth.* VI. 7. quæ in iterata repetitione eorundem aut ſaltem æquipollentium verborum conſiſtit, non tamen ſatis exacte, quemadmodum nobis videtur, etſi caſtitatis La-

tinæ

tinæ linguæ fuerit amantiſſimus. Vulgatus interpres per *multiloquium* vertit, quod tamen vocabulum non ſpecifice exprimit vitium a Chriſto taxatum, cujus mens hæc eſt: orantes eadem verba vel æquipollentia non ſæpius repetere debere more paganorum, qui ſibi perſuadent iiſdem verbis ad nauſeam uſque repetitis defatigari Deos, ut ipſos exaudiant. Sed hoc utique principiis Theologiæ naturalis de bonitate Dei & rerum omnium nexu eadem conſtituto, per quem hominibus providet, adverſum. Extra hunc ſpurium vero uſum, qui errori de Deo debetur, battologia nullum habet alium.

§. 1226.

Garritus in orando prohibitus lege naturali. Si enim oraturus garrit, verba, quæ profert, non intelligit, vel ad ea non affert attentionem, quæ ad earum intellectum ſufficit, vel etiam de veritate eorum, quæ iiſdem ſignificantur, quoad ſe convictus non eſt (§. 1225.). Non igitur verbis ore prolatis ſignificat, quæ cogitat, ſeu interiorem animæ ſtatum exprimit. Quamobrem cum hoc facere debeat, qui orat (§. 1222. 1223.); garritus in orando utique lege naturali prohibitus [§. 722.]. *An orantem garrire licitum.*

Hinc facile perſpicitur, quamdonam formularum precum ab aliis præſcriptarum recitatio pro oratione haberi nequeat, quæ ab actu interno ad invocationem Numinis & gratiarum actionem mentalem requiſito nunquam ſejungitur: ſed de precum formulis earumque utilitate, uſu atque abuſu dicendum in Philoſophia morali. Neque enim exiſtimandum eſt, quaſi iiſdem nullus locus ſit in religione naturali: religio enim revelata non tollit precum formulas iſti convenientes, ſed tantummodo multa ſuperaddit eaſque perficit.

§. 1227.

Deo vivere dicitur, qui non modo actiones ſuas omnes per voluntatem Numinis, ſed & per attributa determinat. *Deo quando vivat homo.*

Quemadmodum enim ſervus non ſibi, ſed domino vivit, qui actiones ſuas liberas ad voluntatem domini componit, non pro ſuo arbitratu, ac præterea genio & moribus ejuſdem ſuas attemperat actiones; ita quoque Deo vivere dicendus, qui eodem modo ſeſe gerit in determinandis actionibus ſuis quoad ipſum. Vita enim moralis conſiſtit in complexu actionum liberarum omnium, quæ ab homine eduntur.

§. 1228.

Homo Deo vivere debet. Etenim in agendo non ſuam, ſed Dei ſequi debet voluntatem, ita ut voluntas divina ſit ipſi loco propriæ (§. 1146.), & omnes quoque actiones ſuas per motiva ab attributis divinis deſumta determinare (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & verbis factiſque data quacunque occaſione ſignificare debet, ſe agnoſcere attributa divina, & pro certo habere, quod ea ipſi conveniant (§. 1147.). Quoniam itaque, qui hoc facit, Deo vivit (§. 1227.); quin homo Deo vivere debeat dubitandum non eſt. *Quod Deo vivere debeat.*

[Nimirum qui Deo vivit, glorificationem Dei in omnibus actionibus ſuis intendit, ut adeo actiones ſuæ omnes tendant ad eum finem, cujus gratia Deus produxit hoc univerſum (§. 629. *p. 1. Theol. nat.*). Atque adeo ſemper agit propter finem a Deo intentum. Officium hoc parum agnoſcunt qui ſibi vivendum eſſe arbitrantur, quaſi non alio fine a Deo in ſerie rerum obtinuiſſent locum, quam ut rerum in hoc univerſo ac conſortii aliorum hominum in oblectandis ſenſibus faciant uſum, ſeu, ſi phraſin patriam latine vertere licet, ut mundo fruantur, quaſi vero non fruamur mundo, ſi ex ejus & eorum, quæ in eodem ſunt, contemplatione Deum agnoſcamus, quemadmodum debemus (§. 1131.) & operam demus, ut ipſimet apti evadamus ad perfectionem Dei ſummam repræſentandam, ut eundem ex nobilmetipſis agnoſcere valeamus, quemadmodum debemus (§. 1134. 1135.). Naſcitur enim hinc longe alia voluptas, mentem noſtram paſcens, noſque felices reddens (§ 636. *Pſych. empir.*), quam quæ cum delectatione ſenſuali conferri poteſt. Sed eam propius intuebimur in Philoſophia morali.

§. 1229.

Cultus di-vinus in quo conſi-ſtat.

Cultus Dei non conſiſtit niſi in actionibus per attributa divina tanquam motiva determinatis. Conſiſtit enim in actionibus, quas ideo edit homo, quia pro certo habet dari Deum (§. 511 *part. 2. Theol. nat.*). Enimvero quia Deus ſibimetipſi ſufficientiſſimus (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*), adeoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget (§. 427. *part. 1. Theol. nat.*), non alias quoad ipſum homo edere poteſt actiones, quam quibus teſtatur, ſe agnoſcere perfectionem Dei ſummam, & quod is eadem gaudeat pro certo habere, conſequenter quibus gloriam divinam promovet ſeu manifeſtat (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque gloriam divinam aliter manifeſtare nequit per determinationem actionum liberarum, quam ſi attributa divina ſint motiva earundem (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*); cultus quoque divinus non conſiſtit niſi in actionibus per attributa divina tanquam motiva determinatis.

Hinc facile cultus divinus verus a ſpurio diſtinguitur. E. gr. Judæi olim Molocho immolarunt infantes Deum placaturi, ne iraſceretur peccatis ſuis, quaſi ſignificaturi nihil ſibi eſſe tam carum, quo non Dei gratia carere mallent. Enimvero non modo hæc actio officiis hominis in genere, veluti de amandis aliis tanquam ſemetipſum (§. 619.) ac nemine occidendo (§. 743.), & officiis erga liberos in ſpecie ſuo loco demonſtrandis; verum etiam officiis erga Deum non uno modo repugnat, conſequenter per attributa divina tanquam motiva determinari nequit. Si enim tanto Dei amore flagraſſent, ut nihil ipſis fuiſſet adeo charum, quin eodem propter Deum carere maluiſſent; eccur non potius abſtinere maluerunt ab actionibus, quibus Deo diſplicent (§. 1175.)? Et, ſi Deum agnoviſſent, quemadmodum agnoſcere debebant (§. 1129.); quomodo ſibi perſuadere potuiſſent, ſe actionibus legi naturæ, adeoque voluntati divinæ contrariis (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter peccatis peccata expiare poſſe (§. 440. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Si Deus peccatis offenditur, actu peccaminoſo non placabitur. Actio adeo illa Judæorum craſſam arguit Dei ignorantiam & abſurdos de Deo errores. Non igitur determinabatur per motiva ab attributis divinis deſumta, ſed per errores de iiſdem & ignorantiam ſupinam Dei veri. Quamobrem manifeſtum eſt, eandem ad cultum divinum minime referri poſſe. Eodem modo dignoſcuntur actiones quæcunque aliæ, quæ a vero Dei cultu quam maxime ſunt alienæ, & quibus vel fruſtra, vel non ſine injuria Deum colere intendunt, qui non recte de eodem ſentiunt.

§. 1230.

Cultus externi & interni differentia.

Cultus divinus internus eſt, qui in actibus internis ſeu facultatum animæ conſiſtit: *externus* vero, qui conſiſtit in externis, ſeu motu organorum corporis perficitur.

Differentiam actuum internorum & externorum nemo non agnoſcit, & qui in Pſychologia fuit verſatus, eidem actus interni perſpecti ſunt, ut adeo differentia inter cultum divinum internum & externum ſatis manifeſta ſit.

§. 1231.

Uterque lege naturali præceptus.

Cultus non minus externus, quam internus lege naturali præceptus. Etenim in Deo colendo omnem facere debemus facultatum noſtrarum uſum, dareque operam, ut plenus ſit uſus omnium conſenſus, nullus vero diſſenſus (§. 1162.), ac aliis exempla bona, adeoque etiam in cultu divino, præbere tenemur (§. 930.). Quamobrem non minus actibus internis, quam externis eum colere debemus. Quoniam itaque cultus internus in actibus internis, externus in externis conſiſtit (§. 1230.); cultus non minus externus, quam internus lege naturali præceptus.

Qui

Digitized by Google

Qui cultum Dei internum lege naturali definitum agnoſcunt, quatenus ſcilicet nonniſi religionis naturalis habetur ratio, de cultu tamen externo non omnes eadem ſentiunt. Neque enim deſunt, qui cultum omnem externum prorſus rejiciunt, ac inter ſuperflua referunt, ſaltem in religione naturali, propterea quod Deus intime perſpectas habeat hominum mentes, neque adeo opus ſit, ut demum actibus externis ſignificetur. Sed hi ſibi dicta putent, quæ paulo ante de obligatione ad orandum annotavimus (§. 1222.). Eadem enim utrobique objiciuntur, eodem adeo modo removenda. Sunt vero etiam alii, qui, etſi cultum Dei externum non reprobent, lege tamen naturali nihil de eo definitum eſſe contendunt, atque adeo cultum Dei externum omnem non cadere ſub legem naturæ exiſtimant. Sed hi non ſatis attendunt, quinam proprie actus ad cultum Dei externum requirantur, ut adeo non omnem intelligant, dum ſibi de omni loqui videntur, quemadmodum iis ſolemne eſt, qui notionibus confuſis conſiſi de rebus ſibi judicium ſumunt. Quidam denique cultum divinum externum quoad ritus tantummodo legi naturali ſubducunt. Quid vero quoad hos conveniat lagi naturali ſuo videbimus loco.

§. 1232.

Glorificatio Dei externa quid ſit.

Glorificationis Dei externæ nomine veniunt omnes actus externi actibus cultus interni reſpondentes.

Ad actus externos referuntur etiam vultus, geſtus, poſitus corporis, inceſſus, vox & ſermo (§. 708. & ſeqq. part. 2. Phil. pract. univerſ.). Quamobrem in glorificatione externa horum omnium habenda ratio. Unumquodque enim horum tale eſſe debet, ut ex actibus internis intelligatur, cur tale ſit, aut eſſe debeat. Ita in gratiarum actione vultus eſſe debet hilaris; in invocatione, quando petitur boni collatio vel mali averſio, ad ſignificandam fiduciam oculi attollendi, ad indigitandam indignitatem demittendi. Non eſt, quod tibi perſuadeas, actus externos hoc pacto fore nimis affectatos. Modo enim actus interni rite ſeſe habeant, ut in iiſdem nihil deſideretur, vi harmoniæ animæ ac corporis ſua veluti ſponte conſequuntur externi (§. 539. 540. Pſych. empir.), ut ab iſtis ad hos attentionem revocari non ſit opus, neque etiam neceſſe ſit eandem inter utroſque partiamur. Alia vero eſt ratio illorum actuum, qui magis ſubjiciuntur libertati voluntatis, veluti ſi reverentiam erga Deum ſignificamus genu flexione, aut demiſſo capite & in latus alterum tantiſper inclinato.

§. 1233.

An lege naturali præcipiatur.

Glorificatio Dei externa lege naturali præcepta. Cum enim in colendo Deo omnem facere debeamus facultatum noſtrarum uſum, & operam dare teneamur, ut plenus ſit omnium conſenſus, nullus vero diſſenſus (§. 1162.), in cultu divino uſus quoque fieri debet facultatis locomotivæ, a qua pendet corporis ac partium ipſius motus (§. 66. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & curandum, ut actus externi cum actibus internis conſentiant omni ex parte, ex nulla vero ab iiſdem diſſentiant. Quoniam itaque glorificatio Dei externa in actibus externis conſiſtit, qui internis actibus cultus divini reſpondent (§. 1232.); eam eſſe lege naturali præceptam patet.

Si glorificatio externa abſit a cultu interno, Deus non colitur omnibus viribus, nec homo ſeſe totum cultui divino conſecrat, neque exemplo ſuo prodeſt aliis, quemadmodum fieri debet (§. 930.). Inde eſt quod glorificatio externa fieri dicatur in gloriam Dei, quatenus actibus externis teſtamur, quid de Deo ſentiamus, & in ædificationem proximi, quatenus eundem exemplo noſtro docemus, quomodo colendus ſit Deus, & ad eum colendum eundem incitamus. Abſit adeo ut tibi perſuadeas, glorificationem externam ad hypocriſin lege naturali prohibitam (§. 1163.) referendam eſſe: hypocrita enim actibus externis ſimulat internos, qui abſunt, & attentiores ac acutiores affectationem in actibus externis deprehendunt, quæ intuentium oculos ſtatim offendit. Erit aliquando tempus, quo actuum externorum cum internis conſenſus diſtincte explicabitur a philoſophis, qui de eo hactenus parum ſolliciti fuerunt.

§. 1234.

In quonam cultus internus conſiſtat.

Pietas, agnitio Dei viva, obedientia eidem debita, amor ipſius, timor filialis & ejuſdem magnificatio, fiducia in eo, acquieſcentia in providentia divina, gratus

erga Deum animus, celebratio nominis divini, invocatio & gratiarum actio mentalis ad cultum Dei internum ſpectant. Cum enim pietatis ſit vi motivorum ab attributis divinis deſumtorum actiones liberas legi naturali conformare (§. 339. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), agnitionem Dei vivam operationibus intellectus abſolvi vel ex Logica conſtet, obedientia conſiſtat in promptitudine faciendi, quod Deus vult, & non faciendi, quod non vult (§. 1164.), vi amoris autem ex ſumma Numinis perfectione maxima percipiatur voluptas (§. 1171.), timor filialis dicat ſollicitudinem animi nil faciendi, quod voluntati divinæ adverſum (§. 1177.), magnificatio Dei ſit judicium, quo eum rebus omnibus aliis anteferendum ſtatuimus (§. 839.), fiducia jubeat optima quæque a Deo ſperantem ſe totum reſque ſuas providentiæ divinæ committere (§. 1186.), acquieſcentia vero in providentia divina appetitum & averſationem ex ſenſu certitudinis de rectitudine actionum divinarum in gubernatione hujus univerſi tam poſitivarum, quam privativarum moderetur (§. 1199.), gratus animus ſit ſtudium placendi Deo ob beneficia in nos collata (§. 1213.), celebratio vero nominis divini, invocatio & gratiarum actio mentalis actibus animæ abſolvatur (§. 1204. 1211. 1219.); nemo non videt, omnia hæc officia erga Deum actibus internis contineri, actus vero eſſe tales, quos edit homo, quia Deum eſſe agnoſcit, eos non editurus, ſi eundem non agnoſceret, conſequenter eos omnes ad cultum divinum pertinere (§. 511. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quamobrem cum cultus internus ſit, qui in actibus internis conſiſtit (§. 1230.); pietas, agnitio Dei viva, obedientia eidem debita, amor ipſius, timor filialis, & magnificatio ejuſdem, fiducia in eo, acquieſcentia in providentia divina, gratus erga eum animus, celebratio nominis divini, invocatio & gratiarum actio mentalis ad cultum Dei internum ſpectant.

Videmus adeo cultum Dei internum præſtatione officiorum erga Deum abſolvi, quatenus a glorificatione externa ſejunguntur. Et hinc diſcimus, qualis eſſe debeat animus ejus, qui Deum colit in omni ſtatu, & quænam differentia intercedat quoad ſtatum animæ inter eum, qui in omni actione ſua Deum colit, & eum, qui nonniſi intrinſeca actionum bonitate ac turpitudine adductus honeſte vivit. Sed hæc multo dilucidius conſtabunt, ubi in Philoſophia morali non modo praxin officiorum erga Deum a priori demonſtrabimus, verum etiam oſtendemus, quomodo in omnes hominum actiones influant, ut nulla ſit virtus, quæ non cultum divinum participet. Tuncque multo clarius intelligetur, quanto plerique hominum intervallo a vero cultu Dei abſint, etiamſi ſummo ſtudio eundem colere ſibi videantur.

§. 1235.

Species quædam glorificationis externæ. *Reverentia erga Deum, celebratio nominis divini & oratio ad glorificationem externam pertinent, ſeu ejus quædam ſpecies ſunt.* Reverentia enim Deo exhibetur actibus externis, quibus magnificatio ejuſdem declaratur (§. 1182.), nomen divinum celebratur, ſi attributa & opera divina verbis prædicamus (§. 1204.), oratio vero ſermo eſt, quo ea, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes mente volvimus, verbis ore prolatis ſignificamus (§. 1222.). Reverentia adeo erga Deum abſolvitur actibus externis, qui magnificationi Numinis; celebratio nominis divini actibus externis, qui agnitioni Dei vivæ; oratio denique externis actibus, qui invocationi Numinis & gratiarum actioni mentali reſpondent. Quoniam itaque magnificatio Dei, agnitio ejus viva, invocatio & gratiarum actio mentalis ad cultum Dei internum ſpectant (§. 1234.); reverentia erga Deum, celebratio nominis divini & oratio conſtant actibus externis, qui actibus cultus interni reſpondent. Enimvero actus externi actibus cultus interni reſpondentes omnes ad glorificationem Dei externam pertinent (§. 1232.). Quamobrem reverentia erga Deum, celebratio nominis divini & oratio ad glorificationem externam ſpectant, ſeu ejus quædam ſpecies ſunt (§. 241. *Ontol.*).

Quodſi ergo in ſuperioribus nondum demonſtraſſemus, reverentiam erga Deum (§. 1183.), celebrationem nominis divini, (§. 1205.) & orationem lege naturali præceptam eſſe (§. 1223.), idem jam pateret ex eo, quod glorificatio Dei externa lege naturali præcepta ſit (§. 1233.).

§. 1236.

§. 1236.

Glorificatio Dei pars cultus externi.

Glorificatio Dei externa pertinet ad cultum Dei externum. Glorificatio Dei externa conſiſtit in actibus externis, qui actibus culta interni reſpondent (§. 1235.). Quoniam itaque hi actus ad cultum Dei pertinent (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*), in actibus autem externis cultus Dei externus conſiſtit (§. 1230.); glorificatio Dei externa ad cultum Dei externum ſpectat.

Quodſi ergo nondum conſtaret, glorificationem Dei externam lege naturali præcipi (§. 1233.), idem nunc conſtaret ex eo, quod cultus externus lege naturali præcipiatur. Ceterum cum glorificatio Dei externa ad modum late pateat (§. 1232.); quam late ſeſe diffundat cultus Dei externus hinc intelligitur.

§. 1237.

Reverentia erga Deum, celebratio nominis divini & oratio pars cultus externi.

Quoniam glorificatio Dei ad cultum Dei externum pertinet (§. 1236.), reverentia vero erga Deum, celebratio nominis divini & oratio ad glorificationem Dei externam referri debet (§. 1235.); *reverentia erga Deum, celebratio nominis divini & oratio ad cultum Dei externum ſpectant.*

Neminem offendet, nos hæc officia ad cultum Dei externum referre, qui ex ſuperioribus intellexit, quænam vocabulis hiſce indigitentur. Neque vero inſolens eſt invocationem Dei & gratiarum actionem mentalem ab oratione, quatenus verbis ore prolatis conſtat, diſtingui & ad cultum Dei internum referri.

§. 1238.

Quo reſpectu actiones bonæ omnes ad cultum externum referantur.

Actiones externæ omnes legi naturali conformes, quatenus per motiva ab attributis divinis deſumta determinantur, & animo Deo obedientiam præſtandi eduntur, ad cultum Dei externum referendæ. Actiones enim omnes quatenus legi naturali per motiva ab attributis divinis deſumta determinantur pietati (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque cultui Dei interno reſpondent (§. 1234.). Et idem eodem modo patet, quatenus præſtantur animo obedientiam Deo præſtandi (§. *cit.*). Quoniam adeo hoc reſpectu ad glorificationem Dei externam pertinent (§. 1232.), hæc vero ad cultum divinum externum refertur (§. 1236.); actiones externæ omnes legi naturali conformes, quatenus per motiva ab attributis divinis deſumta determinantur & animo obedientiam præſtandi Deo eduntur, ad cultum Dei externum referendæ.

Oſtendimus jam ſupra, quod Deum colat, qui actiones ſuas omnes per motiva ab attributis divinis deſumta determinat (§. 1125.). Quoniam vero hic cultus Dei internus ab externo diſtinguitur: definiendum quoque eſt, quatenus actiones ſic determinatæ referantur ad cultum Dei internum, quatenus ad externum. Nimirum determinatio voluntatis per motiva ab attributis divinis deſumta ad cultum Numinis internum ſpectat, aut ſi mavis volitio hoc modo elicita (§. 1230.); ſed eidem reſpondens actio ad externum utique referenda, quatenus volitioni huic reſpondet, & ex animo Deo obediendi proficiſcitur.

§. 1239.

Item actus externi ſacientes ad agnitionem Dei.

Omnes actiones externæ, quæ faciunt ad agnitionem Dei, ad cultum Dei externum ſpectant. Agnitio enim Dei ad cultum internum ſpectat (§. 1234.). Actiones adeo externæ, quæ faciunt ad cognitionem Dei, reſpondent actibus cultus interni, unde eodem fere, quo ante (§. 1238.) modo patet, quod ad cultum Dei externum ſpectent.

Oſten-

Oſtenditur idem hoc modo. Actiones omnes externæ, quæ faciunt ad agnitionem Dei, ideo eduntur, quia Deum eſſe agnoſcimus, eas non edituri, ſi Deum non dari exiſtimaremus, vel dari prorſus ignoraremus. Pertinent adeo ad cultum divinum (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem cum cultus externus in actionibus externis conſiſtat (§. 1230.); actiones quoque externæ omnes, quæ ad agnitionem Dei faciunt, ad cultum divinum externum ſpectant.

§. 1240.

Et univerſi contemplatio.

Quoniam homo Deum ex contemplatione hujus univerſi & eorum, quæ in eo ſunt, cognoſcere debet (§. 1131.), immo etiam ex ſeipſo (§. 1135.), ac ideo ad contemplandum hoc univerſum & ea, quæ in eodem exiſtunt, & ad cognoſcendum, qualia ſint, obligatur (§. 1132.); *contemplatio quoque mundi hujus adſpectabilis & eorum omnium, quæ in eo ſunt, atque ſui ipſius eo fine facta, ut Deum inde agnoſcamus, ad cultum divinum externum ſpectat* (§. 1239.).

Neminem fore puto, qui cultum divinum a nobis in nimium extendi exiſtimet. Nonne etiam Theologi ad cultum divinum revelatum referunt lectionem librorum ſcripturæ ſacræ, ut Deus ejuſque voluntas inde cognoſcatur? Nonne vero etiam iidem mundum hunc vocant librum naturæ, quatenus Deus ex ejus contemplatione agnoſcitur? Quodſi ergo lectio libri ſcripturæ eo fine facta, ut Deus inde agnoſcatur, pars habetur cultus divini externi in religione revelata; eccur paradoxum videri debet lectionem libri naturæ, hoc eſt, contemplationem mundi hujus adſpectabilis, eodem fine factam, ad cultum divinum externum in religione naturali referri?

§. 1241.

Docere & adhortari alios pars cultus externi.

Similiter quia docere alios, quinam ſit Deus, quænam ſit voluntas ejus de actionum liberarum determinatione, quomodo ſit colendus, eos adhortari, ut Deum colant, & quæ ſunt his gemina, ad agnitionem Dei digne a nobis colendi propagandam & amplificandam faciunt; *docere quinam ſit Deus, quænam ſit ejus de actionibus noſtris determinandis voluntas, quomodo ſit colendus, & eos adhortari, ut Deum colant, quæque his gemina ſunt, ad cultum Dei externum ſpectant* (§. 1239.), cum alios etiam ad agnitionem Dei perducere debeamus, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 1141.).

§. 1242.

Exemplum Dei colendi præbere pars cultus externi.

Quoniam alios exemplo quoque noſtro docemus, & ad idem agendum incitamus; *ad cultum* quoque *divinum externum ſpectat aliis præbere Deum rite colendi exemplum* (§. 1239., cum etiam ad exemplum bonum aliis præbendum obligemur (§. 930.).

Cui perſpectum eſt, quanta ſit exemplorum efficacia (§. 260. & ſeqq. p. 2 *Phil. pract. univ.*); is mecum hanc cultus divini externi haud poſtremam partem ſtatuet exemplum rite colendi Deum præbere aliis. Quanta vero hinc quoad cultum divinum internum pariter ac externum etiam in noſmetipſos redundet utilitas, ſuo oſtendetur loco, & ex eo colligi poteſt, quod nemo alteri erroneas de Deo opiniones inſtillare debeat (§. 1142.). Cui ergo ſeria eſt voluntas exemplo ſuo alios docendi Deum rite colendi modum, eumque ad Deum colendum incitandi; is omni quoque circumſpectione utetur, ne quid in actionibus ſuis, quibus Deum colit, inſit, quod ſit a veritate alienum.

§. 1243.

Lectio librorum de Deo & cultu divino agentium pars cultus externi.

Porro quoniam Deum agnoſcimus, &, quomodo ſit colendus, cognoſcimus, ſi eos legimus libros, in quibus doctrina de Deo & voluntate ejus cultuque divino traditur; *librorum* quoque *de Deo & cultu divino agentium lectio eſt pars cultus divini externi* (§. 1239.).

Sac-

Succurrit hic, quod quidam Eccleſiæ Lutheranæ miniſter reprehenderit amicum quendam die dominica Theologiam noſtram naturalem legentem, quaſi lectione libri profani profanaret ſabbathum, hanc referens inter labores, a quibus die cultui divino dicato ſit abſtinendum. Enimvero hic minime perpendit, agnitionem Dei ex principiis rationis pertinere ad cultum Dei naturalem, atque adeo lectionem librorum, in quibus ea, quæ de Deo naturaliter cognoſci poſſunt, demonſtrantur, ſpectare ad cultum naturalem externum, cultum vero naturalem ſubſiſtere etiam in religione revelata, ut adeo ipſa ſcriptura ſacra ad Deum naturaliter agnoſcendum ſ *Romanos I. 19. & ſeqquentibus* & per ea, quæ naturæ contemplatione nobis innoteſcunt, vel ſolis Pſalmis teſtibus, glorificandum nos adhortetur. Tanto autem minus lectio Theologiæ noſtræ naturalis die dominica improbari poterat, quod in eadem ubivis demonſtremus conſenſum rationis cum ſcriptura ſacra. Quodſi adeo quis Jus quoque naturæ noſtrum & philoſophiam moralem, quam in poſterum daturi ſumus, eo animo die dominica legat, ut actiones ſuas ad normam legis naturalis exactius componat, obedientiam Deo debitam (§. 1165.) præſtiturus; non eſt quod ſibi metuat, ne die cultui divino deſtinato faciat, quod non debet. Neque eſt quod quis objiciat, hoc pacto homines a lectione & meditatione verbi divini avocari, & cultum divinum revelatum, quem chriſtianum dicimus, in naturalem converti: valet enim hic regula tritiſſima, unius poſitionem non eſſe alterius excluſionem. Ac præterea cogitandum eſt, philoſophiam noſtram facere ad ſenſum ſcripturæ profundius rimandum, quemadmodum jam uno alteroque exemplo docuimus in Horis ſubſecivis, ut adeo ejus lectio ſit pædagogia ad lectionem Sac. Scripturæ fructuoſiorem.

§. 1244.

Hymnus quid ſit.

Per *Hymnos* intelligimus carmina, quibus nomen divinum celebratur, Deus actu externo invocatur, eidemque gratiæ aguntur.

Juxta *Sophoclis* Scholiaſten hymnus proprie eſt carmen in laudem Dei compoſitum, conſequenter nonniſi ea carmina, quibus nomen divinum celebratur, hymnos dici debere videtur (§. 541. 1204.). Enimvero quoniam non minus invocatio Numinis (§. 1219.), quam gratiarum actio, quatenus ſcilicet utraque in verba erumpit, laudem divinam continet (§. 1211.), tanto minus verendum, ne ſignificatui vocabuli primitus introducto vis inferatur, ſiquidem is ad invocationem quoque Numinis & gratiarum actionem externam provehitur.

§. 1245.

Hymnorum & cantus utilitas.

Quoniam hymni carmina ſunt (§. 1244.), ipſa autem experientia convincimur, carmina non modo per ſe aptiora eſſe ad attentionem excitandam & conſervandam, affectusque ciendos, ac ea, de quibus agunt, memoriæ facilius & tenacius infigenda; verum etiam ſi cantus accedat, hæc omnia non modo in nobis, verum etiam in aliis audientibus, multo adhuc facilius ac certius obtineri; *hymni* quoque *non modo per ſe, verum etiam cantus hymnorum inprimis attentionem excitant & conſervant, affectus cient & ea, de quibus agunt, facilius atque tenacius memoriæ infigunt & hoc etiam in aliis cantum audientibus præſtant*

De cantus hymnorum utilitate alia adhuc magis recondita proferri poterant; ſed ea alii loco reſervamus.

§. 1246.

Hymnorum & orationis æquipollentia.

Quia oratio non eſt niſi externa Numinis invocatio & gratiarum actio (§. 1222.), eidemque celebratio Numinis haud raro accedit (§. 1211. 1222.), hymni vero carmina ſunt, quibus nomen divinum celebratur, Deus invocatur, eidemque gratiæ aguntur (§. 1244.); *hymni* cum oratione quoad materiam conveniunt, nec niſi in eo differunt, quod ſint ſermo ligatus, oratio autem ſolutus, conſequenter *orationi quoad materiam æquipollent*.

Quodſi objicias, in hymnis ſacris etiam ſubinde non contineri niſi hiſtoriam quandam ſacram, veluti nativitatis, paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti; haud difficilis eſt reſpon-

Digitized by Google

reſponſio, ſcilicet commemoratione illorum factorum non intendi niſi celebrationem nominis divini & in ipſa etiam oratione facta iſtiuſmodi recenſeri, quatenus ad invocationem Numinis & gratiarum actionem faciunt. Sane in hymnis etiam, quæ non continent; niſi quæ naturaliter de Deo cognoſci poſſunt, commemorationi eorum, quæ Deus in hoc mundo per cauſas ſecundas exequitur, locus eſt, quatenus finibus iſtis inſerviunt.

§. 1247.

Obligatio naturalis canendi & componendi hymnos. *Ad hymnos componendos & canendos ipſa lege naturali obligamur.* Hymni orationi æquipollent (§. 1246.), & non modo per ſe, verum etiam inprimis cantus eorum attentionem excitant & conſervant, affectus cient, & ea, de quibus agunt, facilius atque tenacius memoriæ infigunt, hocque etiam in aliis cantum audientibus præſtant (§. 1245.), conſequenter ad exemplum aliis præbendum maxime conducunt. Quoniam itaque ad nomen divinum celebrandum obligamur (§. 1205.), nec minus ad orandum (§. 1223.) & orando aliis exemplo eſſe debemus (§. 1224.), nec de celebratione nominis divini dubitari poteſt, quin exemplo eſſe debeamus aliis (§. 930.), & lex naturæ perfectiva nos obligat ad id, quod melius, alteri præferendum (§. 192. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quin ad hymnos canendos, quoties præſertim eorum præ oratione prærogativa id exigit, adeoque etiam ad eos componendos ipſa lege naturali obligemur, dubitandum non eſt.

Forſan non deerunt, qui exiſtimaturi ſunt, ex demonſtratione noſtra ſequi, cantum hymnorum ſemper præferendum eſſe orationi. Enimvero hi non ſatis perpendunt, fines iſtos, quibus præ oratione inſervit hymnorum cantus, non in omni caſu hoc medio obtinendos eſſe, neque etiam ſingulis in quolibet caſu eſſe locum. Sed de his alibi commodior erit dicendi locus.

§. 1248.

Hymnorum cantus pars cultus externi. *Hymnorum cantus ad cultum Dei externum pertinet.* Hymnorum cantus actibus externis abſolvitur, quos ad cultum divinum ſpectare conſtat (§. 511. *part. 2. Theol. nat.* & §. 1244. *Jur. nat.*). Quamobrem cum cultus externus actibus externis conſtet (§. 1230.); hymnorum quoque cantus ad cultum Dei externum pertinet.

Quamobrem cum cultus externus lege naturali præcipiatur (§. 1231.); hinc quoque patet, cantum hymnorum lege naturali præcipi.

§. 1249.

An ceremoniæ in cultu divino adhibendæ. *Quotieſcunque verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in cultu divino meminiſſe debes, aut in poſterum propoſiti alicujus, quod in eodem inculcatur; non recorderis, dum ejuſdem memor eſſe debes; ipſa lege naturali obligaris ad ceremonias in cultu divino externo inſtituendas.* Etenim quotieſcunque verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii meminiſſe debes, aut in poſterum propoſiti alicujus, quod nunc inculcatur, non recorderis, dum ejuſdem memor eſſe debes, ceremoniæ locus (§. 447. *part. 2. Phil. pract. univ.*). In hypotheſi adeo propoſitionis præſentis ceremoniæ quoque locum habere poſſunt in cultu divino externo. Quoniam itaque ceremoniarum inſtitutio legi naturali conformis, quando ad bene & recte agendum proſunt (§. 501. *part. 2. Phil. pract. univ.*); in hypotheſi propoſitionis præſentis ipſa lege naturali obligamur ad ceremonias in cultu divino inſtituendas.

Erunt

Digitized by Google

Erunt forſan nonnulli, quibus nimium dictum videbitur, quod ad ceremonias in cultu divino inſtituendas obligemur, præſertim ubi animum ab omni ritu habent maxime alienum. Enimvero niſi præjudicio excœcati fuerins, obligationem naturalem ejuſque amplitudinem animo diſtincte non concipiunt. Quoniam ceremoniæ ſeſe habent ad actiones, quibus inſerviunt, per modum medii ad finem (§. 464. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui actiones iſtas reprobare nequit, nec ceremonias rejicere poteſt. Et ſi obligamur ad finem conſequendum, eccur abſurdum videri debet, nos obligari ad uſum mediorum ejus conſequendi gratia adhibendorum. Quodſi dicas, ſi lege naturali obligamur ad ceremonias in cultu divino adhibendas, earum omiſſio peccatum eſt (§. 440. *p. 1. Phil. pract. univ.*); concedo totum. Sed peccatum tamen eſt, cujus magnitudo ex ipſo actu, qui omittitur, æſtimanda; minime autem cum homicidio, adulterio vel blaſphemia, aut cum omiſſione officii cujuſdam interni erga Deum comparandum. Non habent peccata omnia eundem gradum, præſertim ubi lex naturæ in omni ſua latitudine accipitur, qualem ipſi tribuimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis.

§. 1250.

Jus naturale ceremonias instituendi.

Natura homini unicuique competit jus in ſuum uſum ceremonias cultus divini inſtituendi. Quoniam enim lex naturæ nos obligat ad ceremonias, quando uſui ſunt in cultu divino externo adhibendas (§. 1249.), ea vero ſigna artificialia ſunt (§. 451. *part. 2. Phil. pract. univ.*), adeoque ex arbitrio ſignificatum obtinent (§. 958. *Ontol.*); lex naturæ etiam dat jus eas inſtituendi (§. 158. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero natura homines omnes liberi ſunt (§. 146.), neque adeo in agendo ab aliorum voluntate dependent (§. 152.). Quamobrem unicuique homini natura competit jus in uſum ſuum ceremonias cultus divini inſtituendi.

Quodſi diſpliceat jus inſtituendi ceremonias in cultu divino deduci ex obligatione ad eas in eodem adhibendas; poterit eodem modo deduci ex obligatione ad cultum divinum externum (§. 1231.), ſuppoſita earundem utilitate. Neque vero mirum videri debet eſſe homini jus ceremonias, prouti commodum ipſi fuerit viſum, determinandi in ſtatu naturali. Etenim in novo fœdere idem relictum eſt Eccleſiæ, in ipſa religione revelata, aut ei, qui jus Eccleſiæ habet; quemadmodum ſuo loco videbimus, quod in civitate quoad religionem naturalem, ſepoſita nimirum revelata, exerceatur ab eo, penes quem eſt jus ſacrorum, etſi originarie competat ſingulis. Neque valet objectio, quod ſic in ſtatu naturali foret diverſitas cultus divini externi quoad ceremonias: id enim nihil abſurdi habet. Neque enim fieri poteſt, ut, ubi quivis jure libertatis ſuo utitur, in talibus ſit conſenſus. Unde nec videas in Eccleſiis Proteſtantium eaſdem ubique eſſe ceremonias, quia non habent caput quoddam viſibile, ſine quo unitas concipi nequit. A ſtatu naturali non argumentandum eſt ad civilem, multo minus autem a religione naturali, qualis in ſtatu naturali concipi debet, ad revelatam, quæ in civili obtinet. In veteri Teſtamento Deus per Moſen præſcripſerat ceremonias in cultu ſuo obſervandas: ſed illæ ceremoniæ erant ſimul typi ſeu futuri præfigurationes, quemadmodum explicat Autor epiſtolæ ad Hebræos, neque ad religionem qua naturalem ſpectant. Ceterum de ceremoniis in cultu divino naturali adhibendis, in quo etiamnum homini adhuc relicta eſt aliqua libertas, quatenus per ſtatum civilem & religionem revelatam n[illegible] reſtricta, judicium fieri poteſt ex iis, quæ [illegible] parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis de iiſdem demonſtravimus.

§. 1251.

Obligatio ad celebrandos conventus cultus divini gratia.

Natura homines obligantur ad conventus cultus divini gratia celebrandos. Etenim unus alterum ad agnitionem Dei perducere debet, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 1141.), in colendo etiam Deo (§. 1242.), præſertim in orando (§. 1224.), aliis exemplum præbere debet. Tenetur quilibet, qui poteſt, docere alios, quinam ſit Deus, quænam ſit ejus de actionibus noſtris determinandis voluntas, quomodo ſit colendus unuſque alterum ad colendum Deum adhortari debet, & quæ his ſunt gemina (§. 1241.). Quoniam igitur hoc fieri nequit, niſi homines cultus divini gratia conveniant; quin naturali etiam lege ad conventus cultus divini gratia celebrandos obligentur dubitandum non eſt.

Abſit ut tibi perſuadess probari a nobis conventicula privata, quæ hodie adamant qui Pietiſtæ dicuntur. Neque enim, quemadmodum modo annotavimus (*not.* §. 1250.) a ſtatu naturali ad ſtatum civilem argumentari licet, neque a religione naturali, qualis in ſtatu naturali concipitur, ad religionem Chriſtianam; authoritate ſcripturæ ſacræ nixam. Sed plura dicemus ſuo loco, ubi de jure civitatis ſumus acturi: ubi etiam agetur de loco & tempore horum conventuum. Hæc igitur hic ſufficiant.

§. 1252.

Quænam in iſtis conventibus fieri debeant.

Quoniam per ſe patet, *conventibus* iſtis convenire cultum divinum externum, *in iisdem fieri debent, quæ ad cultum divinum ſpectantia conjunctis viribus fieri poſſunt, conſequenter orandum* (§. 1237.), *hymni canendi* (§. 1248.), *unus ceteros docere & adhortari debet* (§. 1241.), *quilibet reverenter erga Deum ſe gerere tenetur* (§. 1237.) *& in hiſce ceremoniæ aptæ adhibendæ* (§. 1249.).

Hæc ſunt, quæ cultus divinus naturalis exigit in conventibus. Alia vero ſuperaddit revelata religio, de quibus non agitur in Jure naturali, nec agi poteſt.

§. 1253.

Qualis eſſe debeat vita hominis.

Hominis tota vita continuus cultus divinus eſſe debet. Etenim quilibet homo Deo vivere (§. 1228.), adeoque actiones ſuas omnes non modo per voluntatem Numinis, verum etiam per attributa divina determinare debet (§. 1227.). Quamobrem cum vita moralis non ſit niſi complexus actionum liberarum (§. 7. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & cultus divinus non conſiſtat niſi in actionibus per attributa divina tanquam motiva determinatis (§. 1229.); hominis tota vita continuus cultus divinus eſſe debet.

Vana igitur eſt illorum perſuaſio, qui omne tempus cantando, orando, libros de Deo ejusque cultu agentes legendo & loca, in quibus Deus publice colitur, frequentando terendum eſſe contendunt, ſiquidem eum continuo colere volueris. Qui ſic ſentiunt, non intelligunt, quid ſit Deum colere in omnibus actionibus ſuis, quam pii eſſe obligationem ſupra demonſtravimus (§. 1227.). Quomodo autem omnes noſtræ actiones in cultum divinum impendantur, etſi ex iis, quæ de officiis erga Deum demonſtravimus, jam ſatis pateat, ſuo tamen tempore in Philoſophia morali uberius exponetur, ut nihil quoad hanc partem deſiderari poſſit, neque affectata prodeat vivendi ratio, quæ magis contemtui ac deriſui, quam exemplo eſt aliis.

§. 1254.

Cultus externus ſine interno lege naturali prohibitus.

Cultus internus ab externo ſeparari minime debet. Etenim lege naturali præcipitur non modo cultus externus, verum etiam internus (§. 1231.), &, ſi conferas ea, quæ ad cultum internum ſpectant (§. 1234.), cum iis, quæ ad externum pertinent (§. 1236. & *ſeqq.*), haud obſcure intelliges externum non eſſe niſi propter internum. Lex igitur naturalis nos obligat ad internum ab externo minime ſeparandum (§. 722.).

Hypocritarum mos eſt eſſe aſſiduum in cultu externo, negligere vero internum, utpote qui Deum colere videri volunt, quem revera colere nolunt. Sunt tamen etiam alii, qui aliis de cauſis hoc faciunt, in quos inquirere non eſt hujus loci.

§. 1255.

Superſtitio quid ſit.

Superſtitioſus dicitur, qui actiones committit, quæ per erroneas de Deo & providentia ipſius opiniones quoad ea, quæ homini bona vel mala evenire poſſunt, determinantur. Unde *ſuperſtitio* eſt vitium, quo agens committit actiones per erroneas de Deo & providentia divina quoad homini bona vel mala opinio-

opiniones determinatas. Sub actionibus autem hic brevitatis gratia etiam intelligimus privativas, ita ut actionum privarivarum commiſſio denotet poſitivarum omiſſionem.

Erronea de providentia divina opinio eſt, quaſi Deus per eclipſes nocere intendat hominibus. Unde ſuperſtitioni annumeratur, ſi puteos durante eclipſi tegant, ne veneno quodam inficiatur aqua, & pecora ex campis arcent, ne ipſis noceatur. Pertinent huc omnis generis divinationes, de quibus commentatus eſt *Peucerus*. Immo tota Aſtrologia judiciaria ex erronea de providentia divina opinione enata, quaſi Deus rebus ſublunaribus ipſiſque etiam hominibus provideat occulto quodam aſtrorum influxu. Obiter monemus, etſi divinationes ad ſuperſtitionem referamus, non tamen ideo nos rejicere præſenſionem futuri, quæ nititur dependentia futurorum a præſentibus, adeoque cauſis manifeſtis, in quas inquirere Phyſici eſt. Quoniam Gentiles erroneas foverunt de Deo & providentia ejus opiniones; ideo non mirum, quod tantum dederint ſuperſtitioni. Apud Chriſtianos erroneæ de Chriſto & voluntate divina quoad ſalutem æternam conſequendam opiniones ſuperſtitionem pariunt; ſed de qua judicium fieri nequit ex principiis Philoſophiæ.

§. 1256.

Superſtitio lege naturali prohibita.

Superſtitio omnis vitanda. Etenim Deum agnoſcere (§. 1129.) & ut certam ejus habeamus cognitionem, operam dare debemus (§. 1140.), actiones noſtras per motiva ab attributis divinis, quæ revera Deo competunt, & providentia divina, qualis revera eſt, deſumta determinaturi (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Lege adeo naturali prohibetur, ne erroneas de Deo & providentia divina foveamus opiniones, nec per eas actiones noſtras determinemus (§. 722.). Quoniam igitur hoc facit, qui ſuperſtitioſus eſt (§. 1255.); ſuperſtitio omnis lege naturali prohibita, adeoque vitanda (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Quinam actus ſint ſuperſtitioſi, facile dijudicabit, qui certam Dei ac providentiæ ipſius cognitionem ſibi comparaverit. Unde vi propoſitionis præſentis porro infertur, quinam actus ſint illiciti, ut adeo in præſenti noſtrum non ſit actus ſuperſtitioſos examini ſubjicere. Quemadmodum vero ſubinde contingit, ut actus quidam ſuperſtitioni tribuatur, qui potius ſtoliditati hominum adſcribi meretur, defectu notionis diſtinctæ ſatiſque determinatæ ſuperſtitionis; ita etiam actus quidam ſuperſtitioſi in ſe illiciti eſſe poſſunt duplici adeo modo ſpectandi, tum qua ſuperſtitioſi, tum qua in ſe illiciti. Iſtiuſmodi erat actus Judæorum infantes ſuos Molocho immolantium, qui legi naturali repugnabat, quatenus prohibet hominem occidi ab homine (*not.* §. 1229.), nec jus vitæ ac necis parentibus in liberos concedit, quemadmodum ſuo loco oſtendetur; ſuperſtitioſus vero, quatenus pendet ab erronea opinione; quaſi Deus ob peccata iratus hoc modo placetur, ne puniat. Fieri etiam poteſt, ut errores de Deo homini occaſionem præbeant male agendi: enimvero tum errores iſti non reſpiciunt bona vel mala, quæ homini evenire poſſunt, veluti ſi quis ſcortetur, quia ſibi perſuadet, Deum homini non invidere eam voluptatem, quæ ex coitu percipitur, nec ægre ferre, ſi quis ea fruatur. Nemo non videt errorem hic tantummodo removere metum pœnæ motivum non agendi, haud quaquam vero influere in determinationem actionis per modum motivi agendi, quemadmodum hic fieri debebat, ſi actus eſſet ſuperſtitioſus (§. 1255.). Quænam ſit ſuperſtitionis cauſa, hic non inquirimus; hæc enim diſquiſitio ad Philoſophiam moralem referenda.

§. 1257.

Falſi Dii & Idola quid ſint.

Falſi Dii dicuntur entia, quæ finguntur eſſe Dii, cum non ſint. Ad *Idola* ſunt non entia per ſimulacra repræſentari ſolita, quæ Dii eſſe finguntur. Vernaculo ſermone illi dicuntur Götter, vel in ſingulari ſubinde addito ein falſcher Gott; hæc autem Götzen.

Differentiam hanc optime exponit Autor libri *Sapientiæ* c. XIII. 1. 10. & *ſeqq.* ubi eos, qui falſos Deos coluerunt, contradiſtinguit iis, qui coluerunt idola. Falſos nimirum coluere Deos, qui Solem, Lunam, Stellas, Ignem, Aquam, Ventum aut Aerem, Terram, Rectores orbis terrarum Deos ſtatuerunt. Et his quoque accenſendi ſunt, qui homines mortuos in numerum Deorum retulerunt, quemadmodum fecere Græci atque Romani. Aſt Idola coluerunt,

runt, qui ex auro, argento aliove metallo, vel etiam ex ligno aut lapide fecere ſimulacra ad ſimilitudinem hominum aut animalium, monſtroſæ haud raro figuræ. Non ſine ratione autem diſtinguuntur falſi Dii ab idolis. Diverſa enim utriusque erroris eſt ratio. Qui enim falſos Deos coluerunt, agnoverunt dari aliquam cauſam primam, quæ contineat rationem ultimam eorum, quæ fiunt in terris. Quoniam igitur ſubſiſtere in iis, quæ in ſenſus incurrunt, Solem, Lunam, Stellas, & Elementa pro prima cauſa habuerunt. Verum igitur Deum, quem quærebant, invenire non potuerunt, quia eum in ipſa cauſarum ſerie quæſiverunt extra eandem quærendum (§. 90. *Coſmol.*), propterea quod enti cuidam in ea conſtituto attributum cauſæ primæ convenire arbitrati ſunt. Demus exemplum, ut dicta fiant clariora. Deus eſt conſervator rerum omnium (§. 843. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque ipſi tribuendum tanquam cauſæ primæ, quod Globus terraqueus, qui ab hominibus & animalibus habitatur, conſervetur in eo ſtatu, ut inhabitari poſſit. Quamobrem cum viderent Perſarum philoſophi, remoto ſole, illum in chaos quoddam converti, nec vegetationi amplius eſſe locum, hominibus ac animalibus in univerſum omnibus eſſe pereundum; ideo Solem conſervatorem rerum omnium & cauſam primam effectuum naturæ eſſe putarunt. Non abſimili modo, qui aſtra coluerunt Deos, in errorem ſuum prolapſi ſunt. Viderunt diverſas admodum eſſe diſpoſitiones ac inclinationes naturales hominum, & non modo fata corundem, verum etiam multa; quæ in rerum natura fiunt & caſui tribuuntur, cauſas non habere obvias & manifeſtas. Cum itaque horum omnium cauſas in his, quæ in Terra exiſtunt, reperire non poſſent, omnia autem propter hominem eſſe arbitrarentur; aſtra has cauſas eſſe intulerunt. Quoniam vero non capiebant, quomodo aſtra talia operentur, occultum quendam agendi modum homini incomprehenſibilem admiſerunt. Deum cauſam primam appellantes, quæ modo hominibus incomprehenſibili agat, cum in ſerie cauſarum ſecundarum ſubſiſterent, nec ultra eam progrederentur, aſtra Deos eſſe orbis terrarum rectores putarunt. Et hinc enata eſt omnis Aſtrologia, ad ipſas etiam hominum diſpoſitiones & inclinationes naturales eorundemque fata extenſa. Enimvero alia longe ratio fuit idolorum inventoribus. Hi enim cum viderent, ea, quæ homini exiſtimantur bona vel mala, non eſſe in noſtra poteſtate, nec cauſam quandam manifeſtam apparere, occulto quodam Numine omnia regi opinati ſunt, quod, prouti hominibus faveat, vel infeſtum ſit, nunc bona conferat, nunc mala immittat. Mali igitur metus inſtillavit cupiditatem iſtud ſibi conciliandi ac propitium reddendi. Hoc numen occultum ſibi repræſentare cum vellent homines, ſimulacrum quoddam unusquisque ſibi figuravit, quod opinione ſua ideam Numinis iſtius metuendi in mente intuentis ſuſcitaret. Aſt impoſtura ob rationes politicas ex hominibus finxit Deos.

§. 1258.

Idololatria quid ſit.

Idololatria ſenſu latiori dicitur cultus divinus omnis exhibitus iis, qui Deus non ſunt. Unde *idololatra eſt*, qui falſis Deis, vel idolis, vel enti cuique, quod Deum eſse non opinatur, eum præſtat cultum, qui ſoli Deo vero convenit. Vernaculo ſermone dicitur Abgötterey.

Vocabulum hoc familiare eſt ſcriptoribus eccleſiaſticis, qui Deos falſos & quicquid inſtar Dei indebite colitur, cum idolis in unum cenſum retulerunt. Atque hic ſignificatus maxime convenit inſtituto præſenti, ubi quæritur, an officia Deo debita præſtare etiam liceat enti cuidam alii non Deo. Vi ejuſdem idololatra eſt, qui fiduciam, quam Deo debet, in hominibus vel divitiis collocat; qui timore filiali, Deum proſequi tenetur, hominem quendam proſequitur; qui amore, quem Deo debet, creaturas complectitur. Et hoc ſenſu inter nos adhuc committitur idololatria, etſi nemo ſit adeo inſanus, ut idolum quoddam colat, vel creaturam quandam viſibilem fingat eſſe Deum, orbis terrarum rectorem.

§. 1259.

An cultum divinum enti non Deo exhibere liceat.

Lege naturali prohibetur, ne cultum Deo debitum exhibeamus enti cuidam non Deo. Lex enim naturæ præcipit, ut Deum verum colamus (§. 1123.), per motiva ab attributis ipſius deſumta determinando actiones noſtras (§. 1125.), ac ideo eundem agnoſcamus (§. 1129.), operamque demus, ne quid deſit certitudini hujus cognitionis (§. 1140.). Vult adeo lex naturæ, ut nobis conſtet, quinam ſit verus Deus, & quod eidem cultus naturæ ejuſdem conveniens ſit exhibendus. Quamobrem cum lex præceptiva ſimul ſit prohibitiva contrarii (§. 722.); ea omnino prohibet, ne Deus habeatur ens quoddam, quod Deus non

Digitized by Google

non eſt, attribuendo ipſi, quæ Deo vero conveniunt, & ne adeo eidem exhibeatur cultus illi debitus. Patet itaque lege naturali prohiberi, ne cultum Deo debitum enti cuidam non Deo præſtemus.

Indirecte idem oſtenditur hoc modo. Ponamus legem naturalem permittere, ut cultum Deo debitum exhibeamus enti cuidam non Deo. Quoniam Deus colitur determinando actiones ſuas per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 1125.), lex naturæ permittit, ut attributa ipſius tribuantur enti cuidam, cui minime conveniunt, conſequenter ut ens quoddam habeatur pro Deo, quod non eſt. Quoniam itaque Deum non agnoſcit, qui ens quoddam pro Deo habet, quod non eſt Deus; lex naturæ permittit, ne Deum agnoſcamus, nec requirit, ut certa nobis ſit ejus cognitio (§. 564. *Log.*): quod cum ſit abſurdum (§. 1129. 1140.), permittere nequit, ut cultum Deo debitum exhibeamus enti non Deo. Quoniam itaque præterea præcipit, ut verus Deus colatur (§. 1123.); quod prohibeat, ne cultus Deo debitus exhibeatur enti non Deo, patet.

Repugnat etiam cultus divinus enti non Deo exhibitus obligationi ad intellectum perficiendum. Ecquis enim eſt, qui errores ad imperfectionem ejuſdem non referat? Immo repugnat idem obligationi ad vitandum facultatum noſtrarum non uſum (§. 206.). Errores autem non uſui facultatum animæ, intellectus præſertim, deberi manifeſtum eſt.

§. 1260.

Deum id fieri nolle. Quoniam lex naturæ prohibet, ne cultum Deo debitum exhibeamus enti cuidam non Deo (§. 1259.), lex autem naturæ voluntati divinæ conveniens eſt (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Deus* quoque *non vult, cultum ſibi debitum exhiberi enti cuidam alii non Deo.*

Hanc Dei voluntatem maximopere urget ſcriptura ſacra, & in ea Judæis ſevere interdicitur, ne faciant, propterea quod ad alias gentes, iſto tempore idololatricas, imitandum erant proni, quaſi iidem eſſent ceteris deteriores, ſi aliis, quam iſtæ moribus vivebant, vivere deberent. Stolidam hanc opinionem ipſorum animis tenaciter inhæſiſſe vel ex eo apparet, quod inſtar ceterarum gentium a Rege regi mallent, Theocratia rejecta.

§. 1261.

Cultus divinus Diis falſis & idolis non deferendus. Quia Deus non vult, cultum ſibi debitum exhiberi enti cuidam alii non Deo (§. 1260.), Dei autem falſi & idola Deus non ſunt (§. 1257.); *Deus* omnino *vult, ne cultus ſibi debitus deferatur Diis falſis aut idolis.* Et eodem modo patet, *Deum nolle, ut officium aliquod ſibi debitum*, ad cultum quippe ſuum ſpectans (§. 1234.), *præſtetur homini cuidam aut creaturæ alii.*

Quam multis modis peccetur inter nos in cultu Dei debito hominibus vel creaturis aliis deferendo, facile intelliget, qui, quæ de cultu divino tam interno, quam externo dicta ſunt in anterioribus, attente conſiderare, & cum iis facta hominum eorumque mores conferre voluerit. Quamobrem maxime opus erat, ut idem illicitum eſſe ac in Numen ſupremum injurium hic demonſtraretur. Sane ſi hoc faciunt, qui Deum verum agnoſcunt, nec eundem colendum eſſe diffitentur, immo eundem quoque colere volunt; juxta Deum verum alios adhuc Deos habent.

§. 1262.

Idololatria omnis prohibita. *Idololatria omnis lege naturali prohibita.* Lege enim naturali prohibetur, ne cultum Deo debitum exhibeamus enti cuidam alii non Deo (§. 1259.). Quoniam itaque idololatria conſiſtit in omni cultu, qui, cum Deo debeatur, exhibetur enti cuidam alii non Deo (§. 1258.; idololatria omnis lege naturali prohibita.

§. 1263.

Digitized by Google

§. 1263.

An Dei per figuras hieroglyphicas repræſentatio ſit licita.

Dei per figuras hieroglyphicas repræſentatio legi naturali non repugnat, immo eadem nobis hoc faciendi jus dat, ubi hac imagine in memoriam nobis revocamus attributa quædam divina, quorum meminiſſe debemus officiorum erga ipſum præſtandorum gratia. Deus per figuras hieroglyphicas repræſentari poteſt (§. 91. *part. 1. Theol. nat.*), & eædem hunc habere poſſunt uſum, ut attributa divina nobis in memoriam revocent (*not. §. cit.*), per quæ cum determinandæ ſint actiones noſtræ in cultu divino (§. 1125.) lege naturali præcepto (§. 1123.), & in officiorum erga Deum præſtatione conſiſtente (§. 1234.), quin in iiſdem præſtandis eorum memores eſſe debeamus dubitandum non eſt. Hic igitur ſi iſtarum imaginum uſus ſit, ceremoniarum loco ſunt (§. 442. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero in hoc caſu ceremoniæ in cultu divino externo ſunt adhibendæ (§. 1249.) & homini natura competit jus in ſuum uſum ceremonias cultus divini inſtituendi (§. 1250.). Ergo etiam Dei per figuras hieroglyphicas repræſentatio in eodem caſu legi naturali non repugnat, hominique iſtiuſmodi imagines ſibi faciendi jus eſt.

Dei imago aliqua nec pingi, nec ſculpi poteſt (§. 90. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem nec quæri poteſt, utrum licitum ſit, nec ne, imaginem Dei veri facere. Et quando lege divina prohibetur, ne fiat ſculptile, ut adoretur id intelligi debet ſimulacrum idoli, quali divinum cultum exhibebant pagani (§. 1257.). Imagines vero, quibus Deus per figuras hieroglyphicas repræſentatur, nihil habent cum idolis commune, adeoque nec ad idololatriam referendus earundem uſus.

Finis Partis Primæ Juris Naturalis.

CON-

CONSPECTUS TOMI PRIMI.

JURIS NATURÆ.

Juris Naturæ Prolegomena, 1

CAPUT I.

De Obligatione & Jure Hominum univerſali in genere. 10

CAPUT II.

De officiis hominis erga ſeipſum & cum iis connexis Juribus. 50

CAPUT III.

De officiis hominis erga alios & cum iis connexis Juribus. 195

CAPUT IV.

De Officiis erga Deum & cum iis connexis Juribus, 365

FINIS CONSPECTUS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum Præcipuarum, in quo numeri Paragraphos denotant.

A

Abſentia boni num ſit malum. 754
Abſentia mali num ſit bonum. 756
Acquieſcentia in providentia divina. Definitio. 1199. quod lege naturali præcepta. 1201. ad cultum Dei internum referenda. 1234
Actio culpoſa num eum doloſa ejuſdem ſpeciei ſimul prohibeatur lege naturali. 1027
Actio in ſe bona quando peccato inficiatur. 1126
Actiones organis propriæ. 305
Actiones bonæ quomodo ad cultum Dei externum referantur. 1238
Actiones acceſſoriæ quænam ſint. 429. cur indecoræ. 435
Actiones facultatis locomotivæ quomodo differant. 313
ſenſitivæ quales ſint. 311
Actiones miniſtræ. Definitio. 427. earum rectitudo. 430. obligatio quoad eaſdem. 431. quando hominem deceant, 432. 437. quando ſint decoræ. 433. quando indecoræ. 434. quomodo determinandæ. 436
Actiones miniſtræ decoræ num temperantiæ conveniant in capiendo cibo ac potu, 443. quænam ſint. 441
indecoræ quænam ſint in capiendo cibo ac potu. 442. num temperantiæ diſconvenientes. 444
Actiones ſuperfluæ. Definitio. 428
Actiones vitales num ſubſint directioni animæ. 308
Actionum rationem nullam quando alteri reddere teneamur. 158
Actionum dijudicatio quando conſcientiæ alterius relinquenda. 157
Actionum liberarum differentia. 74
Actus externi ad agnitionem Dei facientes quod ſpectent ad cultum Dei externum. 1239
Acumen acquirendum & augendum. 228
Acumen pervidendi abſtracta in concretis. 229
Adhortari alios quando ſit pars cultus divini externi. 1241
Adulatio. Definitio. 892. quod ſit naturaliter prohibita. 893
Ædes quales hominem deceant. 462. 463. quales dedeceant. 464. quod extruendæ. 460. quales extruendæ. 469. quænam circa eas cura nos tangere debeat quoad alios. 644
Ædibus ut careat alter facere illicitum. 761.
Ædium neceſſitas & uſus. 459
Æqualitas moralis hominum. 78. quod natura iis competat. 81. diſtincte explicatur. 89. 92. tollitur præcedentia. 107. in quonam ſtatu obtineat. 190
Affectus rationi ſubjiciendi. 289. quando cum appetitu & averſatione rationali conſentiant. 275
Affectus compeſcere quid ſit. 291. quod debeamus. 294
regere quid ſit. 292. quod debeamus. 295
ſedare quid ſit. 293. quando ſedandi. 296. 297
Agricultura num præcepta. 507
Aggreſſor. Definitio. 979. quantum in eum liceat. 980. num eidem opem ferre liceat. 986. 1007. quando in eum plus liceat, quam ex cauſa data. 1009 num interficere liceat. 1013. 1014. 1019
Agilitas. Definitio. 329. quale ſit bonum. 751
Agnitio Dei præcepta. 1129. qualis eſſe debeat. 1140
Agnitio Dei ex creaturis præcepta. 1131
ex ſeipſo præcepta. 1135
Agnitio Dei viva ad cultum Dei internum referenda 1234
Alieni juris quinam ſit. 141. quid hic facere teneatur. 142
Alienum. Definitio. 139. an ſimul poſſit eſſe ſuum. 140
Alimentum. Definitio. 381
Alimentum medicamentoſum. Definitio. 414
Alteri quid non faciendum. 98. 101. quid faciendum. 99. 102
Ambitio. Definitio. 570. quod ſit prohibita. 571
Amaritudo. Definitio. 955. quod ſit prohibita. 956
Amicitia. Definitio. 625. univerſaliter præcepta. 627. quale ſit bonum. 773. quod

quod ejus cauſa non peccandum. 635. quod acquirenda & conſervanda. 636. num impedire, quo minus eam conſequaris, ſit læſio. 682. num hoc facere liceat. 696
Amicitia mutua hominum promovenda, 762. 770. conſervanda. 763. non impedienda. 772
Amicus. Definitio. 625. num homo inimici eſſe debeat. 623. an in præſtandis officiis humanitatis inimico præferendus. 777
Amicis carere ac privari quale malum. 775
Amor aliorum præceptus. 619
Amor complacentiæ. Definitio. 1171
Amor Dei quid ſit. 1171. qualis ſit. ib. præceptus. 1172. 1173. 1174
Amor inimicorum præceptus. 632. num ferat defenſionem ſui. 998
Amor inordinatus. Definitio. 607. *not.*
ordinatus. Definitio. 607. *not.*
proprius. Definitio. 606
rationalis. Definitio. 607. *not.*
Amoris effectus. 1175. 1176
Amoris & odii repugnantia. 623
Animæ perfectio in quo conſiſtat, 201
perfectio eſſentialis in quo conſiſtat. 202
accidentalis in quo conſiſtat. *ibid.*
Animus qualis eſſe debeat in exſpectatione futurorum. 1197. qualis quoad providentiam divinam. 1200
Animus abjectus. Definitio. 585. quod ſit prohibitus. 586
indifferens in alios illicitus. 630
Animus injuriandi. Definitio. 880. quod ſit dolus. 881
Anthropophagus. Definitio. 385
Appetitus perfectio in quo conſiſtat. 270. 271. unde æſtimanda. 272
Appetitus ſenſitivus perficiendus. 273. cum rationali in conſenſum reducendus. 267
Aptitudo ad vitæ genus Definitio. 532
Aptitudo repræſentandi Deum præcepta, 1134
Arrogantia. Definitio. 566. quod ſit prohibita. 567
Ars. Definitio. 260. acquirenda. 261. quænam unicuique addiſcenda. 262
Artes quinam invenire & excolere obligetur. 264
Ars inveniendi acquirenda. 250. quantum ab unoquoque. 251
Artium ſcientia acquirenda. 263
Aſſentatio. Definitio. 963. blanditiei ſpecies quædam. 963. illicita. 964
Aſſiduitas laboris. Definitio. 535. præcepta. 537
Atheus num perfectionem hominis cognoſcere poſſit. 341
Attentionis gradus acquirendi. 213
Audacia. Definitio. 604. quod ſit prohibita. 605
Averſationis perfectio in quo conſiſtat 270. 271. unde æſtimanda. 272
Averſatio ſenſitiva perficienda. 273. cum rationali in conſenſum reducenda. 267
Avocatio a vitiis non impedienda. 712
Autochiria. Definitio. 354. an jure naturali licita. 355. an lege naturali prohibita. 356. an illicita. 357. num furioſis. 363. melancholicis. 364. amore inſano correptis imputari poſſit. 365
Autochirum mors qualis ſit. 358. 362
Auxilium in promovenda perfectione num cuidam obtrudendum. 665. 666. quinam, ut ei feratur, mereatur. 667. in bonis acquirendis cui ferendum. 612. aliis præſtandum quoad bona corporis privativa. 758. alteri ferendum quando impedire non liceat. 703. in corpore, vita & integritate membrorum conſervandis impeditum num ſit læſio. 684
Axiomata cognoſcenda. 249

B

B*Ellanti* quando opem ferre liceat. 1116
Bellum. Definitio. 1102. an in ſe illicitum. 1105. quando non gerendum. 113. quomodo gerendum. 1119. num amori inimicorum repugnet. 1120
Bellum injuſtum. Definitio. 1110. quod illicitum. 1111. 1112. gerenti num auxilium ferre liceat. 1115
Bellum juſtum. Definitio. 1110. quod licitum. 1111. in eo quid licitum & illicitum. 1113
Blanditiei Definitio. 961. quod ſit licita. 962
Blaſphemia. Definitio. 1156. in quo conſiſtat. 1157. quod prohibita. 1158
Bona quænam acquirenda, 181. omnia Deo accepta ferenda. 1208. a Deo accepta quod exigant officium. 1209. quo minus alter conſequatur, impedire num ſit læſio. 680
Boni abſentia num ſit malum. 754
Boni cognitio præcepta. 225. qualis eſſe debeat. 239
Boni ſcientia unicuique acquirenda. 242
Bono quodam alterum privare num ſit læſio. 692

Digitized by Google

Bonorum ſuorum cauta æſtimatio. 574
Bonum bono referre quid ſit. 797. quodnam motivum hoc facientis. 803. quod ſit præceptum. 806
Bonum malo referre quid ſit. 800. quale ſit hoc facienti motivum. 805. quod id ſit prohibitum. 807
Bonum verum appetendum. 265. ab apparente diſcernendum. 266
Bona animi quænam ſint. 714. 715. num exiſtimationem, honorem ac laudem pariant. 824. 825
Bona corporis quænam ſint. 751. 757. quatenus pariant exiſtimationem, honorem ac laudem. 649. quo minus ea alter conſequatur, non impediendum. 696
Bona fortunæ quænam ſint. 688. 773. 776. quatenus pariant exiſtimationem, honorem ac laudem. 649. quo minus ea alter conſequatur, non impediendum. 696

C

Calumnia. Definitio. 854. num ſit injuria. 860. qualis ſit injuria 877. num ſit offenſa. 943. quando exigat defenſionem. 1046
Calumniari num ſit licitum. 836. 852. 853
Calumniatoris intentio. 847. 835. facta, 834. fides, quando labefactanda. 1055. quando ei vim inferre liceat. 1056
Calumniæ manifeſtæ. Definitio. 1037. num mereantur defenſionem. 1042
Calumniæ non manifeſtæ. Definitio. 1037 quod exigant defenſionem. 1047
Calumniæ ſpecioſæ. Definitio. 1037. quod exigant defenſionem. 1045
Cantus hymnorum quem habeat uſum, 1245. quod ſit pars cultus divini externi. 1248
Caro humana num ſit alimentum corporis. 386. num ejus veſcendæ gratia hominem occidere liceat. 387. 747
Carne cadaverum num veſci liceat. 388. 390. quando id permiſſum. 389
Carnibus animalium num veſci liceat. 384
Cauſa belli juſta. Definitio. 1108. quænam ſit. 1109
Cauſam mali alterius eſſe num ſit læſio. 693
Celebratio nominis divini. Definitio, 1204. quod ſit præcepta. 1205. 1209. 1210. effectus naturæ quomodo in ea conſiderandi. 1206. quomodo Deus & quæ præter eum exiſtunt in ea ſpectanda. 1207. eſt ſpecies glorificationis externæ. 1235. pars cultus interni. 1234. & externi. 1237.
Ceremoniæ quando in cultu divino adhibendæ. 1249. quinam eas inſtituendi jus habeat. 1250
Charitas. Definitio. 620. quod ſit præcepta. 621. quouſque extendatur. 654
Cibus. Definitio. 382. an idem omnibus ſalubris. 396. quo fine capiendus. 408 439. 440. num ſolius voluptatis gratia appetere eum liceat. 412. quali utendum. 399. circa eum quoad alios quidnam ſit debitum. 644. 761
Cibi quantitas quomodo determinanda. 403. quænam ſit nimia. 404. quod nimia noceat. 401. quod ab ea abſtinendum. 402. quæ nimis modica. 404
Ciborum differentia cognoſcenda. 400
Cibus ſalubris. Definitio. 395
inſalubris. Definitio. ibid.
Cibus ſapidus quando minus ſapido præferendus. 411
Circumſtantiæ propriæ. Definitio. 255
alienæ. Definitio. ibid.
Cognitio quænam alteri præferenda. 222. num eorum, quæ alteri ignominiæ ſunt, licita ſit. 826
Cognitio hominis quomodo promovenda. 195. 196
Cognitio aliorum præcepta. 193. qualis ſit. 194
Cognitio ſui ipſius præcepta. 192
Cognitio diſtincta. Definitio. 219. quod acquirenda. 220. 221
confuſa. Definitio. 219. cauſa. ib.
Comitas. Definitio, 890. quod ſit præcepta. 891. etiam erga ſuperbos. 902
Commoditas vitæ alterius quod promovenda. 645. non impedienda. 702. quod eam impedire ſit læſio. 686. 687
Communicatio pœnæ. Definitio. 1081. inter quos locum habeat. 1082. quomodo fiat. 1083
Confidere Deo quid ſit. 1186. quod Deo confidendum. 1187
Confidentia nimia de Deo. Definitio. 1193. quod ſit prohibita. 1194
Confidentia nimia de ſe, hominibus & rebus. Definitio. 1195. quod ſit prohibita. 1196

Digitized by Google

Conſcientiæ cuſtodia requirit cognitionem Juris naturalis. 9
Conſenſus uſus facultatum in quo conſiſtat. 203. ad eum conſequendum obligatio. 204
Contemplatio univerſi quomodo fiat pars cultus divini. 1240
Contemtus. Definitio. 787. quale judicium ſupponat. 788. quod non ſit nuda honoris & laudis omiſſio. 791. num ſit injuria. 860. 877. num ſit offenſa. 943. an fiat contra jus alterius. 856. 857. quod alios contemnere prohibitum. 790. quod nemo habeat jus alios contemnendi. 852. 853. quinam alios ob corporis vel fortunæ bona contemnant. 789
Contemtor num contemnendus. 793. num in contemtum aliorum adducendus. 794. num honorem ac laudem ejus impedire liceat. 795. num odiſſe eum liceat. 792. num eidem iraſci liceat. 792
Contemtoris verba & facta. 842. intentio. 843
Contentus cur forte ſua eſſe debeat homo. 1198
Contumelia. Definitio. 812. num ſit offenſa. 943. num ſit injuria. 860. qualis ſit injuria. 877
Contumelias in alium edere num liceat. 832. quibus id fiat actibus. 846. quod hoc fiat contra jus alterius. 856. 857. quod nemini hoc faciendi jus ſit. 852. 853
Contumelias rependere contumeliis num liceat. 838
Conventus cultus divini gratia celebrandi. 1251. quomodo celebrandi. 1252
Convicium. Definitio. 815. num ſit injuria. 860. qualis injuria. 877. num ſit offenſa. 943. quod fiat contra jus alterius. 856. 857. quod ſit prohibitum. 833. quod nemini competat jus alterum conviciandi. 852. 853. quod convicio convicium rependere non liceat. 838
Conviciatoris intentio. 861
Corpus conſervandum. 349. quod cibo ac potu conſervandum. 380. num liceat ornare. 489. 490. quando deceat ipſum ornare & quando hoc fieri debeat. 491. quando imperfectioni obnoxium fiat. 392. quamdiu perfectio ejus ſubſiſtat. 391
Corporis alieni cura. 640
Corpus humanum quot modis conſideretur. 316
Corporis humani perfectio in quo conſiſtat. 335. unde pendeat. 336. 337. quod ſit compoſita. 338. quorumnam organorum integritatem ſupponat. 339
Corpus mortuum quo tendat. 369
Corpus mundum facere quid ſignificet. 494
Corpus qua ſe movens ad quænam ſit aptum. 328. quando imperfectioni obnoxium fiat. 334
Corporis qua ſe moventis perfectio in quo conſiſtat. 330. quotuplex ſit. 331. quomodo inſit. 332. qualium membrorum integritatem ſupponat. 333. quamdiu ſubſiſtat. 334
Corpus qua ſentiens quando imperfectioni obnoxium fiat. 327
Corporis qua ſentientis perfectio in quo conſiſtat. 323. qualis ſit. 324. quomodo inſit. 325. qualium membrorum integritatem requirat. 326. quamdiu ſubſiſtat. 327
Corporis qua vivi perfectio in quo conſiſtat. 317. qualis ſit. 318. quomodo inſit. 319
Corpus qua vivum quando imperfectioni obnoxium fiat. 322
Corporis vulnerati ſtatus. 736. 737
Corporis ornatus. Definitio. 476
Crudelitas. Definitio. 957. quod ſit prohibita. 958
Culpa num lege naturali prohibita. 299. 882. an in læſione exiſtimationis vel famæ alterius permiſſa. 883
Culpa vitanda ſupponit cognitionem Juris naturæ. 10
Culpa media vitanda. 301
Cupiditas vindictæ. Definitio. 947. quod ſit prohibita. 948
Cultus divinus in quo conſiſtat. 1229. a Deo exigitur. 1121. lege naturali præceptus. 1123. ex ipſa eſſentia & natura hominis fluit. 1122. in omni actione locum habet. 1124. qualem actionum determinationem exigat. 1125. enti non Deo non exhibendus. 1259. 1260. Diis falſis & idolis non deferendus. 1261
Cultus divinus externus. Definitio. 1230. præceptus. 1231. in quonam conſiſtat. 1235. & ſeqq.
Cultus divinus internus. Definitio. 1230.

præceptus. 1231. in quo conſtat. 1234 ab externo non ſeparandus. 1254
Cura hominum de ſufficiente rerum copia. 511

D

Decori fons in actionibus miniſtris. 437
Defenſio ſui. Definitio. 972. num ſit licita. 974. an ſit injuria. 976. quando ab injuria libera, peccato tamen non vacet. 1006. num ſit bellum. 1114. qua cautione fieri debeat. 983. 984. quando modum excedat. 1001. num fiat ex odio in aggreſſorem. 996. num inimico in eum animo. 997. num ex cupiditate vindictæ. 999. an amori inimicorum repugnet. 998. an manſuetudini. 1000. an eidem ſe opponere licitum. 985. an contra errantem licita. 1016
Defenſio alterius præcepta. 990. vacat injuria. 991
Defenſio corporis ſui cum interfectione alterius quando licita. 1013
Defenſionis exceſſus in quo conſiſtat. 1001. quod ſit prohibitus. 1001. unde proficiſcatur. *ibid.* eſt læſio aggreſſoris. 1002. num defenſio adverſus eundem ſit injuria. 1005
Defenſio contra calumnias in quo conſiſtat. 1039 quando ceſſet. 1042. & ſeqq. quando illicita. 1044. quando debita. 1045. & ſeqq. ejus ſpecies. 1048
Defenſio verbalis contra calumnias. Definitio. 1048. quomodo fiat. 1049. quando fieri debeat. 1052. quid in ea licitum. 1053. quando reali præferenda. 1053. quando ea non opus. 1054
Defenſio famæ in quo conſiſtat. 1039. quod ſit licita & debita. 1033. quid in ea licite fiat. 1040. 1041
Defenſio exiſtimationis in quo conſiſtat. 1039. quod licita & debita. 1034
Defenſor qua intentione agat. 992. quomodo velit malum aggreſſoris. 993. an voluptatem ex eo percipere debeat. 994. 995. num aggreſſorem odiſſe liceat. 990. modum excedens ſit aggreſſor. 1003
Definitiones cognoſcendæ. 249
Delectationes ſenſuales quales ſint. 409. num iiſdem frui liceat. 410
Demonſtrandi habitus acquiri debet. 237
Demonſtrationes cur in Jure Naturæ locum habeant & unde petendæ. 2
Deſiderium. Definitio. 1217
Detegendi ea, quæ ad cognitionem hominis & ſtatus ejus neceſſaria, obligatio. 195
Deus num licentiam vivendi homini concedere poſſit. 151. quomodo in celebratione nominis divini conſiderandus. 1207. quod colendus. 1122. quod coli velit. 1121. quomodo colendus. 1162. quod in omni actione colendus. 1124. eſt dominus corporis & animæ noſtræ. 379. agnoſcendus. 1129. 1130. 1131. 1135. amandus. 1172. 1173. 1174. celebrandus. 1205. 1209. 1210. invocandus. 1221. magnificiendus. 1181. timendus. 1177. quænam ab eo deſideranda. 1218. ei confidendum. 1187. gratiæ agendæ. 1212
Deo vivere quid ſit. 1227. quod præcipiatur. 1228
Deum repræſentandi aptitudo acquiri a nobis debet. 1134
Deum ſimpliciter ignorans num perfectionem corporis cognoſcere poſſit. 342
Dei repræſentationes hieroglyphicæ num licitæ. 1263
Diæta. Definitio. 418. obſervanda. 421
Diffidentia in Deo. Definitio. 1189. prohibita. 1190
Dii falſi. Definitio. 1257. non colendi. 1261
Dilectio alterius. Definitio. 617. præcepta. 618. quo tendat. 653
Dilectio inimicorum præcepta. 632
Dilectio ſui. Definitio. 606. præcepta. 607
Diligentia in labore præcepta. 536
Diſſenſus facultatum vitandus. 205
Docere alios quando ſit pars cultus divini externi. 1241
Doctrina ſolida acquirenda. 238
Dolus vitandus. 300
Dominia introducta num tollant ſtatum libertatis. 147
Dominium in corpus ſuum num homini competat. 374. in aliquod organon corporis num competat. 374
Dominium in ſenſus, imaginationem & affectus acquirendum. 288
Dominium in vitam ſuam num habeat homo. 351. num quis in vitam alterius.

Dominus ſui quod quiſque eſſe debeat. 290.
Dominus vitæ ſuæ num ſit homo. 352. num quis ſit dominus vitæ alterius. 750.

E

Ebrietas. Definitio. 422. effectus. 423. fugienda. 424
Entia ejuſdem eſſentiæ num habeant eandem naturam. 30
Error quinam vitandus. 707. non faciendum, ut alter in eodem perſeveret. 709. 710
Errores inſinuare alteri illicitum. 708
Error externus in corpore quid ſit. 348
Error vincibilis prohibitus. 706
Eventus dubius quinam & unde ſit. 1191. providentiæ divinæ committendus. 1192
Euryſthmia corporis. Definitio. 478. ad pulchritudinem requiritur. 479
Exlex. Definitio. 165. an quiſquam ſit. 166. an homo liber ſit. 168
Exlegem eſſe eſſentiæ ac naturæ humanæ repugnat. 167
Exemplo alieno num tueri liceat tranſgreſſionem legis naturæ. 932
Exemplo noſtro quomodo aliis prodeſſe debeamus. 639. 930
Exempla bona quænam ſint. 929. aliis præbenda. 930. imitanda. 931
Exempla mala quænam ſint. 929. non prodenda. 930. non imitanda. 931
Exempla in cultu divino externo aliis præbenda. 1242
Exiſtimatio. Definitio. 538. an ſit in noſtra poteſtate. 539. quomodo factis contrariis defendenda. 1052. quantum pendeat a bonis corporis & fortunæ, 649. quænam eam pariant. 824. 825. 549. 551. an vi defendi poſſit. 1036. an cæde alterius defendi poſſit. 1035. quomodo verbis defendatur. 1049. an omnium eadem in ſtatu naturali. 559. ejus effectus. 840. num eam intendere liceat. 562. quinam ea ſit dignus. 544
Exiſtimatione dignos quod nos reddere debeamus. 545. quænam eadem dignos probent. 552
Exiſtimationem defendendi modus licitus. 1040. 1041
Exiſtimationis defenſio in quo conſiſtat. 1039. quod ſit licita & debita. 1034
Exiſtimatio aliorum quanta eſſe debeat, 647. eidem adverſa quando non credenda. 1038
Exiſtimationi alienæ detrahere quid ſit. 870.
Exiſtimationem alienam quinam lædat. 867. num lædere licitum. 869

F

Facere quanti quis ſeipſum debeat. 575
Facta qualia ignominiam pariant. 821. 822. 823.
Facultates animæ quomodo perficiantur. 209
Facultatum noſtrarum uſus quinam cognoſcendus. 191. cur tentandus. 197 in quo conſiſtat. 198. quinam fieri debeat 172. in officiis quoad nos. 173. in officiis quoad alios. 609. quod omnium in agendo præceptus. 302
Facultatum noſtrarum non uſus in ſervanda lege naturæ prohibitus. 174. 206. in cujus poteſtate ſit eum vitare. 207
Facultatum diſſenſus vitandus. 205
Facultatum animæ habitus acquirendi. 211.
Facultatis appetendi uſus in quo conſiſtat. 274
averſandi uſus in quo conſiſtat. ibid.
Facultatum ſuperiorum uſus undenam ſit. 199
inferiorum uſus undenam ſit. 200
Facultas reflectendi perficienda. 214
Facultas naturalis corporis quænam dicatur. not. 306
animalis corporis quænam dicatur. not. ibid.
Facultas motrix ſeu *locomotiva* corporis. Definitio. 306. quomodo inſit. 314. num ſubſit directioni animæ. 315
Facultas ſenſitiva corporis. Definitio. 306. uſus unde ſit. 310. quando ſubſit directioni animæ. 312
Facultas vitalis corporis. Definitio. 306. uſus unde ſit. 307
Fama. Definitio. 553. obligatio quoad eam. 554. & ſeqq. quale bonum. 688. quomodo verbis defendatur. 1049. quomodo factis defendatur. 1052 num vi defendi poſſit. 1036. an cæde alterius. 1035. an læſione corporis. 1035
Fama bona. Definitio. 553
mala. ibid.
magna. ibid.

par-

parva. ibid.
lata. ibid.
arcta. ibid.
Famæ aliena cura. 650. læſio prohibita. 868. etiam ſi alter prior læſerit. 872. quinam eam lædat. 867
Famam alterius impedire num ſit læſio. 689. num hoc facere liceat. 696
Famæ alterius adverſa quando non credenda. 1038
Famæ alterius detrahere quid ſit. 870. quod ſit illicitum. 871. etiamſi alter prior fecerit. 872. 873
Famæ defenſio in quo conſiſtat. 1039. quomodo licite fiat. 1040. 1041. num ſit debita. 1033
Famam ſervare. Definitio. 556. quod ſit præceptum. 557
Famæ ſervire quando debeamus. 558
Familiare quando ſit cognoſcibile. 245
Faſtus. Definitio. 583. prohibitus. 584.
Felicitatis acquiſitio exigit notitiam Juris naturæ. 7. quod ſit præcepta. 280
Felicitas propria num alienæ præponenda. 622. quod una cum perfectione promoveatur. 652
Felicitas aliena promovenda. 614. non impedienda. 698. num eam impedire ſit læſio. 678 679
Fides calumniatoris quando labefactanda. 1055
Fiducia in Deo. Definitio. 1186. præcepta. 1187. ad cultum Dei internum referenda. 1234
Finis capiendi cibum ac potum. 439. quinam non intendendus. 440
Fortitudo. Definitio. 600. præcepta. 601
Fortuna adverſa num meliora deſperanda. 589 1188. qualis eſſe debeat animus. 591. num reddamur infelices. 590
Fortuna ſecunda num confidere debeamus. 587. quomodo nos gerere debeamus. 588
Fractura. Definitio. 734. quinam ſtatus corporis inde pendeat. 737. quod ſit morbus. 738. quale ſit malum. 753. ejus abſentia quale bonum. 757
Fructibus arborum veſci licitum. 384
Fuga quando nobis conſulere debeamus. 1010. 1011
Furioſus num ſui defendendi cauſa occidi poſſit. 1015
Futurorum expectatio qualem requirat animum. 1197

G

Garritus in genere quid ſit. 1225. in orando quid ſit. 1225. in orando prohibitus. 1126
Gloriæ divinæ obſcuratio. Definitio. 1153. prohibita. 1154
Glorificatio Dei externa. Definitio. 1232. præcepta. 1233. pars cultus divini. 1236
Graviori pœna quando afficiendus, qui leviori emendari poterat. 1068
Gratiarum actio. Definitio. 1211. præcepta. 1212. ad cultum Dei internum referenda. 1234
Gratitudo erga Deum. Definitio. 1213. præcepta. 1214
Gratus erga Deum animus pars cultus divini externi. 1234

H

Habituum ab aliis acquirendorum cura. 637
Habitus animæ compoſiti. Definitio. 216. *ſimplices*. Definitio. 216
Habitus demonſtrandi acquirendus. 237
Habitus diſtinguendi rebus inexiſtentia acquirendus. 227
Habitus facultatum animæ acquirendi. 211. 217
Habitus intellectus acquirendi. 212
Habitus judicia determinata formandi acquirendus. 232
Habitus moralis. Definitio. 276. quinam ſint. 277
Habitus notiones diſtinctas reſolvendi acquirendus. 230
Habitus noluntatis acquirendi. 274
Habitus recte ratiocinandi acquirendus. 234
diſtincte ratiocinandi acquirendus. 235
Habitus voluntatis acquirendi. 274
Habitus utendi appetitu & averſatione ſenſitiva acquirendi. 274
Habitus utendi facultatibus qualia ſint bona. 714
Homicidium. Definitio. 741
Homicidium caſuale. Definitio. 1028. a culpoſo differentia. 1029. an lege naturæ prohibitum. 1030. an committenti imputari poſſit. 1030
Homicidium culpoſum. Definitio. 1025. prohibitum. 1026

Ho-

Digitized by Google

Homicidium doloſum. 1023
Homicidium neceſſarium. Definitio. 1021. an ſit licitum. 1022
Homicidium voluntarium. Definitio. 1023. prohibitum. 1024
Homines quo ſenſu dicantur æquales, 78. quo inæquales. 79. num natura ſint æquales. 81
Homo num ſit vitæ ſuæ dominus. 352. an ei ſeipſum vita privare liceat. 353 num ſit dominus corporis ſui aut organi cujuſdam. 375. quale jus habeat in corpus. 376. quale in organa corporis. 378 quomodo ſpectandus in celebratione nominis divini. 1207
Homo moralis. Definitio. 70. eſſentia. 71. attributa. 72. modi. 73
Homo moralis integer. Definitio. 75. vita qualis ſit. 76
corruptus. Definitio. 75. vita qualis ſit. 77
Honeſtas. Definitio. 968. præcepta. 969
Honeſte vivere quid ſit. 968
Honorare quinam alterum poſſit. 540
Honor. Definitio. 538. an ſit in poteſtate noſtra. 539. quibus actibus exhibeatur. 841. quale ſit bonum. 688. an omnium idem in ſtatu naturali. 560 quantum pendeat a bonis corporis & fortunæ. 649. quod aliis exhibendus. 648
Honorem an intendere liceat. 562. quænam pariant. 550. 551. 824. 825
Honorem alterius num impedire liceat, 696. num impedire ſit læſio. 689. quinam lædat. 867. an lædere liceat. 869
Honorem contemtoris ſui num impedire liceat. 795
Honori alterius detrahere quid ſit. 870
Honore quinam dignus. 544. quod nos dignos reddere debeamus. 545. quænam dignum probent. 552
Horticultura num ſit præcepta. 507
Humilitas. Definitio. 581. præcepta. 582
Humanitas. Definitio. 894. præcepta. 895. etiam erga inhumanos. 902
Hypocrita quinam ſit. 1161
Hypocriſis. Definitio. 1161. prohibita. 1163.
Hymni. Definitio. 1244. utilitas. 1245. æquipollentia cum oratione. 1246. quod componendi & cantandi. 1247. quod eorum cantus pars cultus divini externi. 1248

I

Idola. Definitio. 1257. an iis cultum divinum exhibere prohibitum. 1261
Idololatria. Definitio. 1258. prohibita. 1262.
Ignominia. Definitio. 811. quando vera. 816. quænam eam pariant. 820. 821. 822. quod ſit vitanda. 818. 819. num ſit injuria. 860
Ignominiæ quænam ſint. 827
Ignominiæ quæ ſunt alteri num cognoſcere. 826. num propalare liceat. 828. 831.
Ignominiam num ignominia rependere liceat. 837
Ignominia nemo afficiendus. 829. 831
Ignominia afficere alium num charitati repugnet. 830. num ſit contra jus alterius. 856. 857. num ſit offenſa. 943
Ignominia afficientis alium quinam ſint actus. 845
Ignominia afficiendi alios jus num cui eſſe poſſit. 852. 853
Ignominioſi actus qualis injuria. 877
Ignorantia invincibilis num ſit contra legem naturæ. 224
Ignorantia vincibilis num legi naturæ contraria. 223. in ea ut quis perſeveret non faciendum. 704. ab ea ne quis liberetur non impediendum. 705
Ignoſcere quid ſignificet. 959
Imaginatio extendenda. 215. rationi ſubjicienda. 289. cum intellectu in repræſentando bono conſentire debet. 268
Impatientia. Definitio. 594. prohibita. 595.
Impedire alterum, ne faciat, quod debet num ſit læſio. 676
Imperfectio quouſque vitanda. 182. quo minus alter ab eo liberetur non impediendum. 697
Imperfectiones animæ, corporis & ſtatus externi, quænam ſint cognoſcendæ, 190.
Imperfectio propria. Quænam in ea conſideranda. 579. quomodo in ea homo ſe conſiderare debeat. 580. quid ex ea diſcendum. 576
Impietas. Definitio. 1149. lege naturali prohibita. 1152
Impius num legem naturæ normam actionum agnoſcat, 1150. num Deum colat. 1151

Im.

Digitized by Google

Implacabilitas. Definitio. 781. quod ſit prohibita. 782
Impotentia utendi facultatibus animæ quale malum. 716. 755
Improvidentia vitanda. 301
Imprudentia vitanda. *ibid.*
Inæqualitas moralis hominum. 79. undenam ſit. 85. 86
Inceſſus qualis eſſe debeat. 455. qualis hominem deceat. 456. qualis dedeceat. 457
Incogitantia vitanda. 301
Inconſiderantia vitanda. *ibid.*
Incuria vitanda. *ibid.*
Independentia a voluntate alterius cuinam competat. 150
Indifferenti in alios animo quinam ſit. 629. quod in præſtandis officiis humanitatis inimico præferendus. 778
Infamia. Definitio. 862. vitanda. 863 purganda. 864. an alteri eam adſpergere liceat. 866
Infamia alterius præcavenda. 865
Infelicitas fugienda. 280
Infelix nemo reddendus. 721
Ingenium perficiendum. 252
Ingenuus. Definitio. 161. quinam ſint in ſtatu originario. 162
Ingratitudo erga Deum. Definitio. 1215 prohibita. 1226
Inhoneſtas. Definitio. 970. prohibita. 971.
Inhoneſte vivere quid ſit. 970
Inhumanitas. Definitio. 896. prohibita. 897
Inimicitia. Definitio. 626. univerſaliter prohibita. 628. quale malum. 774
Inimici amicis num eſſe debeamus. 633
Inimici diligendi. 632. nobis reconciliandi. 768. alteri reconciliandi. 765. ſibi invicem reconciliandi. 771
Inimicis carere, quale bonum. 776. ab iis liberari quale bonum. *ibid.*
Inimicus nemo nobis reddendus. 634. nemo alteri reddendus. 764
Inimicus animus in puniendum illicitus. 1077.
Injuriæ num ſint contra jus perfectum alterius. 886
Injuria generaliter quid ſit. 859. illicita 911. num ſit offenſa. 942
Injuria ſpecialiter quid ſit. 874. num ſit injuria generaliter dicta. 887
Injuria realis. Definitio. 875. prohibita. 878. quotuplex. 884
Injuria verbalis. Definitio. 875. prohibita. 878. quotuplex. 885
Inobedientia. Definitio. 1168. erga Deum prohibita. 1169
Inofficioſitas. Definitio. 900. prohibita. 901.
Innocens quinam ſit. 1085. an puniri poſſit. 1086
In poteſtate noſtra quænam ſint, & non ſint. 175. num ad ea, quæ non ſunt, detur obligatio. 176
In inſidiatorem quid ſit licitum. 1018
Inſtrumenta ad obſervandum & experimentandum num jure fiant. 1137
Intelligentia. Definitio. 247. acquirenda. 248
Integritas membrorum corporis conſervanda. 372. etiam alieni. 642. 728
Intellectus habitus acquirendi. 212 *perfectio* in quo conſiſtat. 218. gradus. *ib.*
Invocatio Numinis. Definitio. 1219. *mentalis* quænam dicatur. 1219. præcepta. 1220. a Deo exacta. 1221. ad cultum Dei referenda. 1234
Iracundia. Definitio. 952. prohibita. 953
Iraſci contemtori num liceat. 792
Jucunditas vitæ alterius num impedienda. 702. num eam impedire ſit læſio. 686. 687
Judicia determinata formandi habitus acquirendus. 232
Judicia intuitiva formanda. 249
Judicium ſiniſtrum de aliorum actionibus, quatenus libertati naturali adverſum. 854
Jura quibus legibus explicentur. 55. num pateant per officia. 58. cur ſigillatim demonſtranda. 59. quænam perfecta, 905. 908. quænam imperfecta. 906. 907
Jus in actiones ſuas quale habeat homo. 148. in actiones alterius quid ſit. 137 quale ſit. *ib.* quoad ædificia. 461. in aggreſſorem quantum ſit. 980. in eum, qui aggreſſorem juvat. 987. in corpus ſuum quale ſit. 376. ad actus quoad cognitionem rerum naturalium. 1138 quoad exempla. 933. quoad eſculenta & potulenta. 383. quoad ea, quæ ad felicitatem noſtram faciunt. 284. in eum, qui gloriam Dei obſcurat. 1160. in inſidiatorem. 1018. in eum, qui te læſit. 1058. quantum ſit. 1059. quomodo eo utendum. 1060. ad medicamenta. 416. in res naturales quoad uſum ad eorum cognitionem neceſſarium. 1136. quoad orna-

ornamenta. 493. quoad pulchritudinem. 483. 487. quoad veſtimenta. 458. quoad uſum facultatum acquirendum. 208. quoad vitæ commoditatem. 468. jucunditatem. 472
Jus unde oriatur. 23. quale ſit in ſtatu naturali. 125. ſine obligatione nullum. 25
Jus abſolutum. Definitio. 48. quale ſit. 51. 53. num titulo opus habeat. 116
Jus acquiſitum. Definitio. 35. nexus cum natura & eſſentia humana. 36. num homini natura competat. 37. quale ſit. 38. quatenus homini competat. 66. an auferri poſſit. 67
Jus connatum. Definitio. 26. nexus cum obligatione connata. 27. nexus cum eſſentia & natura hominis. 28. univerſalitas. 29. an omnium hominum idem, 31. unde homo habeat. 33. quale ſit. 50. num homini auferri poſſit. 64. an acquiratur. 114. an opus habeat titulo. 115
Jus defendendi aſſertum. 973. an ſit infinitum. 978
Jus derivativum. Definitio. 46. unde demonſtretur. 47
Jus fictum. Definitio. 149
Jus hypotheticum. Definitio. 48. quale ſit. 52. 54.
Jus infinitum. Definitio. 977
Jus majus. Definitio. 88
minus. Definitio. *ibid.*
Jus Naturæ. Definitio. 1. fons demonſtrationum. 2. methodus eidem conveniens, *not.* 2. quænam in eo tradenda. 3. quænam ſupponat. 4. cui ſcitu neceſſarium. 6. & ſeqq. ejus cognitio neceſſaria. 5
Jus primitivum. Definitio. 44. unde demonſtretur. 45
Jus ſecuritatis. Definitio. 917. aſſertum. 918.
Jus ſingulare. Definitio. 14. quale ſit. 54.
Jus univerſale. Definitio. 13. quale ſit. 53. num homini auferri poſſit. 65. num titulo indigeat. 116
Jus aggreſſoris in defenſorem quoad exceſſum defenſionis. 1004
Jus belli. Definitio. 1103. cuinam & in quos competat. 1104. quantum ſit. 1107.
Jus in calumniatorem quantum ſit. 1051
Jus ceremonias in cultu Dei inſtituendi cuinam competat in ſtatu naturali. 1250
Jus conficiendi inſtrumenta ad obſervandum & experimentandum. 1137
Jus defenſionis ex cauſis ſubnaſcentibus ſpectandum. 1108
Jus defendendi alterum. 990
Jus exiſtimationem defendendi aſſertum. 1034.
Jus famam defendendi aſſertum. 1033
Jus fruendi delectationibus ſenſuum quale homini competat, 410
Jus agendi, ne alter ſiniſtre de te judicet. 855
Jus extruendi ædificia pulchra. 473
Jus impediendi læſionem alterius. 989
Jus lege naturali prohibita faciendi num detur. 850. 851
Jus non patiendi læſionem aſſertum. 913. uberius explicatum. 914. libertati naturali convenit. 916. *non patiendi* ut alter faciat, quod imperfectionem tuam promoveat. 912
Jus occidendi ſeipſum num quis alteri conferre poſſit. 744. num homini competat. 353
Jus ad officia humanitatis quale competat. 661
Jus perſequendi vi jus ſuum aſſertum. 1101. quantum ſit. 1106
Jus perfectum & imperfectum unde. 905. & ſeqq.
Jus petendi officia humanitatis cuilibet competit. 903. an ſit perfectum. 904. an quod huic adverſum ſit injuria. 909
Jus puniendi natura homini competit. 1061. quantum ſit. 1063. in eum, qui ad læſionem concurrit. 1080. obſcurationem gloriæ divinæ num homini competat. 1158
Jus voluptate tranſitoria fruendi quale homini competat. 286
Juris abuſus. Definitio. 61. prohibitus. 62. illicitus. 63
Jure ſuo utens num faciat alteri injuriam. 975
Juris violatio num ſit læſio. 920. prohibita. 910. num licita homini libero. 160
Juris uſus quinam fieri debeat. 62
Juris uſus rectus Definitio. 61. quod ſit præceptus. 62. quod debitus. 63
Jus acquirere quinam dicatur. 111
contra *Jus alterius facere* num quicquam liceat. 910
Jus ſuum tribuere quid ſignificet. 921
quod unicuique tribuendum. 922
Juſtitia. Definitio. 926. præcepta. 927

Juſtitia univerſalis. Definitio. 934. præcepta. 935

L

LAbor. Definitio. 512. præceptus. 514. quinam alteri præferendus. 529. cui unusquiſque vacare debeat. 528. quomodo eo defungi debeamus. 523
Laboris reſtitudo præcepta. 522
varietas. 527
Labor moderatus quinam. 516. præceptus. 520. debitus. 521
nimis gravis quinam. 517. prohibitus. 519. illicitus. 521
nimius quinam. 516. vitandus. 519. effectus. 518. illicitus. 521
Laborandi aptitudo comparanda. 530
Lædentem alterum quomodo punire liceat. 1069. an fiat abſque injuria. 1070
Læſio. Definitio. 669. quotuplex. 670. prohibita. 695. juri ſecuritatis contraria. 919. num ſit offenſa. 942
Læſio alterius impedienda. 988. quoad membra corporis. 727
Læſio animæ ob impeditos habitus facultatibus ejus utendi. 674. 675
Læſio famæ, exiſtimationis, honoris. Definitio. 867. prohibita. 868. 869. nec ſi alter prior fecerit. 872. 873
Læſionis membrorum corporis alieni periculum avertendum. 729
impune factæ effectus. 1057
in impedimento conſiſtentis æſtimandæ principium pragmaticum. 677
Laus. Definitio. 541. a quonam proficiſci poſſit. 542. num ſit in poteſtate noſtra. 543. quinam eadem dignus. 544. quale bonum. 688. quantum pendeat a bonis corporis & fortunæ. 649. obligatio quoad eandem. 546. 648. num omnium eadem in ſtatu naturali. 561
Laudem alterius impedire num ſit læſio. 689. num liceat. 696
Laudem contemtoris ſui num impedire liceat. 795
Laudem veram quænam pariant. 550. 551. 824. 825
Laudi alterius detrahere quid ſit. 870. quod ſit illicitum. 871. etiamſi alter prior fecerit. 872
Laude dignum quænam probent. 552
Leges præceptivæ quid explicent. 55
quod ſimul prohibitivæ contrarii. 712
Leges permiſſivæ quid explicent. 55
Legis naturalis ſcientia unicuique acquirenda. 242. cognitio qualis eſſe debeat. 239
Lex naturæ cognoſcenda. 226. cur ſervanda. 1167. ubi demonſtranda. 3
Libellus famoſus. Definitio. 876. illicitus. 879
Liber quinam dicatur. 135. 152. quænam facere poſſit licite. 138. num ſit exlex. 168
Liberatio ab imperfectione impedita num ſit læſio. 690
Liberorum hominum in quo ſtatu nulla differentia. 163
Libertas. Definitio. 135. in quonam ſtatu obtineat. 145. an per dominia tollatur. 147. num tollat obligationem naturalem. 159. num tollat jus alterius. 160
Libertas naturalis. Definitio. 154. in quo ſtatu ſit. 155. quousque ſe extendat. 156. & ſeqq. num ſit jus perfectum. 858. num ferat obligationem perfectam ad officia humanitatis. 660
Librorum de Deo & cultu divino agentium lectio pars cultus divini externi. 1243
Licentia. Definitio. 150. quale ſit jus. 150. an homini a Deo concedi poſſit. 151. num tollat legem omnem. 164
Licitum quidnam ſit in ſtatu naturali. 125. an quod uni, id etiam ſit alteri. 95. 96. an uni æqualium, quod alteri illicitum. 96
Lingua germanica ad philoſophandum aptiſſima. not. 169
Luxatio. Definitio. 735. ſtatus corporis independens. 737. quod ſit morbus. 738. quale malum. 753. num ſit læſio. 739. an prohibita. 740

M

MAgnifacere quid ſit. 839
Magnificatio Dei præcepta. 1181. ad cultum Dei internum referenda. 1234
Major obligatio. Definitio. 91. num natura ſit cujuſdam hominis. 92
Mala quo animo ferenda. 1203. quandonam ab aliis avertenda. 613. ut alter in ea incidat efficere num liceat. 700
Mala animi num ignominiæ ſint. 824
Mala animi privativa quænam ſint. 716. 717. 718. 755.

Mala corporis quænam ſint. 752
Mala fortunæ quænam ſint. 774. 775
Malum alteri inferre cur in defenſione licitum. 1012
Malum bono referre quid ſignificet. 799. quale ſit ei motivum. 804. prohibitum. 808
Malum malo referre quid ſignificet. 798. motivum hoc facientis. 803. prohibitum. 809
Malum verum averſandum. 265. ab apparente diſcernendum. 266
Mali abſentia num ſit bonum. 756. *ſcientia* unicuique acquirenda. 242
Mali cognitio præcepta. 225. qualis eſſe debeat. 239
Mali alterius cauſam eſſe num ſit læſio. 693
Malis avertendis quam operam impendere debeamus. 183
Manſuetudo. Definitio. 950. præcepta. 951. an amori inimicorum conveniat. 654. an defenſioni ſui adverſetur. 1000
Medicamentum. Definitio. 414. uſus præceptus. 415
Medicamentum alimentoſum. Definitio. not. 414.
Medium ſe defendendi durius. Definitio. 981. quando eo non utendum. 982
Medium ſe defendendi lenius. Definitio. 881. duriori præferendum. 982
Medium ſe defendendi leniſſimum. Definitio. 981. quod ceteris omnibus præferendum. 982
Membrorum integritatis conſervatio impedita num ſit læſio. 685
Memoria extendenda. 215
Meritum hominis ut eidem opem feras. 667
Methodus demonſtrativa num juri naturæ conveniat. 2
Metum moderandi obligatio. 599
Minæ num dent defendenti jus interficiendi. 1020
Minor obligatio. Definitio. 91
Mitigatio pœnæ. Definitio. 1090. num contineatur condonatione offenſæ. 1091. pars remiſſionis. 1099. quando fieri debeat. 1100
Modeſtia. Definitio. 563. præcepta. 565
Moleſtia omnis vitanda. 451
Morbus. Definitio. 346. quale malum. 752. vitandus. 394. curandus. 413. ejus abſentia quale bonum. 757
Morbus partium fluidarum. 347
Moroſitas. Definitio. 965. prohibita. 967
Moroſus parum curat, num offendat alios. 966
Mors quale malum. 752. deſtruit perfectionem corporis. 368. nondum ſecuta quale bonum. 757
Mortis effectus. 366. 367
Mortis periculo num alterum ſubjicere liceat. 746
Mors autochiris qualis. 358
  naturalis. Definitio. 361. quale malum. 370
  voluntaria. Definitio. 358. legi naturæ adverſa. 359. inhoneſta. 360
  violenta. Definitio. 362
Modus acquirendi. Definitio. 112
Mundi contemplatio præcepta. 1132 ejus neglectus prohibitus. 1133
Mundus quid ſit. 494

N

Natura habere quid ſignificet. 32
  ineſſe quid ſignificet. ibid.
Naturæ effectus quomodo ſpectandi in celebratione nominis divini. 1206
in *Naufragio* quid liceat ſui conſervandi cauſa. 1017
Negligentia vitanda. 301
Nihili alterum facere quid ſit. 844
Noluntas perficienda. 273 cum voluntate quando conſentiat. 269. qualis eſſe debeat. 279
Noluntatis habitus acquirendi. 212. 274
Noluntatis perfectio in quo conſiſtat. 270. 271. unde æſtimanda. 272
Non uſus facultatum in ſervanda lege naturali prohibitus. 174. vitandi. 206 207
Non uſus facultatis ſenſitivæ num ſubſit directioni animæ. 312
Noſce teipſum quid ſignificet. not. 194
Noſtrum quid non ſit. 132
Notiones diſtinctas reſolvendi habitus acquirendus. 230

O

Obedientia. Definitio. 1164. Deo debita. 1165. a Deo exigitur. 1166 Deo præſtanda ad cultum Dei internum referenda. 1234
Obligatio prior jure. 24

Obligatio cognoſcendi alios. 193. ſeipſum. 192
ad agriculturam. 507
ad horticulturam. *ibid.*
Obligationes quibus legibus explicentur. 55. quænam non ſingulos teneant homines. 184
Obligatio abſoluta. Definitio. 19. quod ſit connata. 20
Obligationes communes. Definitio. 186 quomodo oriatur & quouſque extendatur. 189
Obligatio connata. Definitio. 17. undenam homini inſit. 33. quale jus oriatur. 49. num tolli poſſit. 68. num omni homini eadem. 80. qualis ſit. 82
Obligatio contracta. Definitio. 18. num natura inſit homini. 39. num tolli poſſit. 69. qualis ſit. 83
Obligatio derivativa. Definitio. 42. unde demonſtretur. 43
Obligatio erga alios quouſque extendatur. 611. 646
Obligatio externa. Definitio. 656
hypothetica. Definitio. 19. quod cum contracta eadem. 21. qualis ſit. 84
interna. Definitio. 656. quo pertineat. 657
non lædendi an ſit perfecta. 915
major cuinam ſit. 178. 179
naturalis num per libertatem tollatur. 159. num ceſſet ex parte tui, ſi alter eidem non ſatisfecerit. 631. ſingulare diſcrimen. 185
nulla ad ea, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, conſequenda. 176
plura præſtandi cui conveniat. 177
primitiva. Definitio. 40. unde demonſtretur. 41
propria. Definitio. 186. quomodo oriatur. 187. quouſque extendatur. 188
ſingularis. Definitio. 12. qualis ſit. 83.
univerſalis. Definitio. 11. qualis ſit. 82
Obſcuratio gloriæ divinæ. Definitio. 1153. prohibita. 1154. 1155
Occidere quid ſignificet. 741
alterum quanta ſit læſio. 742. prohibitum. 743
volentem num liceat. 745
Odiſſe contemnentem num liceat. 792
Odium aliorum naturaliter illicitum. 624. in puniendum illicitum. 1077. amori repugnat. 623. num in bello locum habeat. 1119. a defenſione ſui abeſſe debet. 996
Offendi bonis, quæ obtingunt malis, vel malis, quæ obtingunt bonis, num licitum. 1202
Offendentem num odiſſe liceat. 945
Offendenti num iraſci liceat. 949
Offenſa. Definitio. 936. prohibita. 939. etiamſi quis prior te offenderit. 940. ea condonata, num pœnæ ſit locus. 1079.
Offenſa culpoſa. Definitio. 938
doloſa. Definitio. 938
in ſe nulla. Definitio. 936. 937. num attendenda. 944
vera. Definitio. 936. 937
Offenſæ condonatio. Definitio. 959. præcepta. 960
Officia quibus legibus præſcribantur. 56. quatenus alteri debita. 608
Officium imperfectum. Definitio. 663.
perfectum. Definitio. 663
Officia erga ſeipſum cur omnia ſint conjungenda. 170. quinam hic peccent. 171
Officium erga animam. Definitio. 169
erga corpus. Definitio. *ib.*
circa ſtatum externum. Definitio. *ibid.*
Officii erga alios præſtatio quando non ſit in noſtra poteſtate. 610. quem uſum facultatum requirat. 609
Officia humanitatis. Definitio. 655. an ad ea quis cogi poſſit. 658. an ea denegare ſit læſio. 671. an peccatum. 672. qualis ſit ad ea obligatio. 659. 660. quando peti non poſſint. 663. quod ſint imperfecta. 663. quinam in iis præſtandis alteri præferendus. 777. & ſeq. an eadem denegare ſit juſta belli cauſa. 118
Officioſitas. Definitio. 898. præcepta. 899. etiam erga inofficioſos. 902
Opem ferendo quinam alteri præferendus. 668
Opera in bonis acquirendis collocanda. 181. in malis avertendis collocanda. 183
Organorum corporis diverſitas. 303. genera. 304. integritas in quo conſiſtat. 320. ad quid requiratur. 321. conſervanda. 372
Organa moventia. Definitio. 304. a quibuſnam dependeant. 343
Organa ſenſoria. Definitio. 304. externa & interna. *ibid.* a quibuſnam dependeant. 343

Organa vitalia. Definitio. 304
Ornamenta. Definitio. 492. differentia a veſtimentis. 492
Oranti num garrire liceat. 1226
Oratio. Definitio. 1222. præcepta. 1223. 1224. ſpecies glorificationis externæ. 1235. pars cultus externi. 1237
Oratorum obligatio. 526
Ortus unius ex altero. Definitio. 22
Otium. Definitio. 513. prohibitum. 515

P

Par pari referre quid ſignificet. 796. qui hoc faciat. 801. quo motivo. 802. quando liceat. 810
Partes obſcœnæ quænam dicantur. 447. veſtimentis velandæ. 448
Patientia. Definitio. 592. præcepta. 593
Pauciores obligationes cuinam ſint. 90
Paucius Jus quinam habeat. 87
Peccatum in actione bona edenda commiſſum. 1126
Perfectionem alterius inpedire num ſit læſio. 699. num ſit licitum. 691
Perfectione alterum privare num ſit læſio. 699. num ſit licitum. 691
Perfectio animæ in quo conſiſtat. 201. 548. a nobis cognoſcenda. 190
Perfectio corporis quamdiu ſubſiſtat. 391. quomodo deſtruatur. 368. a nobis cognoſcenda. 190
Perfectio corporis qua humani in quo conſiſtat. 335. unde pendeat. 336. 337. num ſit compoſita. 338. quorumnam organorum integritatem ſupponat. 339
qua ſentientis in quo conſiſtat. 323. qualis ſit. 324. quomodo inſit. 325. qualium membrorum integritatem ſupponat. 326
qua vivi in quo conſiſtat. 317. qualis ſit. 318. quomodo inſit. 319. qualium organorum integritatem ſupponat. 321
Perfectionis facultatum animæ gradus. 210
Perfectio hominis qualis ſit. 340. num ab atheo cognoſci poſſit. 341. num ſimpliciter de exiſtentia Dei dubitanti. 342
Perfectio intellectus in quo conſiſtat. 218. gradus. ibid.
Perfectionis & felicitatis promovendæ nexus. 652
Perfectio non petentis num promovenda. 664
Perfectioni noſtræ quouſque ſtudere debeamus. 180
Perfectio propria num agnoſcenda. 572. ex ea quid diſcere debeamus. 576. eam intuenti quid faciendum. 577
Perfectionis propriæ cauta æſtimatio. 574. tanquam cauſam quomodo nos conſiderare debeamus. 578
Perfectio rei artificialis in quo conſiſtat. 524. obligatio quoad eandem. 525
Periculum læſionis organorum corporis quantum vitandum. 373
Periculum vitæ vitandum. 371. 641
Perſeverantia in vitiis non promovenda. 713
Philoſophia practica univerſalis in Jure naturæ ſupponitur. 4
Pietas præcepta. 1128. ad cultum Dei internum referenda. 1234
Pius quomodo Deum colat. 1127
Placabilis. Definitio. 779
Placabilitas. Definitio. 780. præcepta. 782. etiam altero implacabili manente. 785
Plantis num veſci liceat. 384
Plura aliis præſtare quinam obligetur. 177
Plus Juris quinam habeat. 87. num quis natura habeat præ altero. 89
Pœnæ num ſit locus offenſa condonata. 1079
Pœnæ ſumtio quid præſupponat. 1087
Pœnam ſubeundi obligatio. 1071
Pœna emendatrix. Definitio. 1062
exemplaris. Definitio. ibid.
gravis. Definitio. 1064. quando illicita. 1065
levis. Definitio. 1064
Pœnæ communicatio. Definitio. 1081. inter quos locum habeat. 1082. quomodo fiat. 1083
Pœnæ mitigatio. Definitio. 1090. num contineatur condonatione offenſæ. 1091. pars remiſſionis. 1099. quando fieri debeat. 1100
remiſſio. Definitio. 1089. num contineatur condonatione offenſæ. 1091. quando fieri debeat. 1092. 1094. & ſeqq.
Poetarum obligatio. 526
Poſtulata cognoſcenda. 249
Poteſtas. Definitio. 133
Potus. Definitio. 382. an idem omnibus ſalubris. 398. quo fine appetendus. 408. 439. 440. num ſolius voluptatis gratia appetendus. 412. circa eum cura quoad alios. 644. ejus nimia quantitas nocet. 401. ab hac abſtinendum. 404.

Digitized by Google

402. quantitas juſta quomodo determinanda. 403
Potus inſalubris. Definitio. 397
ſalubris. Definitio. ib.
Præcedentia. Definitio. 104. an inter æquales locum habeat. 105. an naturæ cuidam competat. 106. an cum æqualitate hominum conſiſtat. 107. num ſit prærogativa quædam. 108. quale ſit jus. 109. 110.
Præceptum ſimul prohibitio contrarii. 722
Præcipitantia in agendo vitanda. 301
Præparatio ad futuros caſus. Definitio. 596. utilitas. 597. præcepta. 598
Prærogativa. Definitio. 93. an natura quædam competat. 94. quod tollat æqualitatem. 97
Principia demonſtrandi cognoſcenda. 246. cur familiaria eſſe debeant. 245
Principia demonſtrandi prima. Definitio. 243. quænam ſint. 244
a primis orta. Definitio. 243. quænam ſint. 244
Probandi habitus acquirendus. 237
Profunditas acquirenda. 231
Propoſitiones determinatæ addiſcendæ. 233. a quonam inveniendæ. 233
Providentiæ divinæ ad ſe facta applicatio præcepta. 1184. eidem omnia committenda. 1185. 1192
Prudentia. Definitio. 256. circa quæ verſetur. 257. acquirenda. 258. quanta unicuique. 259
Puniendi exceſſus num ſit læſio. 1067
Puniens quomodo velit alterius malum. 1075. an voluptatem ex eo percipiat. 1076. an oderit puniendum & inimicum in eum habeat animum. 1077. an agat cupiditate vindictæ. 1078. ejus intentio. 1074
Puniendi modus quando excedatur. 1066. num id facere liceat. 1066
Puniri num quis poſſit ob factum alienum. 1084
Punienti licite num reſiſtere liceat. 1088
Punitio lædentis num ſit bellum. 1114
Pulchritudo quænam requirat. 479. 480. quale bonum. 751
Pulchritudo artificialis. Definitio. 481. effectus. 484. quando hominem deceat. 486. num quoad eam detur aliqua obligatio naturalis. 487. num ſit licita. 485
naturalis. Definitio. 481
Puſillanimitas. Definitio. 568. prohibita. 569

R

Ratio perficienda. 253
Ratio proxima, propior, remota. Definitiones. 15
prima, ultima. Definitiones. 16
Ratiocinandi habitus acquirendus. 234
Ratiocinia concatenandi habitus acquirendus. 235
Ratiocinatio diſtincta præcepta. ib.
Ratio actionum quando nulli reddenda. 158
Reatus. Definitio. 1072. juri naturæ convenit. 1073
Reconciliatio. Definitio. 766. præcepta. 768. ex parte noſtra, etiam altero nolente. 784. tentata acceptanda. 769. mutua inimicorum non impedienda. 771. num impedire ſit læſio. 683. in eam propendens animus præceptus. 783
Reconciliatio perfecta. Definitio. 766
imperfecta. Definitio. ib. num legi naturæ conveniat. 767
Reconciliatori quales nos præbere debeamus. 769
Reflectendi facultas perficienda. 214
Remiſſio pœnæ. Definitio. 1089. num contineatur condonatione offenſæ. 1091. quando fieri debeat. 1092. 1094. & ſeqq.
Res quid in Jure dicatur. 495
Res omnes in mundo quomodo ſpectandæ in celebratione nominis divini. 1207
Rerum copia ſufficiens procuranda. 511
Res corporalis. Definitio. 496
Res artificialis. Definitio. 505. ejus perfectio in quo conſiſtat. 524
Res incorporales. Definitio. 497. quænam ſint. 498
Res induſtriales quænam. 504. obligatio circa eas. 506
Res naturales quænam. 503
Rerum non naturalium uſus præceptus, 419. cognoſcendus. 420
Res neceſſariæ. Definitio. 499. quibuſnam præferendæ. 502
voluptuariæ. Definitio. 501
utiles. Definitio. 500. quibus præferendæ. 502
Res pecuaria num præcepta. 508
Reverentia. Definitio. 1182. erga Deum præcepta. 1183. ſpecies glorificationis externæ. 1235. pars cultus externi. 1237
Revocatio ab errore non impedienda. 710
Ruptura. Definitio. 733. ſtatus corporis inde

inde pendens. 737. quod ſit morbus. 738. quale malum. 753. num fit læſio. 739. prohibita. 740
Ruptura abſentia quale bonum. 757

S

SAnitas. Definitio. 345. a quibus rebus pendeat. 417. quale bonum. 751. conſervanda. 393
Sanitatis alienæ cura præcepta. 643. læſio. 730. prohibita. 731
Sanitati conſervandæ & recuperandæ neceſſaria alteri ſubtrahere læſio eſt. 748
Sapientia acquirenda. 254
Scientia acquirenda. 240. quænam unicuique. 241. 242
Scientia artium acquirenda. 263
Scriptorum obligatio. 526
Seducere alterum ad peccandum num fit læſio. 694
Seipſum quanti quis facere debeat. 575
Senſus rationi ſubjiciendi. 289. cum intellectu in repræſentando bono conſentire debent. 268
Sibi quid faciendum. 100. 103
Sobrietas. Definitio. 425. præcepta. 426
Soliditas acquirenda. 236
Somnambulum ſui defendendi gratia num occidere liceat. 1015
Status animi internus qualis eſſe debeat, 281. quinam fit vitandus. 282
Status corporis vivi quotuplex. 344. qualis vulnerati. 736. qualis in ruptura, fractura, luxatione. 737
Status civilis. Definitio. 127
libertatis. Definitio. 136. undenam fit. 146
moralis hominum. Definitio. 123
naturalis. Definitio. 124. quid in eo licitum. 125. quo jure in eo utantur homines. 125. diviſio. 128
Status naturalis originarius. Definitio. 128. undenam fit. 129
adventitius. Definitio. 128. undenam fit. 129
Subjectus alteri quinam fit. 134. in quo ſtatu non ſubjiciatur quis alteri. 136. 143.
Sui juris quinam fit. 135
Summum bonum conſequendum. 298. quid conſecutio ſupponat. 7
malum fugiendum. 298
Superbia. Definitio. 888. illicita. 889
Superſtitio. Definitio. 1255. vitanda. 1256
Suum. Definitio. 131. an ſimul eſſe poſſit alienum. 140
Suum alteri tribuere quid fit. 923. obligatio ad hoc faciendum. 924. quod id faciat, qui alteri jus ſuum tribuit. 925
Sylvicultura quando debita. 509
Symmetria corporis. Definitio. 477. ad pulchritudinem requiritur. 479

T

TÆdia nemini creanda. 723. etiamſi prior creaverit. 941
Tædia aliena quando non curanda. 726
innocua num faciant ad felicitatem hominis. 724. an alteri creare liceat. 725. 1221
Temperantia. Definitio. 405. præcepta. 406.
Temperans cur cibum ac potum appetat. 407
Timiditas. Definitio. 602. prohibita. 603
Timor filialis. Definitio. 1177. erga Deum præceptus. 1179. pars cultus divini. 1234
Titulus. Definitio. 113. quid ſupponat. 117
Titulus falſus. Definitio. 120 an fit titulus. 121
lucrativus. Definitio. 122
oneroſus. Definitio. ib.
putativus. Definitio. 119. an fit titulus. 121
verus. Definitio. 118
Tranſgreſſionem legis naturæ exemplo alieno num tueri liceat. 932. ad eam nemo inducendus. 701

V

VEnia. Definitio. 1093
Veſcendi quibuſnam jus habeat homo. 384
Veſtes quales eſſe debeant. 450. commodæ agenti eſſe debent. 452. quænam deceant hominem. 453. quænam dedeceant. 454. earum uſus præceptus. 445. finis. 446. 449. circa eas cura quoad alios. 644. facere ut alter iis careat illicitum. 761
Vindicta. Definitio. 947. quod animus ab ea debeat eſſe alienus. 948
Vindictæ cupiditas a defenſione ſui abeſſe debet. 999. a pœna aliena eſſe debet. 1078

Digitized by Google

Virtus habitus moralis bonus. 277
Virtutis cultura præcepta. 278. requirit cognitionem Juris naturæ. 6
Virtus aliena non impedienda. 719. promovenda. *ibid.* num eam impedire ſit læſio. 675
Virtutes intellectuales. Definitio. 547. qualia ſint bona. 715. alienæ non impediendæ. 696
Virtutum intellectualium abſentia quale malum. 717. 755. propagatio præcepta. 638. defectus num pariant ignominiam. 820
Virtus moralis. Definitio. 547
Virtutum moralium abſentia quale malum. 717. 755. propagatio præcepta. 638. defectus num pariant ignominiam. 820
Vis in calumniatorem quando licita. 1056
Vita conſervanda. 350. quale ſit bonum. 751. commode tranſigenda. 466. quomodo commode tranſigatur. 465. jucunde tranſigenda. 471. quando jucunde tranſigatur. 470
Vitæ commoditas quatenus in poteſtate eſt. 474. ad eam facientia cognoſcenda. 467. neceſſaria paranda. 510
dominium num competat homini. 351.
genus. Definitio. 531. quodnam eligendum. 533. 534
jucunditas quatenus in poteſtate eſt. 475. ad eam neceſſaria paranda. 510
periculum vitandum. 371
Vita aliena conſervanda. 641. conſervationem ejus impedire num ſit læſio. 685 an eidem conſervandæ neceſſaria alteri ſubtrahere ſit læſio. 748. incommoda & moleſta non reddenda. 760. num impedire, quo minus ſit commoda & jucunda, ſit læſio. 686. 687. num eam incommodam & moleſtam reddere ſit læſio. 759
Vita commoda. Definitio. 465. quænam commodam faciant. 466
incommoda quænam. 465
Vitæ perfectæ ſtudium requirit cognitionem Juris naturæ. 8
Vitium habitus moralis pravus. 277. fugiendum. 278. ad id nemo ſeducendus. 711. quale malum. 718. num ignominiam pariat. 822. exemplo noſtro docere non debemus, nec alios ad ea incitare. 928
Vituperandi jus num cui eſſe poſſit. 852
Vituperantem nos num vituperare liceat. 849.
Vituperium. Definitio. 813. num ſit licitum. 848. num injuria. 860. qualis injuria. 877. num offenſa. 943. ſit contra jus alterius. 856. 857
Voluntas perficienda. 273. qualis eſſe debeat. 279. quando cum noluntate conſentiat. 269. in alios quænam eſſe debeat. 615
Voluntatis habitus acquirendi. 212. 274
perfectio in quo conſiſtat. 270. 271.
unde æſtimanda. 272
Voluptas alteri creanda. 723. ex felicitate aliena percipienda. 616. ex perfectione propria percepta num licita. 573. ex tædio offendentis percepta num licita. 946
Voluptas tranſitoria quando illicita. 283. quando veræ æquipolleat. 285. 287. quando felicitatem augeat. 286
Uſuarius. Definitio. 377
Uſus facultatum noſtrarum quinam fieri debeat. 172. in quo conſiſtat. 198. omnis tentandus. 197. quinam fieri debeat in officiis erga nosmetipſos. 173. erga alios. 609
Uſus facultatum conſenſus in quo conſiſtat. 203. acquirendus. 204
Uſus facultatis appetendi & averſandi in quo conſiſtat. 274
locomotivæ quomodo inſit. 314. num ſubſit directioni animæ. 315
ſenſitivæ unde ſit. 310. num ſubſit directioni animæ. 312
vitalis unde ſit. 307
Uſus facultatum ſuperiorum unde ſit. 199
inferiorum unde. 200
Vulneratio læſio eſt. 739. prohibita. 740
Vulnus. Definitio. 732. ſtatus corporis inde pendens. 738. quale malum. 753. ejus abſentia quale bonum. 751
Vulnus lethale. Definitio. 1031. an ad homicidium neceſſario requiratur. 1032
minus lethale. Definitio. 1031. an inferens ſit homicida. *not.* 1032

FINIS INDICIS.

Digitized by Google